Universidad de Deusto
Biblioteca

16

Universidad de Deusto
Biblioteca

2"16"
L 76 t

359696

Antonij Cachini
Ceremon.

40000359696

B IV 24

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est. 8
Plút. 1

EST. 15 PLUT. 1+

R. P. TOBIÆ LOHNER,

SOCIETATIS JESU,

INSTRVCTIO PRACTICA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

R. P. TOBIÆ LOHNER,

SOCIETATIS JESU.

INSTRVCTIO PRACTICA.

INSTITVTIONES

QVINTVPLICIS THEOLOGIÆ,

Positivæ videlicet, Asceticæ, Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens,

Unà cum Appendice Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concil. Trident. factæ continente.

In usum & utilitatem Iuniorum præcipuè Sacerdotum composita.

25442
BILBAO

VENETIIS, M. DC. XCIX.
Apud Combi, & La Noù. 2-5.
SVPERIORVM PERMISSV, AC PRIVILEIGO.

PRÆFATIO

Ad Benevolum Lectorem.

NE ipso statim in limine hujus Instructionis offendas, amice Lector, & plùs fortè exspectes, quàm in ipso Opusculi hujus decursu sis reperturus, intentionem meam, scopumque paucis accipe. Quintuplicem esse Theologiam nosti, Positivam videlicet, quæ in sensu S. Scripturæ indagando, & explicando occupatur, ideò positiva vocatur, quia ponit & stabilit fundamenta, ac locos argumentationum Theologicarum. Asceticam, quæ doctrinas ad perfectionem virtutum consequendam necessarias tradit, &, quia in Asceteriis seu Religiosorum Monasteriis plerumque docetur, Ascetica nomen accepit. Polemicam, quæ modum defendendi Mysteria Fidei Catholicæ contra Hæreticos ostendit. Scolasticam, quæ speculativas præcipuè quæstiones modo Scholastico, id est, altercativo discutiendas sibi assumit Moralem, quæ ad conscientiam & actus humanos seu morales hominum dirigendos ordina-

tur ; quarum quidem omnium Theologiarum notitia quantopere Sacerdotibus ad suam & aliorum salutem atque perfectionem procurandam obligatis necessaria sit , ex iis , quæ fusiùs de hac materia in institutione quarta de Pastoribus dicta sunt , colligere licet . Quia tamen non omnes Sacerdotes animum & vires aut occasionem aut media habent , ad omnes has Theologias perfectè addiscendas , ideo , ut eam saltem , quæ necessaria est , & ad ipsorum functiones fructuosè ac securè obeundas sufficere potest , doctrinarum ad has Theologias pertinentium notitiam haurire , aut certè , si priùs hauserint , facili labore in memoriam revocare possint , operæ pretium me facturum existimavi , si more aliis Facultatibus recepto , Institutiones componerèm , quibus & præcipua singularum scientiarum supra nominatarum dogmata breviter , dilucideque explicarentur , & simul etiam modus facilis , solidusque ad eas ampliori cùm fructu addiscendas traderetur . Quem quidem laborem tantò promptiùs suscepi , quanto ardentiùs à quibusdam desiderari sciebam , ut omnes ejusmodi Institutiones uno libello comprehensæ offerrentur , ut & singularum Theologiarum talium inter se diversitas , inspectis earundem dogmatis faciliùs appareret , & ipsa etiam illarum inter se pulcherrima subordinatio clariùs cognosceretur . Boni itaque laborem hunc con-

consule , benevole Lector , & tantò studiosiùs fruere , quantò ampliorem ex eo fructum , utilitatemque jure merito poteris sperare ; sed & septimam institutionem de concionibus formandis proximè exspecta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX TITVLORUM

Hujus Libri.

TRACTATVS I.

Institutiones Theologiæ positivæ Complectens. Fol. 1.

LIBER I.

De objecto materiali Theologiæ positivæ, seu de ipsa Scriptura sacra. 2
Tit. 1. De Nomenclatione S. Scripturæ. ibid.
Tit. 2. De definitione S. Scripturæ. 4
Tit. 3. De Divisione S. Scripturæ. 5
Tit. 4. De Authore S. Scripturæ. 7
Tit. 5. De proprietatibus S. Scripturæ. 10
§. 1. De Infallibilitate S. Scripturæ. ibid.
§. 2. De Authoritate S. Scripturæ. 11
§. 3. De Necessitate S. Scripturæ. 13
§. 4. De Vtilitate S. Scripturæ. 14
§. 5. De Iucunditate S. Scripturæ. 18
§. 6. De Simplicitate S. Scripturæ. 20
§. 7. De Eloquentia S. Scripturæ. 21
§. 8. De Profunditate S. Scripturæ. 24
§. 9. De Obscuritate S. Scripturæ. 25

LIBER II.

De objecto formali Theologiæ positivæ. 27
Cap. 1. De Matabolica interpretatione seu Versione. 28
§. 1.

§. 1. De Hebraica editione S. Scripturæ. 29
§. 2. De Caldaica editione. 30
§. 3. De Siriaca editione. 31
§. 4. De Græca editione. 32
§. 5. De Latina editione. 33
§. 6. De Vernacula editione. 35
Cap. 2. De Exegetica interpretatione. 36
§. 1. Quid, & quotuplex sit sensus. ibid.
§. 2. quis modus in sensu S. Scripturæ investigando sit adhibendus. 38
Doctrinæ Generales pro S. Scripturæ sensu investigando. 39
Doctrinæ speciales pro sensu S. Scripturæ inveniendo. 41
§. 3. De Regulis pro vero S. Scripturæ sensu indagando assignari solitis. 42
Membrum I. De Generalibus Regulis. 43
Membrum II. De Regulis circa personas. ibid.
Membrum III. De Regulis circa numerum. 44
Membrum IV. De Regulis circa tempus. 45
Membrum V. De Regulis circa voces. 47
Membrum VI. De Regulis circa sensum. 49
§. 4. De praxi supradictarum regularum in apparentibus S. Scripturæ contradictionibus solvendis. 51
§. 5. De Mediis ad Theologiam Positivam addiscendam. 59
Membrum I. De Mediis supernaturalibus. 59
§. 6. De Modo solito, & facili Studendi Theologiæ positivæ. 60
§. 7. De Interpretibus S. Scripturæ. 62

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRACTATVS II.

Institutiones Theologiæ Ascæticæ Complectens. 65

PARS I.

De Theologia Ascetica in communi. 67
Cap. 1. Quodnam sit objectum Theologiæ Ascæticæ. ibid.
Cap. 2. Quid sit perfectio? 68
Cap. 3. Quotuplex sit perfectio. 71
Cap. 4. Corollaria quædam ex dictis à Theologo Ascetico benè observanda deducuntur. 75
Cap. 5. Axiomata quædam ad Theologiam Ascæticam in communi pertinentia proponuntur. 78

PARS II.

De Theologia Ascetica per viam purgativam deducente. 80
Cap. 1. De cognitione peccatorum. 81
§. 1. Qua ratione peccata oriri soleant. ibid.
§. 2. De Peccatorum diversitate, & gravitate. 84
§. 3. De Peccatorum commissorum cognitione. 87
Cap. 2. De Actuali peccatornm detestatione & deletione. 88
Cap. 3. De Fuga peccatorum seu vitæ Emendatione. 91
§. 1 De Relapsu in peccato cavendo. 92
§. 2. De pravis Habitibus extirpandis. 94
§ 4. De passionibus animi rectè ordinandis. 96
§. 4. De tentationum Victoria. 99
§. 5. De termino Vitæ Purgativæ tentationibus. 103
§. 6. De termino viæ purgativæ. 105
§ 7. De Axiomatibus viæ purgativæ. 106

PARS III.

De Theologia Ascetica per viam illuminativam deducente. 108
Cap. 1. De virtute in genere. 109
Cap. 2. Quomodo virtutes Theologicæ sibi mutuò subordinentur. 111
Cap. 3. Quomodo Virtutes morales, & præcipuè Prudentia subserviant Caritati. 114
Cap. 4. Quomodo Iustitia Caritati subordinetur, & subserviat. 116
§. 1. Quomodo Iustitiæ Virtus Ius suum DEO tribuere doceat. ibid.
§. 2. Quomodo Iustitia ad Ius suum Creatis rebus tribuendum inclinet. 118
Cap. 5. Quomodo Fortitudo Caritati subordinetur. 120
Cap. 6. Quomodo Temperantia Caritati subordinetur. 121
Cap. 7. De Tentationibus Specialibus Viæ illuminativæ. 122
Cap. 8. De Termino Viæ illuminativæ. 125

PARS IV.

De Theologia Ascetica per viam unitivam deducente. 126
Cap. 1. In quo consistat unio perfecta cum DEO quæ est terminus Viæ unitivæ. 127
§. 1. De prima unione per memoriam. ibid.
§. 2. De Secunda unione per intellectum. 129
§. 3. De Tertia unionis voluntatis cum DEO. 133
§. 4. De Quarta unione reliquarum potentiarum cum DEO. ibid.
Cap. 1. De termino Viæ unitivæ. 136
Cap. 3. De tentationibus Viæ unitivæ. 138
Cap. 4. Quæ Axiomata in via unitiva præcipuè observanda sint. 140

PARS V.

De Modo, & Mediis proficiendi in Scientia Aſcetica, deque Præſtantia ejuſdem. 141
Cap. 1. De Modo proficiendi in Scientia Aſcetica. 142
§. 1. De deſiderio ad Scientiam Aſceticam addiſcendam neceſſario. ibid.
§. 2. De Oratione ad Scientiam Aſceticam addiſcendam neceſſaria. 143
§. 3. De Cooperatione ad Scientiam Aſceticam obtinendam neceſſaria. 144
Cap. 2. De Præſtantia Theologiæ Aſceticæ. 146
§. 1. De utilitate Scientiæ Aſceticæ. 147
§. 2. De Dignitate Scientiæ Aſceticæ. 148
§. 3. De Iucunditate Scientiæ Aſceticæ. 149
§. 4. De Facilitate Scientiæ Aſceticæ. 150

TRA-

TRACTATVS III.

Inſtitutiones Thologiæ Polemicæ Complectens. 153

PARS I.

De Theologia Polemica in Communi. 154
Cap. 1. De Definitione, & objecto Theologiæ Polemicę. ibid.
Cap. 2. De Diviſione Theologiæ Polemicæ. 155
§. 1. De Verbo DEI. 156
§. 2. De Chriſto. 159
§. 3. De Romano Pontifice. 163
§. 4. De Conciliis. 165
§. 5. De Eccleſia. 167
§. 6. De Clericis. 169
§. 7. De Monachis. 171
§. 8. De Laicis. 174
§. 9. De Purgatorio. 276
§. 10. De Cultu Sanctorum. 177
§. 11. De Sacramentis in genere. 181
§. 12. De Sacramentis in ſpecie præcipuè de Baptiſmo & Confirmatione. 144
§. 13. De Sacramento Euchariſtiæ. 186
§. 14. De Pœnitentiæ Sacramento. 189
§. 15. De Sacramenti Extremæ Vuctionis, ordinis, & Matrimonii. 191
§. 16. De Gratia primi Hominis. 193
§. 17. De Amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati. 195
§. 18. De Gratia. 198
§. 19. De Libero Arbitrio. 200
§. 20. De Iuſtificatione Impii. 204
§. 21. De Iuſtitia Actuali, ſivè bonorum operum Neceſſitate, & Valore. 206
§. 22. De operibus bonis in ſpecie. 209
Cap. 3. De Præſtantia Theologiæ Polemicæ. 213
§. 1. De Neceſſitate Thologię Polemicæ. ibid.

§. 2.

§.2. De utilitate Theologiæ Polemicæ. 215
§.3. De Dignitate Theologiæ Polemicæ. 217
§.4. De Iucunditate Theologiæ Polemicæ. 219

PARS II.

De Theologia Polemica offensiva. 220
Cap 1. Quibus potissimum argumentis contra Hæreticos pugnandum sit. 221
§.1. De primo fonte argumentorum nempè S. Scriptura petitorum. ibid.
§.2. De secundo fonte argumentorum Conciliorum, scilicèt, & Pontificum definitionibus. 223
§. 3. De tertio fonte argumentorum, nempè traditionibus. 224
§. 4. De quarto fonte argumentorum, videlicet SS. Patribus. 227
§.5. De quinto fonte argumentorum ex humana ratione petitorum. 231
Cap. 2. Quibus motivis rationibus Theologus Polemicus uti debeat ad veritatem Fidei Catholicæ persuadendam. 232
§. 1. De primo genere Motivorum, ex notis Ecclesiæ petitorum. ibid.
§.2. De Motivis ex fine veræ Religionis petitis. 234
§.3. De motivis ex propagatione fidei catholicæ petitis. 236
§.4. De Motivis ex conservatione veræ fidei petitis. 239
§.5. De Motivis ex personarum, quæ Catholicam Fidem vel prædicarunt, vel susceperunt, qualitate petitis. 245
Cap. 3. Qua ratione contra frigidos Hæreticos pugnandum sit. 241
§.1. De prima excusatione frigidorum Hæreticorum. ibid.
§.2. De Secunda excusatione frigidorum Hæreticorum. 246
§. 3. De tertia excusatione frigidorum Hæreticorum. 248
§. 4. De quarta excusatione frigidorum Hæreticorum. 249

§. De quarta excusatione frigidorum Hæreticorum. 249
§. 5. De quinta exculatione frigidorum Hæreticorum. 250
§. 6. De sexta excusatione frigidorum Hæreticorum, 251
§. 7. De Septima excusatione frigidorum Hæreticorum. 252

PARS III.

De Theologia Polemica defensiva. 253
Cap. 1. De Generalibus Præceptis in disputatione, vel Conferentia cum Hæreticis observandis. ibid.
Cap. 2. De Specialibus præceptis in Disputatione, vel Conferentia observandis. 255
Cap. 3. De Præceptis in actuali Responsione ad Hæreticorum objectiones circa particulares Controversias servandis. 257

PARS IV.

De Mediis ad Theologiam Polemicam addiscendam concentibus. 261
Cap. 1. De Authorum lectione: ibid.
Cap. 2. De Exercitatione assidua. 264
Cap. 3. De fructuosa Annotatione. 265

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRACTATVS IV.

Institutiones Theologiæ Scholasticæ Complectens. 268

PARS I.

De DEO tùm in se, tùm in operibus suis Considerato. 273
Cap. 1. De DEO uno, & Trino. ibid.
Art. 1. De Existentia DEI. 274
Art. 2. De Essentia DEI. 275
Art. 3. De Natura DEI. 276
Art. 4. De Attributis DEI. ibid.
Art. 5. De operationibus DEI. 279
Art. 6. De Trinitate personarum. 281
Cap. 2. De Angelis. 284
Art. 1. De Existentia, & Natura Angelorum. 285
Art. 2. De Multitudine, & Diversitate Angelorum. 286
Art. 3. De Potentia Angelorum. 287
Art. 4. De via Angelorum. 289
Art. 5. De peccato, & pœna Angelorum malorum. 290
Art. 6. De Custodia bonorum Angelorum, & Malorum Tentatione. 292
Cap. 3. De Opere sex dierum. 295
Art. 1. De Processione Creaturarum à DEO. ibid.
Art. 2. De Creatione Mundi. 296
Art. 3. De opere primæ diei. 298
Arrt. 4. De opere secundæ diei. 299
Art. 5. De opere tertiæ diei. 300
Art. 6. De opere quartæ diei. 301
Art. 7. De operæ quintæ diei. 302
Art. 8. De opere sextæ diei. ibid.

PARS II.

De Fine ultimo Hominis obtinendo, vel amittendo. 306
Cap. 1. De Beatitudine, velut ultimo fine Hominis. ibid.

Art. 1.

Art. 1. De ultimo fine hominis in genere spectato; ibid.
Art. 2. De fine ultimo hominis in specie, seu de Beatitudine 308
Art. 3. De Accidentibus finis ultimi, seu Beatitudinis. 310
Cap. 2. De Mediis ad finem ultimum obtinendum necessariis in genere. 316
Art. 1. De Actu morali in genere. ibid.
Art. 2. De Actu morali bono seu virtuoso. 319
Art. 3. De Actu morali malo seu peccato. 324
Art. 4. De Principiis dirigentibus actum moralem. 330
Art. 5. De Principio adjuvante actum moralem, seu de Gratia. 335
Cap. 3. De Mediis ad finem ultimum obtinendum necessariis in specie. 339
Art. 1. De Theologicis Virtutibus. 340
§. 1. De Essentia Virtutum Theologicarum in genere. ibidem.
§. 2. De Essentia fidei. 341
§. 3. De Essentia spei. 344
§. 4. De Charitatis Essentia. 346
§. 5. Quæ sit necessitas Virtutum Theologicarum. 350
Art. 2. De Virtutibus moralibus. 351
§. 1. De Virtutibus moralibus in genere. ibid.
§. 2. De prudentiæ Virtute. 352
§. 3. De Iustitiæ Virtute. 357
§. 4. De Fortitudinis Virtute. 361
§. 5. De Temperantiæ Virtute. 364
Cap. IV. de Variis statibus Hominum. 364
Art. 1. De Statu in genere. ibid.
Art. 2. De Statu Clericali. 368
Art. 4. De Religioso statu. 378

PARS III.

De Incarnatione Christi & Sacramentis. 371
Cap. 1. De Incarnatione Christi. ibid.
Art. 1. De Substantia Incarnationis. 373
§. 1. An sit Incarnatio. ibid.
Art. 2. Quid sit Incarnatio? 374
Art. 3. De Convenientia, & Necessitate Incarnationis. 375
Cap. 2. De Causis Incarnationis. 377
Art. 1. De Causa finali Incarnationis. ibid.
Art. 2. De Causa efficiente Physica Incarnationis. 378
Art. 3. De causa morali Incarnationis. 379
Art. 4. De effectibus Incarnationis. 381
§. 1. Quæ perfectiones Christi Humanitati per unionem hypostaticam advenerint. ibid.
§. 2. De Communicatione Idiomatum. 388
Cap. 3. De Oeconomia Verbi. 388
Art. 1. De Ingressu Christi in Mundum. 389
§. 1. De iis, quæ ad Matrem Christi pertinent. ibid.
§. 2. De iis, quæ ad ipsum Christum conceptum pertinent. 394
Art. 2. De Progressu Christi in Mundo. ibid.
Art. 3. De egressu Christi ex Mundo. 398
Art. 4. De iis, quæ spectant ad exaltationem Christi, 401
Cap. 4. De Sacramentis. 404
Art. 1. De Sacramentis in genere. 405
Art. 2. De Baptismo, & Confirmatione. 409
Art. 3. De Eucharistiæ Sacramento. 412
Art. 4. De Pœnitentiæ Sacramento. 481
§. 1. De Virtute Pœnitentiæ. ibid.
§. 2. De Sacramento Pœnitentiæ. 433
Art. 5. De Extrema Vnctione, & Ordine. 428
Art. 6. De Matrimonio. 431
APPENDIX. De Modo utiliter Studendi Theologiæ. 434
§. 1. De Causa finali studendi. 435
§. 2. De Causa efficiente studendi. 447
§. 3. De Causa materiali studendi. 439
§. 4. De Causa formali studendi. 440
§. 5. De periculis in studio cavendis. 459

TRACTATVS V.

Institutiones Theologiæ moralis Complectens. 449
cap. 1. De Natura, seu Essentia Theologiæ moralis. 450
art. 1. De Definitione Theologiæ moralis. ibid.
art. 2. De Divisione Theologiæ moralis. 451
cap. 2. De Attributis Theologiæ moralis. 452
cap. 3. De modo studendi, & proficiendi in Theologia morali. 454
cap. 4. De Principiis Generalibus Theologiæ moralis. 457
art. 1. De principiis ad actus humanos spectantibus. ibidem.
§. 1. *Principium* 1. Nihil volitum, nisi præcognitum. ibid.
§. 2. *Principium* 2. Non inest actui moralitas, si desit voluntati libertas. 459
§. 3. *Principium* 3. Nihil consensui tam contrarium est, quàm vis, & metus. 460
§. 4. *Principium* 4. Vani Timoris nulla est excusatio. 461
§. 5. *Principium* 5. Ignorantia facti, non Iuris excusat. 462
§. 6. *Principium* 6. Scire, & scire debere paria sunt. 463
§. 7. *Principium* 7. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. 464
§. 8. *Principium* 8. Actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. 465
§. 9. *Principium* 9. Voluntas pro opere reputatur. 466
Art. 2. De Principiis ad internam Actuum humanorum Regulam, seu Conscientiam spectantibus. 468

§. 1.

§. 1. *Principium* 1. Quod non est ex fide, peccatum est, ibidem.
§. 2. *Principium* 2. Non lædit Conscientiam Actio, quam probabilis tuetur opinio. 469
§. 3. *Principium* 3. In dubio melior est Conditio possidentis. 470
§. 4. *Principium* 4. Dubia in meliorem partem interpretanda sunt. 471
§. 5. *Principium* 5. In dubio tutior pars est eligenda. 472
§. 6. *Principium* 6. Frustra remedium quæritur, ubi nulla est læsio. 473
Art. 3. De Principiis ad externam actuum humanarum Regulam seu legem spectantibus. 474
§. 1. *Principium* 1. Omnia sunt licita, quæ nulla lege, aut Iure sunt vetita. ibid.
§. 2. *Principium* 2. Haberi debent ut infecta, quæ contra Ius manifestum sunt confecta. 475
§. 3. *Principium* 3. Impossibilium nulla est obligatio 476
§. 4. *Principium* 4. Posse quis non dicitur, quod contra Ius potest. 477
§. 5. *Principium* 5. Legibus, & non exemplis est judicandum. 478
§. 6. *Principium* 6. Ratio legis, est anima legis. 479
§. 7. *Principium* 7. Non urget Conscientiam lex humana, quando deterrent mala gravia. 480
§. 8. *Principium* 8. Cum ponitur legis executio, non nocet omissa intentio. 481
§. 9. *Principium* 9. Lex pœnalis non urget conscientiam, donec proferat Iudex sententiam. 482
§. 10. *Principium* 10. Extra Territorium Ius dicenti impunè non paretur. 483
§. 11. *Principium* 11. Vbi lex non distingnit, neque nos distinguere debemus. 484
§. 12. *Principium* 12. Consuetudo est optima Interpres legum. 485
§. 13. *Principium* 13. Contra eum, qui legem dicere

potuit apertius interpretatio est facienda. 486
§. 14. *Principium* 14. Auxilium legis frustra invocat, qui committit in legem. 487
§. 15. *Principium* 15. Auctoritas majorum in illicitis excusat. 488
§. 16. *Principium* 16. Non omnium, quę a majoribus constituta sunt ratio reddi potest. 489
§. 17. *Principium* 17. Primum in unoquoque genere est exemplar cæterorum. 590
§. 18. *Principium* 18. Quæ sunt speciali nota digna non censentur esse ablata, nisi expressè nominentur. 591
§. 19. *Principium* 19. Privilegium personale adhæret personæ. 592
§. 20. *Principium* 20. Privilegium meretur amittere, qui permissa abutitur potestate.
§. 21. *Principium* 21. Immunis est à censura quisquis liber est à gravi culpa completa. 594
Art. 4. De Principiis Generalibus ad peccata pertinentibus. 595
§. 1. *Principium* 1. Periculosè determinatur mortalis iniquitas, nisi habeatur expressa veritas: ibidem.
§. 2. *Principium* 2. Delicta suos tenent Auctores. 596
§. 3. *Principium* 3. Pro ratione Delicti erit & plagarum modus. 597
§. 4. *Principium* 4. Peccatum, quod consensu contrahitur, sit ne consensu minimè relaxatur. 598
§. 5. *Principium* 5. Potius oportet quælibet mala tolerare, quàm malo consentire. 599
§. 6. *Principium* 6. Delicta morte finiuntur. 501
Art. 5. De Principiis generalibus ad Virtutes Theologicas pertinentibus. 591
§. 1. De fidei principiis: ibid.
Principium 1. Non debet esse suspecta veritas, quam revelasse summa judicatur veracitas. ibid.
Principium 2. Sine Fide impossibile est placere DEO. 502

Principium 3. Corde creditur ac Iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. 504
§. 3. De Spei Principiis. 505
Principium 1. Spes, quæ videtur, non est Spes. ibid.
Principium 2. Spes non confundit. 506
§. 3. De Caritatis Principiis. 507
Principium 1. Non inest operationi bonitas, cui deest meriti radix caritas. ibid.
Principium 2. Qui non deligit, manet in morte 508
Principium 3. Caritas incipit à seipso. 509
Principium 4. Diliges proximum tuum sicut te ipsum 510
Art. 6. De Principiis ad Iustitiæ Virtutem pertinentibus. 512
§. 1. De Principiis Iustitiæ in genere. ibid.
Principium 1. Cuique Ius suum tribuendum. 522
Principium 2. Iure suo utens nemini facit injuriam. 513
Principium 3. Scienti, & consentienti non fit injuria. 514
Principium 4. Iure suo renuntiare præsumitur, qui Iuri suo contrarium facit. 515
Principium 5. Vim vi repellere licet. ibid.
§. 2. De Principiis ad Dominium pertinentibus. 516
Principium 1. In necessitate extrema omnia sunt Communia. ibid.
Principium 2. Quod Divini Iuris est, in nullius bonis est.
Principium 3. Quod antea nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. 518
Principium 4. Traditionibus ut usucapionibus Dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. 519
Principium 5. Nemo potest plùs Iuris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur. 520

Universidad de Deusto
Biblioteca

Principium 6. Qui prior est tempore, potior est Iure, ibid.
Principium 7. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. 521
Principium 8. Sine possessione præscriptio non procedit. 522
§. 3. De Principiis ad Iustitiam commutativam, & restitutionem pertinentibus. 523
Principium 1. Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. 523
Principium 2. Non damnat reparandi damni omissio, si absit mortalis transgressio. 524
Principium 3. Talis esse debet restitutio, qualem exigit rationabilis Creditoris petitio. 525
Principium 4. Mora sua cuilibet nociva est. 526
Principium 5. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. 527
Principium 6. Paria delicta mutua Compensatione tolluntur. 528
§. 4. De Principiis ad contractus pertinentibus. 529
Principium 1. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. ibid.
Principium 2. Modum suæ rei imponere cuivis licitum est. 530
Principium 3. Non firmatur tractu temporis quod de Iure ab initio non subsistit. 531
Principium 4. Præstat Contractui firmamentum, qui addit legitimum Iuramentum. 532
Principium 5. Semper in Contractibus sequimur, quod in regione, in qua aliquid actum est, frequentatur. 533
Principium 6. Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest. 534
Principium 7. Claudicat Pupilli Contractus, si absque Tutoris assensu est factus. 535
§. 5. De Principiis ad Testamenta pertinentibus. 535
Principium 1. Invalidum est non privilegiatum Testamentum, cui deest necessariæ solemnitatis firmamentum. ibid.
Principium 2. Non obest Testamento deficiens solemnitas, cujus Defectum suplet privilegii qualitas 537
Principium 3. Meretur Testatoris voluntas ultima, ut solicitè Conservetur Dispositionis substantia. 538
Principium 4. Tam diu Testatoris ambulat voluntas quam diu supereſt vivendi facultas. 539
Principium 5. Desiderium morientium ex arbitrio viventium colliguntur. 540
§. 6. De Principiis ad Iustitiam Vindicativam, seu judicia pertinentibus. 541
Principium 1. Nemo Iudex esse potest in propria causa. ibid.
Principium 2. De occultis non judiciat prætor. 542
Principium 3. Sanctiùs est impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. ibidem.
Principium 4. Vt respiciatur personæ diversitas, non patitur ferendæ sententiæ æquitas. 543
Principium 5. Iudex debet esse propensior ad absolvendum, quàm condemnandum, 545
Principium 6. Non agnoscitur latæ sententiæ æquitas, cui deest præscripta Iuris solemnitas. 546
Principium 7. Cùm partium Iura sunt obscura, Reo potiùs favendum est, quàm Actori. 547
Principium 8. Non debet Actori licere, quod Reo non permittitur. 548
Principium 9. Non censere debet sententia Iudicis rata, quæ non fertur secundùm allegata, & probata. 549
Principium 10. Non requiritur alia probatio, quando præcedit propria Confessio. 550
Principium 11. Non est admittendus ad Iudicem, qui propriam allegat turpitudinem. ibid.
Principium 12. Testis producens argumentum destruit Testimonii sui firmamentum. 551

Prin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Principium 13. Inanis est probatio, quæ sumitur ex Rei Domo. 552
Principium 14. Non affert Testis efficax testimonium, nisi firmum adijciat Iuramentum. 553
Principium 15. Inefficax est probatio, quam facit unius Testis assertio. 554
Principium 16. Ad Testimonium in Tribunali dicendum admittitur, quisquis à Iure non excluditur. 655
Principium 17. Obligatur quisque ad dicendum testimonium, si Iudicis legitimi exigat imperium. 556
Principium 18. Plus creditur duobus testibus affirmantibus, quàm mille negantibus. 557
Principium 19. Nullus defensionibus pluribus uti prohibetur. 558
Principium 20. Res judicata pro veritate accipitur. 559
Artic. 7. De principiis ad Religionem pertinentibus. 560
§. 1. De Principiis ad orationem spectantibus. ibid.
Principium 1. Debet orare solicitè, qui cupit rectè vivere. ibid.
Principium 2. Exaudit DEVS infallibiliter, si homo petat convenienter. 561
Principium 3. Non implet Ecclesiæ imperium, qui debito modo non recitat Canonicum officium. 563
Principium 4. Non est liber ab omni crimine, qui officium Canonicum non recitat in tempore. 564
Principium 5. Obligatur ad Divinum officium, quisquis participat Ecclesiasticum Beneficium. 565
§. 2. De Principiis ad Beneficium Ecclesiasticum Spectantibus. 566
Principium 1. Nihil prodest Beneficium Ecclesiasticum, quod non est canonicè obtentum. ibid.
Principium 2. Invalidè possidet Beneficium, quem Iura non agnoscunt idoneum. 567

prin-

Principium 3. Qui sentit commoda Beneficii, sentire debet & onera officii. 568
Principium 4. Non est tutus in Conscientia, qui plura possidet Beneficia. 569
§. 3. De Principiis ad juramentum pertinentibus. 570
Principium 1. Non est illicitum Iuramentum, si debito modo, causaque sit factum. ibid.
Principium 2. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Iuramentum. 571
§. 4. De Principiis ad votum pertinentibus. 572
Principium 1. Votum à DEO non respicitur, quod non de meliore bono esse cognoscitur. ibid.
Principium 2. Ingrata DEO est voventis promissio, si non sequatur ei promissæ redditio. 573
§. 5. De Festorum, & Ieiunium observantia. 574
Principium 1. Nescit legitimè Festa observare, qui præsumit serviliter laborare. ibid.
Principium 2. Frangit Ecclesiasticas abstinentias, qui debitas non observat circumstantias. 575
§. 6. De Principiis ad vitia Religioni opposita spectantibus. 576
Principium 1. Semel DEO dicatum non est ad usus humanos transferendum. ibid.
Principium 2. Vitiat effectum, vel cultum superstitio, si desit causæ vel objecti proportio. 577
Principium 3. non est immunis à Simonia, qui pretio mercatur bona spiritualia. 578
Art. 7. De Principiis ad Sacramenta in genere spectantibus. 579
Principium 1. Non efficitur validum Sacramentum, nisi verbum accedat ad elementum ibid.
Principium 2. Inanis est Sacramentalis actio, cui deest legitima Ministri intentio. 580
Principium 3. Non debet concedi Sacramenti participatio, ubi non supponitur legitima dispositio. 581
Principium 4. Repetendum est Sacramentum, quando non adest certitudinis experimentum. 583

Prin-

Principium 5 Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet. 584
Principium 6. In morbis desperatis satius est, dubiam adhibere medicinam, quàm nullam. 585
Principium 7. Supplendum est in Sacramentis, solicitè, quod priùs prætermissum fuit incautè. 586
Art. 8. De Principiis ad Sacramentum Eucharistiæ pertinentibus. 587
Principium 1. Quod vitæ Spirituali conservandæ institutum est Eucharistiæ Convivium, non est trahendum in mortis pernicioſum exitum. ibid.
Principium 2. Non potest æternum vivere, qui cibum vitæ non sumit in tempore. 588
Principium 3. Sumit Eucharistiam legitimè qui sumit sub una specie. 589
Principium 4. Iure merito vivit de Altari, qui proper Altare studuit operari. 590
Art. 9. De Principiis ad Sacramentum pœnitentiæ spectantibus. 591
Principium 1. Non remittitur facta à DEO aversio, nisi fiat iterata ad ipsum Conversio. ibid.
Principium 2. Sperari non potest à DEO peccati remissio, nisi præcedat ejusdem dolorosa confessio. 592
Principium 3. Non nocet omissa circumstantia, quando salva manet ipsa Sacramenti substantia. 593
Principium 4. Non habet verum Emendationis propositum, qui non vult vitare peccandi periculum. 594
Principium 5. Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. 595
Art. 10. De Principiis ad Sacramentum Matrimonii spectantibus. 596
Principium 1. Nuptias non concubitus, sed consensus facit. ibid.
Principium 2. Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. 597
Principium 3. Duo vincula fortius ligant, quàm unum. 598

Prin-

Principium 4. Errantis nullus est consensus. ibid.
Principium 5. Actus, qui non valet, ut geritur, saltem valet, ut valere potest. 599
Art. ult. Quinam potissimùm Authores legi possint ab iis qui in Theologiæ moralis studio magis se perficere desiderant. 600

APPEN-

APPENDIX.

Comprehendens Methodum Compendiariam reformationis Ecclesiasticæ in Decretis Concilii Tridentini contentæ. 650

PARS I.

De Iis, quæ ad fidem, seu Sacramenta pertinent. 604
Cap. 1. De Professione Fidei. ibid.
Cap. 2. De Sacra Scriptura. ibid.
Cap. 3. De Reliquiis, & Imaginibus. 610
Cap. 4. De indulgentiis. ibid.
Cap. 5. De Sacrificio Missæ. 611
Cap. 6. De Sacramento ordinis. 612
§. 1. De Prima Tonsura, & ordinibus minoribus. ibid.
§. 2. De ordinibus majoribus. 613
§. 3. Quo tempore ac loco, & à quo Episcopo Ordines conferri debeant. 614
Cap. 7. De Sacramento Matrimonii. 616

PARS II.

De Officio, & Iurisdictione Episcoporum. 619
Cap. 1. De qualitate, promotione, & consecratione Episcoporum. ibid.
Cap. 2. De moribus, Residentia, Auctoritate Episcoporum. 620
Cap. 3. De Prædicatione Verbi DEI. 622
Cap. 4. Conciliis, Provincialibus & Diœcesanis. 623
Cap. 5. De Potestate in Capitula. 624
Cap. 6. De Visitatione Diœcesis. 625
Cap. 7. De Cura Parochorum, & Parrochiarum. 627
Cap. 8. De Seminariis Clericorum. 629

Cap.

Cap. 9. De potestate in Beneficiis conferendis, uniendis, commutandis. 631
Cap. 10. De potestate in Ecclesias, aliasque loca, & quavis dispositiones pias. 634
Cap. 11. De Amplissima jurisdictione Episcoporum in foro Ecclesiastico. 636
§. 1. De potestate absolvendi, dispensandi, puniendi. ibid.
§. 2. De Causis ad Episcopus pertinentibus, & Appellatione ab illis. 638
§. 3. De potestate in exemptos, & privilegiato. 640

PARS III.

De Disciplina reliquorum Ecclesiasticorum, & partim Laicorum. 643
Cap. 1. De iis, quæ omnibus Ecclesiasticis sunt communia. ibid.
Cap. 2. De Beneficiatis, & præcipuè de Curatis. 645
Cap. 3. De Canonicis, & Capitulis. 647
Cap. 4. De Regularibus. 650
§. 1. Regularibus omnibus communia: ibid.
§. 2. Quibusdam Monasteriis virorum peculiaria. 652
§. 3. Monialibus propria. 653
§. 4. Ad executionem spectantia. 655
Cap. 5. Ecclesiasticis, & Laicis communia. 656
§. 1. De Iure Patronatus. ibid.
§. 2. De Libertate Ecclesiastica. 657
§. 3. Alia quædam tam Ecclesiasticis, quàm laicis vitanda, & observanda. 658

NOI

Universidad de Deusto
Biblioteca

NOI REFORMATORI
Dello ſtudio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Antonio Leoni Inquiſitore nel libro intitolato : *Inſtructiones Practicæ P. Tobiæ Lohner S. I. Sacerdotis*, non vi eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica ; & parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, nè buoni coſtumi, concediamo licenza, che poſſi eſſere Stampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 16. Aprile 1697.

(*Aſcanio Giuſtinian Proc. Rif.*
(*Sebaſtian Foſcarini Cav. Proc. Ref.*

Agoſtino Gadaldini Segr.

Adi 5. Marzo 1699.
Regiſtrata nel Magiſtrato Eccellentiſſimo degl' Eſecutori contra la Beſtemmia.
Antonio Canal Not.

TRACTATVS I.
INSTITVTIONES
THEOLOGIÆ POSITIVÆ, COMPLECTENS.

Proœmium.

QVid ſit hæc Theologia, ſuprà in Præfatione jam ſatis eſt indicatum, quod ſcilicet ſit illa Scientia, quæ in Genuino Sacræ Scripturæ ſenſu indagando & explicando occupatur. Ex qua definitione facilè patet, objectum materiale illius adæquatum eſſe ſolam & unicam S. Scripturam ; formale verò objectum dici poſſe legitimam explicationem illius ; hæc enim velut finis ultimus & adæquatus ab ea intenditur. Vnde in his duobus objectis explicandis totus hic Tractatus conſiſtet, quem proinde in duos libros dividam, in quorum priore de Nominibus. Diviſione, Auctore, & accidentibus S. Scripturæ agetur, in poſteriore verò ea, quæ ad objectum illius formale, ſeu legitimam interpretationem, varioſque ſenſus eruendos pertinent, breviter & ſuccinctè, prout Inſtitutionum titulus exigit, explicabuntur.

Cæterùm quantopere hujus Theologiæ ſtudium, univerſis quidem, ſed præcipuè Sacerdotibus commendatum eſſe debeat, vel ex eo colligi poteſt, quòd S. Ambroſius de fide ad Gratian. l. 3. c. 7. S. Scripturam, *Librum Sacerdotalem* (id eſt, à Sacerdotibus præcipuè verſandum & explicandum) *ſignatum à Confeſſoribus, & multorum jam Martyrio conſecratum* appellaverit. S. Dionyſius Areopagita verò c. 1. de Eccl. Hier. *Sacerdotis ſubſtantiam* vocaverit ; ſic enim loquitur : *At rei cujuſpiam ſubſtantia, potiùs nihil. Nihil igitur Concionatori antiquius eſſe debet, quàm ut in Sacrarum lectione ſit totus, eam nunquam intermittat : & quamquam aliis libris legendis deſit tempus, huic deſit nunquam.* Vt adeò ſibi non immeritò applicare debeant Sacerdotes verba illa, quæ olim DEVS ad Ioſue c. 1. dixit : *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo ; ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias, & facias omnia,*

nia, quæ scripta sunt in eo, tunc dirigès viam tuam, & intelliges eam. Quę omnia ut tantò faciliùs, perfectiùsque præstare queat, ea quæ mox in præsenti tractatu dicentur, non modicè conducent.

LIBER I.

DE OBIECTO MATERIALI THEOLOGIÆ POSITIVÆ SEV DE IPSA SCRIPTVRA SACRA.

ETSI plurima sint, quæ ad majorem præstantissimi huius objecti cognitionem, æstimationemque ingenerandam dici possent, pleraque tamen ad quinque titulos generales revocari queunt, videlicet ad Nomenclationem, definitionem, divisionem, Authorem, & proprietates, seu accidentia S. Scripturæ; quæ proinde eodem ordine, atque sub ijsdem titulis proponentur.

TITVLVS I.

De Nomenclatione S. Scripturæ.

VAriis quidem nominibus appellari consuevit S. Scriptura, sed quæ omnia idem significant, solùmque rationes & effectus varios occultè insinuant, ob quas hæc vel illa Nomenclatio libro S. Scripturæ sit data.

Et primo quidem ac ordinariè *Scriptura* appellatur in plurali vel singulari numero, eò quòd ipsa præ reliquis libris digna fuerit, ut scriberetur, & legeretur, atq; adeo per Antonomasiam *Scriptura* dici mereatnr. Additur tamen frequenter etiam *Sacra* aut *Sancta*, tum ob ipsius Authoris, scilicet Spi-

Spiritus Sancti sanctitatem: tum quia in se sancta est, & ad ipsos etiam Homines sanctificandos ordinata.

Secundò. Eadem Scriptura etiam *Bibliorum Sacrorum*. nomen accepit, quod itidem per Antonomasiam illi convenit, ac apud Latinos idem ac *Libri Sancti* significat, quo in sensu Author Libri Machabeorum l. 1. c. 12. eos accepit, dum dixit: *Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris*. Cur autem in plurali numero *Biblia* vocentur ratio est; quia totum Scripturæ Sacræ volumen varios in se libellos continet, uti infrà dicetur: interdum tamen apud Latinos unus Liber appellatur, uti S. Augustinus in Psalm. 150. his verbis testatus est: *Sunt, qui uniuersas Scripturas Canonicas unum Librum vocant, quòd valde mirabili & divina unitate concordent*.

Tertiò. Etiam Scriptura *Canonica* appellatur, tum à S. Augustino l. c; tum à Concilio Tridentino Sess. 4.; eò quòd Libri, quos continet, in Sacrorum Librorum Canonem ab Ecclesia sint recepti; & quia rectè vivendi ac credendi Canonem seu normam exhibent: & præterea etiam sunt regula, ad quam omnes aliæ Scripturæ examinari, dirigi, & conformari debent.

Quartò. Eadem S. Scriptura frequenter *Testamenti* nomine exprimitur: quæ Nomenclatio, teste Menochio l. 1. proleg. duplici ex titulo ei attribuitur, nempe & quia generatim Mentem ac Voluntatem DEI manifestat, & testatur; & quia speciatim varia DEI cum Hominibus fœdera, pactaque de terrenis, cœlestibusque bonis, de præceptorum & cæremoniarum observatione, præmio, ac pœna patefacit: quam ob causam etiam *Instrumentum* interdum à SS. Patribus vocari consuevit; licet alii etiam ideo Instrumentum appellatum existiment, eò quòd à Deo tanquam Organum adhibeatur ad diuinas reuelationes Hominibus communicandas, virtutesque imprimendas.

Quintò denique S. Paulus Rom. 3. & S. David S. Scripturam vocant *Eloquia DEI*; quia, ut Salmeron c. 1. proleg. ait, verè per illa tanquam certissima quædam oracula DEVS nos alloqui dignatus est, suàmque nobis mentem ac promissiones asserere voluit, & præterea S. Scripturæ præcipuè conveniunt illæ proprietates, ac præconia, quæ S. David Ps. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eloquiis DEI attribuit dicens: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.*

TITVLVS II.

De Definitione S. Scripturæ.

VT hæc definitio faciliùs assignetur, necessariò priùs objectum S. Scripturæ indagandum est; cùm enim quævis definitio genere & differentia constare debeat, differentia autem scientiarum aut cognitionum ex respectu ad objectum desumatur, meritò ejusmodi objectum ante omnia alia inquiritur.

Porro de hoc S. Scripturæ objecto non omnes Commentatores æqualiter discurrunt. Cornelius de Lapide §. 1. cap. 2. proæm. n. 12. sic loquitur: *Vis Verbo dicam? S. Scriptura objectum habet omne scibile, omnes disciplinas, & quidquid sciri potest, sinu suo complectitur, ideoque universitas quædam est scientiarum, scientias omnes vel formaliter, vel eminenter continens.* In cujus suæ opinionis confirmationem adducit sententiam Originis in cap. 1. S. Ioan. sic discurrentis: *Divina Scriptura Mundus est intelligibilis suis quatuor partibus, veluti quatuor elementis constitutus; cuius terra est velut in medio instar centri, scilicet historia: circa quam aquarum similitudine abyssus circumfunditur moralis intelligentiæ: Circa Historiam & Ethicam veluti duas Mundi huius partes aer ille naturalis scientiæ circumvoluitur: extra autem omnia & ultra Æthereus ille & igneus ardor empyrei cæli, id est, superna contemplatio divinæ naturæ, quam Theologiam nominant, circumglobatur.* Verùm hoc objectum utpote nimis generale minus aptum videtur ad propriam S. Scripturę definitionem conficiendam.

2. Itaque Nicolaus Serarius cap. 2. proleg. ait, generatim loquendo materiam seu objectum S. Scripturæ esse *Verbum DEI scriptum*; speciatim verò res varias, quas Biblia proponunt, quæque uno quasi verbo dici possunt *DEVS in se, suisque operibus consideratus.* Verùm & hoc objectum, saltem secundùm posteriorem partem universale nimis, atque historicis

storicis libri S. Scripturæ minùs convenire videtur.

3. Igitur S. Augustinus in Psalm. 71. videtur Christum pro objecto S. Scripturæ assignare, dùm omnia, quæ in sacris litteris sunt scripta, ad Christum referri docet his verbis: *Omnes promissiones DEI in Christo formatæ sunt, quando in illo completum est quidquid pro salute nostra prophetatum est. Hoc autem in terra esse voluit, quia propter eos, qui in terra sunt, illa conscripta sunt. Vnde & ipse in terram venit, ut ea cuncta firmaret, id est, in se monstraret impleri. Oportebat enim, inquit, impleri omnia, quæ scripta sunt in lege & Prophetis, & psalmis de me?* Sed neque hoc objectum rectè historicis S. Scripturæ libris convenire videtur.

Quare rectiùs videtur primum Serarii objectum, scilicet *Verbum DEI scriptum* assignari, atque adeò S. Scriptura sic definiri: *Est Verbum DEI Sacris Scriptoribus divinitus inspiratum, & ab his postea scripto aliis Hominibus communicatum.* In qua quidem definitione generis loco ponitur Verbum DEI divinitus inspiratum: differentiæ verò loco dicitur, quod scripto communicatum sit, per hoc enim à Verbo DEI non scripto seu Traditionibus differt.

TITVLVS III.

De Divisione S. Scripturæ.

PRiùs, quàm divisio S. Scripturæ assignetur, necessariò explicare oportet, quinam sint libri, qui, ut S. Hieronymus loquitur, in numero Sanctarum Scripturarum computari merentur; nam, teste S. Augustino l. 2. contra Cresc. cap. 31. *Salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum Libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris vel fidelium vel infidelium libris iudicemus.*

Porro quinam Libri Canonici censeri debeant Sacrosancta Synodus Tridentina Sessione 4. sequentibus verbis declaravit: *Sacrorum verò Librorum Indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt verò infrascripti Testamenti veteris, quinque Moysis, id est, Genesis Exodus, Leviticus, Numeri,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

meri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Hester, Iob, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum, Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas Michæus, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabeorum primus & secundus. Testamenti novi quatuor Evangelistarum secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem. Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, Ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudæ Apostoli una, & Apocalipsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro Sacris & Canonicis non receperit, anathema sit. Ita Trident. l. c. quibus suppositis, facile nunc erit, divisionem S. Scripturæ assignare, utpote ab ipso jam Concilio assignatam.

Dividitur ergo S. Scriptura receptissimà divisione in *Vetus ac Novum* Testamentum. Vetus dicitur; quod libros ante Adventum Christi scriptos continet; Novum vocatur, quod Evangelia, aliòsque libros post Christi Nativitatem scriptos comprehendit; & in quatuor partes subdividi potest, videlicet in Evangelia, Epistolas, Actus Apostolorum, & Apocalypsin, sicut Vetus Testamentum in Historicos, Legales, Psalmisticos, Doctrinales, & Propheticos subdividitur. Rectè autem circa duplex hoc Testamentum notat Salmeron proleg. 22. in multis antecellere Novum Veteri Testamento. 1. *Propter ipsum immediatum Autorem*; nam in Veteri solùm per Moysen & Prophetas: In Novo autem per ipsum Filium suú locutus est, uti & per Apostolos, qui veluti primitias Spiritus habétes, gratia & sanctitate longè superant Prophetas. 2. *Propter perfectionem maiorem*: tum quia Vetus Testamentum ad Novum tanquam ad finem, qui utique perfectior est mediis, ordinatur; tum quia Novum Testamentum continet excellentiora man-

mandata, nobiliora promissa, sanctiora & efficaciora, Sacramenta illustriora Christi, & Sanctorum exempla, & majora præmia 3. *Propter durationem longiorem*: nam Vetus ad certum duntaxat tempus durauit; Novum autem Testamentum in æternum durabit. 4. *Propter amplitudinem*; quia Vetus Testamentum soli Populo ex Iacob descendenti datum fuerat: novum autem ad omnes nationes pertinet, uti Christus indicavit, dum Evangelium omni creaturæ prædicari jussit: 5. *Propter perspicuitatem & claritatem maiorem*: nam in Veteri omnia sub velo, umbra, & ænigmate docebantur; in Novo autem omnia apertè & dilucidè, præsertim quæ ad Christum pertinent, traduntur. 6. *Propter utilitatem*: nam quantùm Nucleus Cortici, corpus umbræ, triticum nudum paleis, tantùm lex nova veteri præstat, utpote in qua sacrificia egena & infirma, per quę nemo à peccati jugo solvi, Deoque reconciliari poterat.

TITVLVS IV.

De Auctore S. Scripturæ.

ETiam hæc quæstio non modicè conducit ad æstimationem S. Scripturæ conciliandam & augendam; quò major enim est dignitas, authoritasque Authoris, hoc maior etiam æstimatio, veneratioque ipsi S. Scripturæ accedet. De duplici autem Authore quæstio hoc loco fieri potest, de primario scilicet, seu eo, qui dictavit & inspiravit S. Scripturam: & de secundario seu Instrumentali, qui velut Amanuensis conscripsit ea, quæ à primario Authore dictata sunt, aliisque communicavit.

De Primario autem Certum est apud Catholicos eum esse solum DEVM; idque colligunt ex variis testimoniis & argumentis 1. *Ex testimonio ipsius DEI*, qui non rarò miraculis, & portentis hanc veritatem confirmavit, ut, dum in Africa Biblia à Fidei hostibus in ignem conjecta, illæsa servavit, & sereniſſimo cælo magnam vim imbrium ad extinguendum ignem misit, uti Baronius ad annum 20 Christi refert; qui ad annum 755. etiam addit, repertum à S. Bonifacio Moguntino Præsule Evangelii Codicem, qui licèt, medius sectus el-

Universidad de Deusto
Biblioteca

set nullius tamen literæ deletio facta apparuerit. Sed & Delrius l. 6. c. 2. s. 3. Magic. disquis. testatur, non rarò Dæmones ab obsessis corporibus sola Sacris codicis applicatione depulsos fuisse. Præ reliquis verò memorabile est, quod Eusebius l. 8. præpar. Evang. c. 1 narrat, scilicet quòd miranti Ptolemæo Regi, cur divinorum librorum nulli neque Historici, nec Poetæ veteres meminissent, Demetrius Phaleræus responderit, divinam hanc esse Scripturam, atque à DEO datam, propterea si qui prophanorum Hominum eam attingere voluerunt, eos à DEO percussos continuò resiliisse, uti ibidem exemplo cujusdam Theopompi divina volumina græca oratione ornare volentis, subitaque mentis agitatione perturbati, & alterius Theodori divinam Scripturam in his Tragœdiis adhibere conantis, & repentina cecitate puniti probat.

2. *Ex Christi & Apostolorum testimonio*: qui in suis sive Concionibus, sive Colloquiis, sive Epistolis passim suam doctrinam sententiis & testimoniis ex divino Codice petitis confirmarunt, uti fusiùs Bellarminus to. 1. l. 1. c. 2. ostendit, idque etiam Moysi, & antiquis Prophetis in usu fuisse probat.

3. *Ex testimonio SS. Patrum*; qui nullo ferè argumentorum genere, quàm Sacrarum literarum testimonio in suis sermonibus, librisque sunt usi; sed & DEVM earum Authorem claris testimoniis sunt professi. Ex multis duo vel tria sufficient. S. Gregorius l. 4. Epist. 84. ad Theodorum Medicum scribens, ac, quod S. Scripturam negligenter lectitaret, reprehendens *Imperator Cœli*, inquit *Dominus Angelorum & Hominum pro vita tua tibi Epistolas suas transmisit, & tu illas ardenter legere negligis? quid est enim S. Scriptura, nisi quædam Epistola, Omnipotentis DEI ad suam creaturam?* S. Augustinus verò Epist. 19. sic scribit: *Ego fateor Caritati tuæ solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Authorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam; alios ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia scripserunt.* Origenes quoque l. 4. de princip. cap. 1. idipsum sequentibus verbis confirmat: *Si quis eum omni studio ac reverentia, qua dignum est prophetica dicta considereret, in eo ipso, dum legit, & diligentius intuetur, certum est, quod aliquo diviniore spiramine mentem, sensusque pulsatus agnoscit, non Ho-*

Hominibus esse probatos eos, quos legit, sed DEI esse sermones, & ex semetipso sentiet, non humana arte, nec mortali eloquio, sed divino, ut ita dixerim, cothurno libros esse conscriptos.

4. *Ex incredibili quadam & planè divina conspiratione atque concordia* tot virorum, qui diversis locis, temporibus, linguis, occasionibus sacra volumina conscripserunt, ut non tam Scriptores ipsi diversi, quàm unius Dictatoris calami diversi vel Amanuenses fuisse videantur. Vbi specialiter memoranda, & admiranda venit septuaginta duorum Interpretum versio, qui à Ptolemæo Rege evocati, & seni ex singulis tribubus Iudæorum missi, atque ut communior & probabilior habet opinio, in diversas cellulas inclusi, usque adeò in interpretatione convenerunt, ut una versio videri potuerit.

5. *Ex innumerorum Martyrum testimonio*, qui veritatem istam veluti divinam suo sanguine obsirmatam posteritati reliquerunt, de quibus Martyrologium Romanum 2. Ianuarii sic loquitur: *Romæ commemoratio plurimorum SS. Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo Sacri Codices tradi iubebantur, potiùs corpora Carnificibus, quàm Sancta dare canibus maluerunt.*

6. *Ex Vaticiniorum veritate*: de qua S. Augustinus l. 10. de civ. DEI c. 10. sic discurrit: *Quantò minùs credendum est illis literis, quas plenas fabulosis velut antiquitatibus proferre voluerunt contra auctoritatem notissimorum, divinorumque librorum quæ totum orbem sibi creditarum esse prædixit, & cui totus orbis sicut ab ea prædictum est, credidit: qua vera se narrasse præterita ex his, quæ futura prænunciavit, cùm tanta veritate complentur, ostendit.*

7. *Ex ipsa materia*, quæ nihil, nisi sanctum & rationi maximè conforme continet; ita ut meritò in Sinarum regno Prætor quidam, dum Decalogum in Sacra Scriptura propositum audivisset, multis Proceribus audientibus dixerit: *Lex divina est, si enim à Rege aliquo condita fuisset, ipsius tantùm regni usui fuit; at hæc universalis est, omnibusque omnium Gentium & Regnorum Hominibus consentanea est; ideòque ab Orbis totius Authore est.*

Secundarium S. Scripturæ Authorem quod attinet, in novo quidem Testamento, Author cujusque sive Evangelii, sive Epistolæ, ex ipso titulo facile agnoscitur, exceptis Actibus

Apo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolorum, quæ tamen à S. Luca conscripta fuisse, suprà ex Concilio Tridentino vidimus; in veteri autem Testamento, licet de aliquorum librorum Authore secundario certent, ac discrepent Commentatores, hæc tamen discrepantia parvi facienda est, uti sapienter advertit S. Gregorius, dum in præfat. in Iob dixit, non esse anxiè indagandum, quisnam divini alicujus libri Author extiterit, eò quòd ille Spiritus Sancti calamus duntaxat fuerit; atque adeò eum, qui multùm de tali Authore indagando sollicitus esse vellet, perinde facturum, ac faceret ille, qui acceptis & lectis præstantis cujuspiam viri litteris ad se datis, studiosè inquireret, quonam calamo essent exaratæ, earum autem Authorem & sententiam cognoscere parui duceret.

TITVLVS V.

De Proprietatibus S. Scripturæ.

IAm supra insinuatum est, non strictè hic sumi proprietates, sed latè pro omni eo prædicato, quod est extra conceptum essentiæ; quo in sensu sequentes potissimùm proprietates attribuuntur S. Scripturæ, infallibilitas, Authoritas, necessitas, utilitas, jucunditas, simplicitas, eloquentia, profunditas, obscuritas, de quibus eodem ordine breviter per sequentes paragraphos est agendum.

§. I.

De Infallibilitate S. Scripturæ.

Meritò hæc proprietas primo loco ponitur, quia ita convenit S. Scripturæ, ut nulli alteri, quantumvis classico & probato libro conveniat; cùm omnes hi libri ab Hominibus sint conscripti, & excogitati, omnis autem homo mendax, solus DEVS verax sit, teste Apostolo Rom. 3. Vnde, quod supra S. Augustinum dixisse vidimus, quòd scilicet solis Canonicis libris didicerit hunc honorem deferre, ut nihil in illis erroneum reperiri firmissimè credat, hoc meritò quivis etiam alius Christianus dicere potest, & debet.

Cæ-

Cæterùm ex triplici potissimùm argumento colligitur hæc infallibilitas S. Scripturæ. 1. *Ex veracitate infinita ipsius* DEI: cùm enim DEVS sit Author primarius S. Scripturæ, ut suprà fusiùs probatum est; & ratione suæ infinitæ veracitatis errare non possit, rectè deducitur, ipsam quoque S. Scripturam, quæ nihil aliud est, quàm Verbum & eloquium illius, infallibilitatem omnimodam continere. Vnde meritò Hugo l. 3. de anima dixit: *In Sacra Scriptura, quidquid docetur, veritas: quidquid præcipitur, bonitas: quidquid præcipitur, felicitas est. Nam DEVS est veritas sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria.*

2. *Ex infallibili assistentia Spiritus Sancti ipsi Ecclesiæ promissa*: Ratione cujus dicitur columna & firmamentum Veritatis à S. Paulo 1. Timoth. 3. cùm ergo hæc definierit, S. Scripturam pro infallibili regula & norma veritatis habendam esse, meritò etiam ex hoc capite infallibilitas ei attribuitur.

3. *Ex ipsius continuæ experientiæ testimonio*; quo compertum est, quòd, licet S. Scriptura aut veritati non satis congrua, aut sibi invicem contradicentia dixisse arguta sit, nunquam tamen ullius manifestæ falsitatis convicta sit; uti satis clarè S. Augustinus de prædest. grat. indicavit, dum dixit: *Quilibet Lector, qui expositurus Sacram Scripturam aggreditur, cùm in Sacrarum voluminibus literarum, aliqua velut diversum sonante sententia sollicitatur, certa & inconcussa fide tenere debet, nusquam deesse veritatem, etsi non facilè propter magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit.*

§. II

De Authoritate S. Scripturæ.

Quàm necessaria sit hæc authoritas, breviter indicavit S. Augustinus l. 1. de doctr. Christ. c. 37. dum dixit: *Tituhabit fides, si divinarum scripturarum vacillet authoritas.* Vt autem faciliùs ostendatur, quomodo hæc authoritas S. Scripturæ conveniat, notandum est ex Serario c. 7. proleg. duo ad authoritatem requiri. 1. Excellens quodpiam donum, quod sit quasi fundamentum authoritatis, ob quod alteri fides, obedientia, vel honor debeatur; ut enim bene advertit Tullius,

non

non cani, non rugæ repente authoritatem adferre possunt, sed honestè acta Superiorætas fructus authoritatis carpit extremos. 2. Requiritur respectus ad eos, à quibus honor & obedientia exhibenda sunt; unde oportet hos cognoscere in altero donum illud, propter quod dicta officia præstare debent. Ex quibus facile nunc patet, maximam esse Scripturæ Sanctæ authoritatem, cùm & contineat summam veritatem, ob quam firmissimum ab omnibus illam cognoscentibus assensum mereatur; & præterea propter respectum ad DEVM, quem habet tanquam verbum & eloquium illius, etiam summam dignitatem sortiatur, ob quam summus ei honor & Reverentia debeatur.

Fuisse autem hanc Authoritatem etiam ab Ecclesia semper agnitam, pluribus testimoniis, sed triplici præcipuè probari potest. 1. Ex antiquorum Christianorum more, qui, ut B. Paulinus epist. 12. ad Severum testatur; in templis suis duo Secretaria à dextro & sinistro latere aſidis constituebant, quorum alterum Sanctissimæ Eucharistiæ, alterum Sacræ Scripturæ libris condendis erat destinatum. In Conciliis autem Oecumenicis Sacer Evangeliorum Codex loco medio in alto throno collocabatur, uti P. Antonius Balinghem c. 1. præp. ad S. Script. testatur.

2. *Ex Sanctorum, aliorùmque præstantium virorum exemplo*: inter quos meritò primo loco numerandus venit S. Carolus Borromæus, qui, teste eodem Balinghem, Sacra Biblia nudo capite, & flexo poplite lectitare consueverat. S. Edmundus verò nonnisi osculo priùs libato eadem aperire solebat. S. Cæcilia Sacrum Evangelii codicem perpetuò in pectore gestabat, ut suum erga verbum divinum affectum & reverentiam ostenderet. Sed & de Alphonso Aragonum Rege Panormitanus l. 2. de ejus gestis scribit, eum Sacrorum Bibliorum volumen integrum decies & quater perlegisse, idque etiam Cemmentariis illustratum, tam firmiter memoriæ impressisse, ut non modò res singulas probè teneret, sed etiam bene longas earum partes verbotenus memoriter recitaret.

3. *Ex ipsorum etiam Iudæorum*, qui in veteri Testamento primaria erant Ecclesiæ membra, *testimonio*: qui, ut Balinghem l. c. testatur, nunquam nisi lotis manibus Sacra Biblia contingunt; & quoties ea aperiunt, aut claudunt, reverenter osculantur; nec in eo scamno sedent, in quo Biblia jacent; si verò ea in terram casu cadere contingerit, integro die à cibo abstinent.

§. III.

De Necessitate S. Scripturæ.

Vt hæc necessitas, quæ non parùm conducit ad S. Scripturæ excellentiam demonstrandam, clariùs intelligatur, supponendum imprimis est cum Salmerone proleg. 1. non fuisse simpliciter necessarium, ut doctrinæ illæ, quæ in Bibliis de facto continentur, literis mandarentur, cùm DEVS eam singulis, vel certè majoribus viva voce manifestare potuisset, sicut de facto à tempore Adami usque ad Moysen per spatium bis mille annorum & amplius Homines sine Scriptura Sacra vixerunt. Nihilominus tamen rectè notat idem Author, quatuor ob causas moraliter necessarium fuisse, ut Scriptura Sacra à DEO nobis relinqueretur.

Primò, ut esset oblivionis medicamentum, & memoriæ auxilium: cùm enim post Moysis & Christi adventum innumera fidei Mysteria Hominibus communicata sint, meritò ad ea capienda fragilis ac tenuis Hominum memoria minùs sufficiens credi poterat, atque adeò ipsam Scripturam velut non modicum memoriæ subsidium exigebat.

Secundò, ut doctrinis divinis firmior fides haberetur; cùm quotidiana experientia doceat, magis quiescere intellectum, firmiùsque assentiri, si non simpliciter duntaxat aliquid referri audiat, sed publici etiam Notarii manu annotatum advertat.

Tertiò, ut maior humilitatis, obedientiæ, fidei, aliarùmque virtutum esset occasio, si ad alios recurrere, atque obscurarum Scripturarum explicationem emendicare cogerentur Homines.

Quartò denique, ut, quia magnum fuisset periculum, ne, si doctrinæ sacræ cuivis per revelationem propriam traditæ fuissent, per proprium amorem & sensum, Cacodæmonùmque fallaciam & astutiam seduceremur, infallibilis haberetur regula, ad quam velut Lydium lapidem Spiritus pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

probarentur, omnèsque doctrinæ, non secus ac conclusiones per sua principia demostrarentur. Vnde rectè hortatus est primos Christianos S. Petrus ep. 2. c. 1. dicens: *Habemus firmiorem propheticum Sermonem, cui benè facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus nostris.* Quod ipsum etiam confirmans S. Chrysostomus in Psalm. 95. *si quid dicatur*, inquit, *absque scriptura, Auditorum cognitio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans; & interdum Sermonem ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens: Verùm ubi ex Scriptura divinæ vocis prodiit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.*

Totam hanc de necessitate S. Scripturæ doctrinam Alphonsus Salmeron l. 1. eleganti similitudine demonstrat, dum ait, Mundum, antequam Moyses, scriberet, fuisse similem Puero, qui per ætatem necdum aptus est, ut ad Scholam mittatur, ideòque domi tantùm à Parentibus & Nutrice per traditionem eruditur. A tempore Moysis verò fuisse similem Puero ad scholas quidem eunti, sed ob ætatem & parvam capacitatem necdum satis intelligere valenti, quæ dicuntur. Post Christi adventum autem similem esse Adolescenti, qui ea, quæ à Præceptoribus tradita sunt, etiam si ardua, intelligere ac dijudicare valet, sed imperfectè & ex parte duntaxat; donec in altera vita evadat in virum perfectum, & nemine exteriùs docente, omnia per seipsum clarissimè in verbo divino cognoscat.

§. IV.

De Vtilitate S Scripturæ.

De hac utilitate in genere sapienter & verè discurrit S. Augustinus l. 2. de doctor. Christ. cap. ult. dum dixit: *Quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur: si utile est, ibi invenitur. Et cùm ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantiùs ibi inveniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.* In specie verò quatuor assignat utilitates S. Paulus 2. Tim. 3. dum ait: *Omnis Scri-*

Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum instructus. Ad quas sanè utilitates velut radices & fontes aliarum omnes reliquæ revocari possunt, ex uti earum clariori explicatione mox subjicienda patebit.

Primo ergo *ad docendum* utilis dicitur S. Scriptura; quod usque adeò proprium est illi, ut meritò prima scientiarum dicatur, vtpote quæ ipsi Theologiæ, scientiæ augustissimæ principia dictat, quibus Theologus suas demonstrationes, mentis ratiocinio velut Matre fœtus novos gignat atque proliciat, quemadmodum Cornelius de Lapide in procem. c. 1. loquitur, ubi etiam addit, eum, qui Theologiam à S. Scripturæ commentatione divellere se posse putat, prolem sine Matre, domum sine fundamentis, & ad instar terræ pensilem, aquæductus sine scaturigine, segetem sine semine, conclusionem sine principiis, uti desultoria, ita delusoria levitate frustra sperare, & ex pectare; id quod authoritate S. Dionysii c. 1. de divin. nomin. probat, sic discurrentis: *Nulla ratione præsumendum est, aliquid de supersubstantiali, secretissimàque Deitate dicere aut cogitare, præter ea, quæ nobis sacra eloquia tradiderunt; nam suprema, divinaque scientia, ignorationis illius ipsi adscribenda, tantùmque fas ad celsiora contendere, quantum seipsum divinorum eloquiorum radius insinuare dignatur, cætera verò ut ineffabilia casto honoranda silentio. Est enim mens illa omnibus inaccessa substantiis, sed ab ea, quantum illi placet, porrecta manu, sacris literis subvehimur ad Supremos illos fulgores hauriendos, atque ab his ad diuinos hymnos dirigimur, & sacras laudationes effingimur.* Quare non immeritò ob hanc utilitatem Antonius Balinghem c. 10. n. 8. præpar. ad loc. comm. S. Scripturam Soli comparat, eò quòd sicut Sol Dux, & Princeps, & Moderator Luminum reliquorum tanta est magnitudine ac fulgore præditus, ut cuncta suo lumine illustret, etiam eos, qui nobis stant obliqui seu adversi; sic S. Scriptura suis doctrinis penetret omnia, & in omnem partem se propaget, etiam ad ipsos adversos nobis Antipodas.

Secundò *ad arguendum* quoque utilis est, id est, ad errores & hæreses convincendas; ob quam causam rectè à nonnullis illa Canticorum c. 4. verba eidem applicantur: *Sicut turris*

Davidis collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium. Verè enim, ut Iustus Episcopus in Cant. ait, *in hac Sancta Scriptura omnis armatura fortium reperitur, ex qua vel contra Diabolum, vel contra Ministros eius fortiter repugnatur; nam & ipse Dominus, cùm in deserto tentaretur, ex hac turri arma produxit, cùm eum prolatis ex S. Scriptura testimoniis usquequaque devicit.* Vnde meritò in publicis Conciliis Oecumenicis, ut suprà vidimus, hæc Scriptura in medio statuebatur, vt indicaretur, hoc esse armamentarium, ex quo Patres ejusdem Concilii, qui velut Sexaginta fortissimi Ecclesiam tanquam lectulum Salomonis cœlestis, id est, Christi circumdant, & protegunt, arma ad hæreles profligandas essent deprompturi. Sed & S. Paulus id ipsum confirmavit, dum Christianos Milites instructurus Eph. 6. ex hoc armamentario arma desumpsit, dicens: *Propterea accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere : & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est Verbum DEI.*

3. *Ad corripiendum* quoque, id est, peccata castiganda & corrigenda utilem esse S. Scripturam, præclarè S. Chrysostomus Conc. 3. de Lazaro docuit sequentibus verbis: *Magna adversus peccatum munitio est Scripturarum lectio; magnum præcipitium, profundum baratrum Scripturarum ignoratio, ea res vitam corruptam invexit, hoc sursum, deorsum miscuit omnia : omnium sanè medicinarum thesaurus divinæ Scripturæ sunt, & sive affectus sedare, sive pecuniarum cupiditatem expellere, sive ferzem animum induere velimus, quàm plurima hinc remedia invenire possumus.* Imò vel ipsum aspectum S. Scripturæ plurimùm valere ad infrigendas Dœmonis vires, animùmque à peccatis cohibendum, idem S. Pater affirmat; sic enim pergit in eadem concione: *Quemadmodum arma regalia reposita, etiamsi nemo fuerit, qui possideat, tamen iis, qui habitant in ædibus, ubi reposita sunt, multam præbent custodiam, ac tu tamen, dum neque Latrones, neque parietum Perfossores, neque alius quispiam Sceleratorum audet eam aggredi domum; sic ubicunque fuerint libri spirituales, illinc expellitur omnis vis diabolica, multàque*

in habitantibus accedit consolatio. Quandoquidem ipse etiam per se librorum aspectus segniores nos reddit ad peccandum. Quòd si peccaverimus, reversi domum, conspectis libris acrius nos redarguit conscientia, reddimurque remissiores ad eadem repetenda; si in sanctimonia perstiterimus, ex libris reddimur tutiores firmioresque; Nam simul atque tetigit aliquis Evangelium, mox composuit suam ipsius mentem, & à rebus mundanis abduxit, idque ex ipso solo aspectu. Quòd si accesserit diligens lectio, non aliter quàm in sacris aditis rebus divinis vacans anima sic repurgatur, meliorque redditur, DEO cum ipso per ipsas scripturas colloquente. Hinc & S. Hieronymus ad Nepotianum scripsit: *Ama lectionem scripturarum, & carnis vitia non amabis, mirò-que modo in te universa eius incendia extinguentur.* Id quod reipsa S. Augustinus expertus est, ut quem vitiis & luto carnis profundissimè immersum, sola S. Scripturæ lectio extraxit, ut ipsemet l. 8. cap. 12. Confess. fatetur. Vt adeò merito dixerit S. Isidorus l. 3. de summo bono: *Geminum confert donum lectio Sanctarum Scripturarum, sive quia mentis intellectum erudit, seu quòd à mundi vanitatibus abstractũ hominem ad amorem DEI perducit.*

Quartò denique *ad erudiendum* in justitia, id est, ad virtutum perfectionem obtinendam, utilem esse S. Scripturam, ingeniosè ostendit S. Gregorius, dum ho. 10. in Ezech. explicans illud Psalmi 103. *Extendens cœlum sicut pellem*, divinam Scripturam confert cum cœlesti corpore, quòd de ea nobis & Sol Sapientiæ, & Luna Scientiæ, & ex antiquis Patribus Stellæ exemplorum, & virtutum omnium luceant. Sed & Liranus id ipsum confirmat, dum illa verba Salomonis Prov. 31. de muliere sapiente prolata: *Stragulatam* (id est, variis coloribus intextam, ideoque intuentium aspectum mirificè pascentem) *fecit sibi*: S. Scripturæ applicat, aitque eum sibi fecisse talem vestem, dum virtutum omnium & donorum disciplinam tradit, atque ad ea magno studio hortatur Nec horiatur duntaxat, sed ut Ioannes Picus apud Balinghem c. 13. præpar. ad loc. comm. nu. 10. ait, etiam cogit; agitat, vim infert; *Legis quidem*, inquit, *rudia verba, & agrestia, sed viva, sed animata, flammea, aculeata, ad imum Spiritum penetrantia, hominem totum potestate mirabili transformantia.* Quam quidem efficaciam citatus Balinghem ex eo provenire censet, quòd DEI Verbum sit, atq; adeo ad DEVM

pertineat, ut omnem sermoni suo perfectionem tribuat, id est, non tantùm authoritatem & veritatem ad illustrandum intellectum, sed etiam efficaciam ad movendam voluntatem conferat, singularia scilicet auxilia legentium vel audientium animis largiendo, quibus ad eas virtutes, quas S. Scriptura proponit, & commendat, exercendas impellantur. Id quod Discipuli in Emaus euntes Luc. ult. sunt experti, dum explicationem S. Scripturæ à Christo audientes dixerunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas?* Vt adeò considerando has utilitates meritò dixerit S. Augustinus epist. 2. *Ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odio ægrotando medicinam.*

§. V.

De Iucunditate S. Scripturæ.

Magnam inesse jucunditatem S. Scripturæ, suo jam pridem testimonio S. David, S. Ieremias, & Ionathas summus Gentis Iudaicæ Sacerdos confirmarunt, dum primus quidem Psal. 118. dixit: *Narraverunt mihi iniqui delectationes* (vel, ut nostra habet versio, fabulationes ad delectandum compositas) *sed non ut lex tua.* Alter verò Ieremias c. 15. de seipso testatur: *Inventi sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi Verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei.* Tertius denique Ionathas 1. Mach. 12. Spartiatis in hæc verba scripsit: Nos, cùm nullo horum (præsidio scilicet aut fede-re) *habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem & amicitiam.* Oritur autem hæc jucunditas variis ex capitibus.

1. *Ex ipsis libris sacris*, utpote qui nihil aliud sunt, quàm epistolæ aut eloquia DEI: de quibus proin meritò S. David Psal. 118. dixit: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Et S. Hieronymus ad Paulinum scribens, *Oro, te* inquit, *Frater carissime, inter hæc* (libros sacros) *vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere, nonne tibi videtur iam hic in terris cœlestis Regni habitaculum?* Certè Robertus Rex ita Sacrarum Litterarum lectione captus est, ut jutatus Pe-

Petrarchæ affirmarit, eas sibi cariores esse, quàm ipsum Regnum; &, si alterutro carendum fuisset, libentius diademate, quàm sacris libris cariturum fuisse.

3. *Ex ipsa materia S. Scripturæ*: uti S. Ambrosius super supra citata verba Davidis: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua &c.* discurrens insinuat, dum ait: *Bene dulcia, quibus prædicatur remissio peccatorum, vitæ perennitas, resurrectio defunctorum, quæ perpetuæ mortis & acerba amaritudinem temperarunt.* Idipsum S. Gregorius Nyssenus aliâ via confirmavit, dum Sacras Literas prato florido comparavit, quod mira pulcherrimorum & vernantium florum varietate mirificè tum oculos, tum animos spectantium recreat, cujus quidem tot flores sunt, quot sententiæ: tot areolæ, quot libri, ut adeò mirum non sit, S. Carolum Borromæum dixisse, non esse opus horto, suum enim hortum esse Biblia, in quibus summam ipse recreationem & voluptatem reperiret.

3. *Ex sensuum in S. Scriptura repertorum diversitate*: quam causam S. Gregorius l. 16. mor. c. 10. in illa verba Iob: *Tunc super Omnipotentem deliciis afflues*: insinuat dum ait: *Super Omnipotentem deliciis affluere, est in amore illius, Scripturæ Sacræ epulis satiari. In quibus nimirum verbis tot delicias inveninus, quot ad profectum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus, ut modò nuda nos pascat historiam, modò sub textu literæ velata medullitus nos reficiat allegoria, modò ad altiora suspendat contemplatio in præsentis vitæ tenebris iam de lumine æternitatis intermicans.*

4. *Ex spei, quam excitat, consolatione*: qua de causa S. Paulus Rom. 15. dixit: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Sic certè de S. Paula S. Hieronymus in vita illius testatur, eam in omni quocunque siniſtro simile sibi, lætàmque extitisse, eò quòd semper aptis ex S. Scriptura sententiis solari sese, confortarèque didicisset. Vt adeò meritò P. Claudius Aquaviva Societatis nostræ Generalis in Instructione sua de formandis Concionatoribus scripserit: *Si delectare sit animus, nihil usquam Verbo DEI & Scripturis Sacris est delectabilius, ideo quippe ait Propheta Psalm. 118. Dilexi mandata tua super aurum & topazion. Item quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Hanc enim*

vim habent ut vel nude prolata delectent, præterquam quòd historiarum varietas, quæ inibi continetur, mirum in modum recreat audientes; metaphoræ item & Psalmorum Poesis, Proverbia autem & Sententiæ Salomonis, similia quoque ac dissimilia si apto ponantur loco ac tempore, sunt profectò, ut cum Scriptura loquar, tanquam mala aurea in lectis argenteis, vel inauris aurea, & Margaritum fulgens.

§. VI.

De Simplicitate S. Scripturæ.

Per simplicitatem hoc loco aliud nihil intelligitur, quàm vulgaris & inculti stili usurpatio; quo modo acceptam simplicitatem convenire S. Scripturę, testantur in primis Origenes, Clemens Alexandrinus, Lactantius & alii apud Serarium c. 23. prolegom., ubi ajunt, Philosophos & Oratores S. Scripturam velut indisertam, nimiùmque vulgarem ac simplicem contempsisse, eò quòd judicium de eadem non ex majestate sensuum, sed verborum tulerint vilitate. Vnde & S. Augustinus l. 3. conf. cap. 5. de se fatetur: *Non, sicut modò loquor, ita sensi, cùm attendi ad illam scripturam, sed visa est mihi indigna, quàm Tullianæ dignitati compararem.* Verùm hanc ipsam simplicitatem magno consilio, gravissimisque de causis à Scriptoribus Sacris, ipso Spiritu Sancto ad id movente, usurpatam esse, passim ostendunt Interpretes S. Scripturæ Ex omnibus tamen causis duas potissimùm hoc loco afferre placet.

Prima est, ut per hanc Simplicitatem tantò efficaciùs demonstraretur S. Scripturam verè divinam, neque ab alio Authore, quàm Spiritu Sancto dictante profectam esse; nam, cùm res eminentissimas, & quæ captum Hominis effugiunt, interdum proponat, nulla tamen argumenta, nullas rationes ad fidem faciendam producat, sed sola simplici earum narratione contenta, non dubitet, se fidem apud omnes inventuram, evidentissimum sanè judicium præbet non Hominis sed DEI loquentis: ut adeò rectè dixerit Salmeron proleg. 1. S. Scripturam, quanto minùs probat, tantò magis probare, & patefacere se esse divinam; & quò magis probat, eò minùs probare, quia tunc se ad morem loquendi humanum attemperat.

Alte-

Altera causa est, ut omnibus accessus ad S. Scripturam pateat; uti S. Aug. to. 3. in ep. ad Volusia, indicat, dum ait: *Modus dicendi, quo Sacra Scriptura contexitur, quàm omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis, ea, quæ aperta continet, quasi Amicus familiaris sine fuco ad eor loquitur indoctorum æquè ac doctorum. Ea verò, quæ in mysteriis occultat, nec ipsa superbo eloquio erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem, sed invitat omnes humili sermone, quos non solùm manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod reconditis habens.* Idipsum confirmat Origenes l. 7. contra Celsum Epicureum, dum probat, simplicitatem & facilitatem stili à Sacris Scriptoribus fuisse adhibendam, quò eorum labor universis prodesset, plusque utilitatis attulisse Mundo Christi gesta conscripta simpliciter, quàm eloquentiam omnem Platonis.

Rectè tamen notat citatus Salmeron, altissimos interdum sensus cum tenuitate verborum misceri debuisse; tum ut divinitas quasi Humanitati unita clariùs eluceseceret; tum ne, si tota facilè posset accedi, facile quoque contemneretur, id quod eloquenter more suo S. Augustinus ostendit, dum ait: *Qui enim prorsus in Sacra Scriptura non inveniunt, quod quærunt, fame laborant. Qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio sæpe marcescunt. In utroque autem languor cavendum est. Magnificè igitur & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret; nihil enim ferè de illis obscurioribus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.*

§. VII.

De Eloquentia S. Scripturæ.

Duplicem communiter distinguunt Eloquentiam Authores hac de materia discurrentes, veram scilicet, & falsam seu apparentem duntaxat. Vera Eloquentia est, quæ reipsa aptis ad persuadendum verbis & Argumentis utitur. Falsa est, quæ varia Orationis ornamenta & lumina adhibet, ideoque ab Oratoribus & Scriptoribus prophanis inquiritur, & laudatur. Verùm hæc nisi priorem eloquentiam conjunctam habeat,

veræ Eloquentiæ nomen non meretur; nam, vt rectè Tullius de opt. gener. Orat. dixit, ad veram eloquentiam nec Atticè, nec Asiaticè, nec Ciceronis aut Demosthenis, aut Platonis, aut Periclis imitatione, sed optimè dicendum est, quod quidem is præstat, qui cętus Hominum dicendo tenet; qui eorum voluntates, quò vult, flectit, quocúnque tandem dicendi genere aut charactere utatur.

Hoc notato rectè Commentatores S. Scripturæ affirmant, Veram, Summamque in S. Scriptura eloquentiam reperiri. Sic enim primò, S. Augustinus testatur l. 4. de doctr. Christ. c. 6. dum ait: *Hic aliquis forsitan quærit, utrum Authores nostri, quorum scripta divinitus inspirata, Canonem nobis saluberrima authoritate fecerunt, sapientes tantummodò, an eloquentes etiam nuncupandi sint. Quæ quidem quæstio apud meipsum, & eos, qui mecum, quod dico, sentiunt, facillimè solvitur. Nam, ubi eos intelligo, non solùm nihil eis sapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes, qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos, aliter loqui debuisse; sicut enim est quædam eloquentia, quæ magis ætatem iuvenilem decet; est, quæ senilem, nec iam est dicenda eloquentia, si Personæ non congruat eloquentis; ita est quædam, quæ viros summa authoritate dignissimos, planeque divinos decet. Hæc illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa; ipsis enim congruit; alios autem, quantò videtur humilior, tantò altius non ventositate, sed soliditate transcendit. Vbi verò non eos intelligo, minùs quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est, ubi intelligo* Sed & S. Bonaventura idipsum affirmavit, dum dixit: *Qui scripturam habet, potens est cum eloquiis, & etiam in venusto sermone.* Sed & secundò, ex ipsa experientia satis colligitur, quà habetur, eam ad finem sibi propositum consequendum singularem efficaciam habere; cùm enim id unicè spectet, ut DEVS ab Hominibus per fidem cognoscatur, & per Caritatem aliasque virtutes perfectè ac super omnia ametur, quotidiana sanè experientia ostendit, quàm plurimos ab ea ad similia erga DEVM officia exercenda persuasos fuisse, & etiamnum persuaderi.

Quòd si tamen & altera à prophanis Oratoribus tantopere commendata eloquentia requiratur, etiam illam S. Scripturæ

ræ non deesse, sufficiens argumentum præbere possunt tum S. Isaiæ prophetiæ, tum S. Pauli Epistolæ, de quorum prioribus Sanchez in proœm. in Isaiam n. 13. ait: *Talis est eius dicendi character, tum rerum, quæ tractantur, naturæ, quæ sanè multiplex est, accomodatus, in quo optimi Oratoris ars & præstantia cognoscitur, ut, qui præstantem Oratorem non tam inveniebat, quàm cogitatione formabat Cicero, talem cogitatione non fingeret, qualem reipsa præstitit Isaias, ut qui si latinè vel græcè scripsisset, omnium Græcorum vel Latinorum gloriam obscuraret.* De Epistolis S. Pauli verò S Chrysostomus testatur, eum, qui res singulas, atque adeò voces & earum pondus; qui insignem dicendi methodum, artificiumque singulare; qui probandi genus efficax, cæteraque eius generis expenderit, facilè deprehensurum, omnes omnino perfecti Oratoris numeros luculentè ab eo fuisse expletos; ita ut meritò S. Hyeronymus in Epist. ad Pammach. dixerit, se, quotiescunque legeret ejus Epistolas, non tam verba, quàm tonitrua audire sibi videri. Hinc, S. Gregorius Nazianzenus, teste Badæo profano Scriptore, cùm post multam ac diuturnam operam Eloquentiæ ac Poesi profanæ impensam, animum ad sacras literas volvendas adjecisset, illico omnium literarum aliarum ornamenta in conspectum Domini abjecit, eò quòd cognovisset, S. Scripturam, omnem haud dubiè elocutionis humanæ vincere, & quamlibet, licet innumeris figuris distinctam, & multiplici eloquio elaboratam orationem, tamen præ divini sermonis fulgore obscurari atque elanguescere.

§. VIII.

De Profunditate S. Scripturæ.

Etsi aliqui videantur confundere profunditatem cum obscuritate, & pro eodem sumere, reverà tamen sunt vel maximè distinctæ, nam obscurum dicitur, quod à luce remotum est; profundum verò vocatur, quod fundum magis vel minùs remotum habet. Vnde inter scientias quoque illa profundior dicitur, quæ difficiliùs ob doctrinarum à se proponi solitarum multitudinem ab intellectu exhauritur. Hoc notato negari non potest summam esse S. Scripturæ profunditatem;

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem; sic enim jam pridem cognovit S. Augustinus, in epist. 3. dum dixit: *Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, non quòd ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta perveniatur difficultate, sed, cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie, rectèque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum miraculis opaca, intelligenda proficientibus restant, tantaque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cùm consummaverit homo, tunc incipiet.* Certè ipse de se fatetur epist. 119. *Ego in Sacris Scripturis multò plura nescio, quàm scio.* Hinc exclamavit l. 12. conf. c. 14. *Mira profunditas est eloquiorum tuorum, Domine, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas DEVS meus, mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Quin imò S. Gregorius ho. 9. super Ezech. indicat, tot tamque abdita in Sacris Literis latere mysteria, ut in iis non pauca existant, quæ solis evoluta Cœlitibus, mortalibus adhuc universis sint involuta, hinc similem aliqui S. Scripturam dicunt esse torrenti ab Ezechiele c. 47. conspecto, quem pertransire ipse non poterat, quoniam intumuerant aquæ ejus, nec poterant transvadari.

Porro hujus profunditatis tres potissimùm radices à Commentatoribus rectè assignantur. Prima est *ipsius materiæ sublimitas*, id est mysteriorum & doctrinarum supernaturalium multitudo & magnitudo; si enim etiam in naturalibus, teste Salomone Eccl. 1. cunctæ res sunt difficiles, & non potest eas homo explicare sermone; quanto minùs supernaturalia objecta intellectu comprehendere poterit. Hinc merito idem Sapiens Sap. 9. dixit: *Difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt invenimus cum labore, quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?*

Altera radix est *sensuum*, quos litera accipere potest, *multiplicitas*: nam, ut S. Hieronymus in c. 3. Ephes. dixit *Singuli sermones, syllabæ, apices & puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus.* Sed & Origenes hom. 1. in Exod. testatur,

tur, quemlibet S. Scripturæ locum, si diligenter excutiatur, ingentem doctrinæ materiam posse suppeditare. *Vnde divina eloquia* (ait S. Gregorius ho. 7. super Ezech.) *tantò quisque altius intelligit, quanto altius in eis intendit.*

Tertia tandem radix est *Prophetiarum in S. Literis contentarum multitudo, & profunditas*: hæ enim cùm vel maximè sint extra Sphœram humani intellectus, meritò etiam tantò plura semper latere suspicatur, quantò plura per aliorum explicationem vel interpretationem cognoverit. Ob quas causas meritò Alphonsus Salmeron pronunciavit proleg. 2. in Script., nullum extare librum humana industria aut ingenio elaboratum, qui cum Sacris Literis in profunditate conferri possit.

§. IX.

De obscuritate S. Scripturæ.

De hac proprietate S. Scripturæ multa & gravis est inter Catholicos & hæreticos Doctores concertatio; his omnem omnino obscuritatem S. Scripturæ negantibus, illis verò eandem non modò concedentibus, sed graves etiam, multasque causas afferentibus, ob quas Sapientissimus DEVS ipsam obscuro stilo, non quidem totam, sed magna ex parte conscribi voluerit; unde Cassianus coll. 8. c. 3. hac de materia discurrens, *satis propriè*, ait, *Scriptura divina agro optimo ac fertili comparatur, qui, cùm multa gignat, ac proferat, quæ ad Hominum victum sine aliqua ignis coctione proficiant, quædam, nisi prius flammæ calore mitigata atque mollita, omnem asperitatem suæ dispoſuerunt cruditatis, vel incongrua erunt usibus humanis, vel noxia. Nonnulla verò ita in utrumque apta nascuntur, ut nec incocta sua cruditate displiceant, vel offendant, & tamen ignis calore lenita, salubriora reddantur. Quam rationem satis evidenter aspicimus in hoc uberrimo Scripturarum Spiritualium Paradiso contineri, in quo ita quædam signatione literæ plana ac luculenta resplendent, ut, cum sublimiore interpretatione non egeant, simplici tamen literæ sono aliunde pascant, ac nutriant audientem. Quædam autem, si allegoriæ explanatione extenuata non fuerint, & spiritualis ignis examinatione mollita, nullo modo ad salutarem interioris hominis cibum sine corruptionis*

labe.

labe pervenient, magisque ex eorum perceptione læsio, quàm utilitas aliqua subsequatur. Nonnulla verò ad utramque perceptionem, id est, historicam & allegoricam ita commoda sunt, ac necessaria, ut utraque explanatio vitales animæ succos impertiatur.

Porro obscuritatis, hujus radices & argumenta certissima, plurima afferunt S. Scripturæ Interpretes, quæ tamen omnia ad tria potissimùm revocari possunt. Primum deducitur *ex ipsa materia* S. Scripturæ, seu rebus per eam significatis, quales sunt mysteria altissima Fidei, futurorum prædictiones, mysticorumque ac literalium sensuum varietas ac multiplicitas; quæ omnia objecta non modicam obscuritatem in volvere, vel ipsa tot SS. Patrum, aliorùmque Doctorum in iis eruendis & explicandis sollicitudo ac industria satis probat.

Alterum argumentum deducitur *ex eorum*, quibus S. Scriptura communicata est, *diversitate*; cùm enim eorum major pars rudis sit, atque adeò incapax altiorum mysteriorum capiendorum, rectè iterum concluditur, respectu horum omnium S. Scripturam utpote ejusmodi mysteriis ac prophetiis abundantem, obscuram esse, atque adeò dictorum Hominum labore ac industria excutiendam atque explicandam.

Tertium verò, nec levissimum argumentum desumitur *ex ipso modo proponendi & loquendi S. Scripturæ*; cùm enim hæc passim allegoriis, figuratis locutionibus, amphibologiis, & non rarò etiam verbis apparentem contradictionem involventibus, uti & idiotismis linguarum utatur, necessariò iterum sequitur, ut magnam tales modi loquendi obscuritatem, à quòcunque intellectu humano, non nisi magno labore ac difficultate superabilem contineant; unde passim SS. Patres S. Scripturam, nunc abyssum insuperabilem; nunc agrum, in quo Sapientiæ thesaurus profunda fossione eruendus lateat; nunc mare ob sensuum profunditatem inexhauribile; nunc conchylium, in qua Margaritæ pulcherrimarum doctrinarum reclusæ manent, nunc nubem obscuram, & variorum mysteriorum occultatione prægnantem appellant, uti pluribus probat Serarius c. 22. proleg. q. 2.

Cur autem DEVS obscuram esse voluerit Scripturam Sacram, variæ à variis rationes afferuntur. 1. Vt agnoscamus, & confiteamur, Sapientiam DEI infinitis modis superare imbe-

becillitatem nostri intellectus, sicque ad eum ferventius pro illustratione intellectus, & apertione occultorum sensuum recurramus, dicentes cum Davide Psal. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* 2. Vt ex tali obscuritate multiplex oriatur scientia, dum varii sensus ex obscuris S. Scripturæ textibus eruuntur; sic enim S. Gregorius in cap. 3. Ezech. indicavit, dum dixit: *Plerumque in sacro eloquio aliquid ideo obscurè dicitur, ut dispensante mirabiliter DEO multipliciter exponatur.* 3. Vt obscura scribendi ratione mysteria divina indignis celarentur. 4. Vt doctrinæ cum labore quæsitæ majori cum voluptate percipiantur; nam, ut S. Augustinus de vera relig. discurrit: *Si in Scriptura Sacra tantùm essent, quæ facillimè intelligerentur, nec studiosè quæreretur, nec suaviter inveniretur veritas.* 5. Vt, quemadmodum S. Chrysostomus hom. 23. in Matt. insinuat, sicut inter Angelos sunt aliqui, qui illuminant; & alii, qui illuminantur: ita inter Homines quoque alii Doctores, alii Discipuli existerent, sicque pulcherrimus Ordo in Ecclesia inconfusus & imperturbatus permaneret. 6. Vt, sicut S. Augustinus l. 2. de doctr. Christian. cap. 6. insinuavit, ut labore quidem superbia edomaretur, otiòque proscribendo, honestæ occupationis occasio subministraretur, intellectus verò à fastidio revocaretur, cui facilè investigata plerumque vilescunt. *Magnificè igitur & salubriter*, inquit *S. Doctor, ita Sacras Scripturas modificavit DEVS, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastigia detergeret; nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.*

LIBER II.

DE OBIECTO FORMALI THEOLOGIÆ POSITIVÆ.

OBjectum formale Theologiæ positivæ est ipsa Interpretatio seu Expositio S. Scripturæ, hæc enim Interpretatio est primarius finis, quem intendit Theologia positiva, & ad hunc finem ordinat omnia, quæ ab ipsa tra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tractari, & præscribi solent. Vt autem faciliùs intelligatur hoc objectum, sciendum est duplicem esse Interpretationem, quæ à Doctoribus Theologiæ positivæ adhiberi consuevit, Metabolicam scilicet, & Exegeticam. Metabolica est, per quam S. Scriptura ex primigenia lingua in aliam transfertur, quæque adeò latinè *Translatio* seu communius *Versio* appellatur. Exegetica est, per quam sensus in S. Scriptura absconditi eruuntur, ideòque *Explanatio* vel *expositio* vocatur, & propriè à Commentatoribus S. Scripturæ usurpari solet. De utraque hoc libro per duo capita agetur, & quid de quavis Discipulo Theologiæ positivæ sciendum sit, breviter juxta propositum scopum exponetur.

CAPVT. I.

De Metabolica Interpretatione seu Versione.

ETiam hæc Interpretatio dupliciter fieri potest, nempe vel ut verbum verbo reddatur; vel ut sensus solummodo idem, non autem eadem verba, aut verborum idem ordo retineantur. Atque hic posterior, sicut naturæ & scopo Interpretationis conformior est, ita communius etiam à Scriptoribus adhiberi soletur, & verò etiam in S. Scripturæ Versionibus plerumque est usurpatus: pro quo meliùs intelligendo.

Vlterius notandum, est Sex potissimùm esse linguas, quæ in considerationem specialem apud S. Scripturæ Interpretes veniunt. 1. est pura Hebraica, quia Iudæi ante captivitatem Babylonicam sunt usi. 2. Chaldaica pura, quia Chaldæi Asiæ Populi à Chaldea regione, in qua Babilon civitas illa magna jacebat, nominatim utebantur. 3. Syriaca, quâ Iudæi post transmigrationem Babylonicam locuti sunt. 4. Græca. 5. Latina. 6. Vernacula. de quibus omnibus eodem fere ordine breviter nunc agendum, & quænam cujusque versionis sit auctoritas, ostendendum erit.

§. I.

§. I.

De Hæbraica editione S. Scripturæ.

Hæc editio meritò inter reliquas primatum obtinet, cùm in ea plerique libri S. Scripturæ ab initio sint scripti, maximè ij, qui in canone Iudæorum habentur, nempe Pentateuchus Moysis libri, Iosue, Iudicium, Ruth, Regum, Paralipomenon, Iob Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastici, Canticorum Prophetarum; quibus aliqui etiam extra hunc Canonem librum Estheris ex Veteri, & ex novo Testamento Evangelium S. Matthæi, & Epistolam ad Hebræos addunt. Duæ tamen adhuc de ista editione controversiæ inter Authores existunt, an scilicet omnino interierit, vel certè magna ex parte corrupta sit.

Circa priorem quæstionem duæ sunt sententiæ. Prima est S. Basilii apud Bellarminum to. 1. Contr. gen. l. 2. cap. 1. qui putavit, universam S. Scripturam tempore Captivitatis Babylonicæ periisse, ac deinde ab Esdra ex Spiritus sancti instinctu & magisterio integrè, sicut antea fuerat, fuisse raparatam. Altera communis sententia ipsius Bellarmini & aliorum docet, non fuisse omnino unquam deperditam, sed dispersam duntaxat, atque adeò ab Esdra iterum collectam, & in unum corpus reductam; imò & in iis partibus, quæ Scribarum negligentia depravatæ fuerant, studiosè iterum emendatam, quam sententiam Bellarminus, multorum SS. PP. authoritate probat, additque vel ideo etiam probabiliorem esse quòd Esdras post transmigrationem Babylonciam Chaldaicè aut Syriacè, utpote lingua tunc Iudæis usitata locutus sit, atque adeò si de novo S. Scripturam dictasset, his potiùs linguis, quàm Hebraiça pura illum dictaturus fuisset.

Circa posteriorem quæstionem tres sunt diversæ opiniones, quarum prima Hæreticorum & Iudæorum vult omnino incorruptam mansisse; quæ tamen sententia ab omnibus Catholicis Scriptoribus ut falsa ex varijs errrotibus, qui vel per in curiam Scriptorum, vel per imperitiam linguæ irrepserunt, convincitur.

Al-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Altera est Iacobi Episcopi Christopolitani qui apud Bellarminum docet multa loca S. Scripturæ à Iudæis in odium fidei Christianę fuisse depravata, quę tamen opinio pariter reijcitur à reliquis Catholicis Scriptoribus, eò quòd incredibilis Iudæorum erga S. Scripturam amor & reverentia prudenter judicare non sinat, eos legem suam, pro qua millies mori parati sunt, immutare voluisse; alioqui sanè vel maximè iis in locis, in quibus de Christo agitur, eandem vitiassent; imò ut Bellarminus ait, DEVS ad hunc finem Iudæos per totum terrarum orbem dispersérit ut libros legis & Prophetarum circumferrent, & ut inimici nostri Christianæ veritati testimonium præberent. Tertia ergo & verior omnium aliorum sententia, concedit quidem aliquot loca saltem quingentis post Christum natum annis elapsis ab Hebræis fuisse corrupta uti passim Serarius, Salmeron & alii ostendunt, eam tamen mutationem tanti non æstimandam, ut non *moraliter* incorruptus adhuc textus ille dici queat cùm Seraris prol. c. 12. n. 7. ait. in aliquibus, saltem exemplaribus vera adhuc germanaque lectio incorrupra reperiatur, atque adeò editio hæc multam lucem afferre possit S. Scripturæ Interpretibus, licet diligenter cavendum sit, ne temerè quidquam ex illa editione contra vulgatam editionem ab Ecclesia approbatam mutetur.

§. II.

De Chaldaica editione.

De hac editione tria breviter ex Bellarmino, Serario & alijs notanda sunt.

1. Hac lingua Chaldaica primitus scriptos esse sequentes S. Scripturæ libros, Tobiam, Iudith, & ex parte libros Esdræ, & Danielis Prophetiam; eò quòd hi libri post captivitatem Babylonicam, ubi Iudæi jam Chaldaicè loqui cęperunt, sint conscripti.

2. Extare quoque paraphrasin Chaldaicam in omnes S. Scripturæ libros in Iudæorum Canone contentos, atque ab illis Thargum quod idem ac Interpretatio significat, fuisse appellatos; hanc verò paraphrasin partim ab Aquila (qui Chal-

Chaldaicè Onchelos vocatur) partim à Ionatha quòdam, & Iosepho cæco compositos fuisse.

3. Hanc editionem apud Hebræos quidem magnæ esse authoritatis, ab Ecclesia tamen non magni fieri, utpote in multis locis, extra Pentateuchum, Iudaicis fabulis & Thalmudistarum nugis permixtam: atque adeò eatenus tantùm utilem esse, quatenus ex ea Hebræi falsitatis convinci possunt.

§. III.

De Syriaca Editione.

De hac quoque editione tria specialiter notanda esse, docet Bellarminus l 2. c. 4. contr. gen.

1. Quòd Syriaca lingua sit quasi proles Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ, eò quòd Hebræi in Babyloniam abducti, paulatim linguæ suæ obliviscì, & Chaldaicè loqui cęperint: quia tamen perfectè hanc linguam Chaldaicam non didicerunt, sed semper eidem verba Hebraica miscuerunt, hinc tertia quædam lingua prodijt, quæ, quia in Syria maximè usurpabatur, Syriaca, aut etiam à præcipua civitate Hebræorum Hierosolymitana vocari cępit.

2. Hac lingua ex veteri testamento nullum librum, nisi fortè primum Machabæorum & Ecclesiasticum, ex novo verò credibiliter Evangelium S. Matthæi, & Epistolam ad Hebræos, quia tunc, quando hi libri scripti erant, jam Syriace loquebantur Hebræi, conscriptos esse.

3. Hujus editionis non tantam quidem esse authoritatem, quanta Latinæ & Græcæ conceditur, eò quòd ob varios nævos meritò viris doctis displiceat, duplicem tamen teste Menochio c. 16. proleg. utilitatem afferre, quòd scilicet & nostram vulgatam in multis stabiliat, & illustret, & quod adjunctos habeat titulos & inscriptiones varias, quibus significatur, quid in novo Testamento in hujus vel illius Sancti festo, in veneratione Crucis, quadragesima, jejuniis, aliis, commemoratione Fidelium Defunctorum legi soleat, atque adeò ad Ecclesiæ ritus stabiliendos, consensionemque cum Romana Ecclesia ostendendam, contra Hæreticos juvet.

§. IV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. IV.

De Græca Editione.

Duplicis generis libris sacri hac Græca lingua sunt conscripti. Primò enim Originaliter totum novum Testamentum, exceptis Evangeliis S. Matthæi, & S. Marci, atque Epistola S. Pauli ad Hebræos, ab iis Apostolis vel Evangelistis, quorum titulus prefigitur, est græco idiomate conscriptum; cujus editionis, etsi aliquot in locis vitio Hæreticorum corrupta sit, ea tamen est adhuc authoritas, ut eius usus multùm servire possit ad ambiguitates tollendas, & multorum locorum energiam meliùs assequendam, cùm nimirum Latinæ linguæ inopia Græcæ fæcunditatem æquare non potuit.

Secundò dein omnes libri Hebraico aut Syriaco sermone conscripti, pariter in Græcum idioma translati sunt à varijs scriptoribus, puta Aquila, Symmacho, Theodotione, Origene, S. Luciano, Hesychio & alijs, quos tamen omnes, uti ordine, ita & authoritate septuaginta Interpretes sua translatione antecesserunt, qui, teste Menochio, Serario, Bellarmino & aliis, à Ptolemæo Philadelpho Rege, Aegypto sunt evocati; cùm enim hic Rex locupletissimam Bibliothecam instruxisset, & in hac etiam Iudæorum libros sacros habere desiderasset, ab Eleazaro Pontifice septuaginta duos viros è senioribus Populi, legis, & linguarum Græcæ & Hebraicæ peritissimos, senos ex qualibet tribu impetravit, qui in eadem Basilica, vel, ut alij volunt, singuli in singulis cellulis inclusi, intra septuaginta duos dies totum vetus Testamentum ita verterunt, ut omnes planè ad verbum consentientes divino quodam miraculo sint reperti; unde manifestè colligitur, eos peculiari modo Spiritum sanctũ assistentem habuisse, & ut Bellarminus l. 2. cap. 6. ait, non tam Interpretes, quam Prophetas fuisse. Ob quam causam etiam hæc versio non modò ab Apostolis & Evangelistis frequenter citata, sed ab ipsa etiam Ecclesia Græca semper, ab universali verò Ecclesia totis sexcentis annis pro authentica & vulgata est habita, habereturque etiamnum, si non quorundam Iudæorum vitio corrupta fuisset. Licet autem senarius numerus, juxta quam è singulis tribubus evo-

cati sunt, duodecies multiplicatus septuaginta duos fuisse ostendat, brevitatis tamen & rotunditatis gratia, inquit Serarius c. 17. q. 7. prol. dicuntur tantùm septuaginta fuisse, sicut apud Romanos olim Centumviri vocabantur, licet centum, & quinque fuisse constet.

Porro ex his editionibus, aliisque collectis Origines unum librum sic composuit, ut singulas paginas in sex columnas divideret, & in prima quidem textum Hebraicum Hebraicis literis, in secunda eundem textum Hebraicum Græcis literis, in tertia in tertia interpretationem Aquilæ, in quarta Symmachi, in quinta Septuaginta Seniorum, in Sexta Theodotionis interpretationem posuerit, atque hæc volumina propter quatuor interpretationes tetrapla, propter sex columnas verò hexapla vocarit; & tandem postquam adhuc binas alias editiones in diversis columnis addidisset, octapla nominaverit.

§. V.

De Latina Editione.

Quàm frequenter S. Scriptura ex Hebræo & Græco idiomate in Latinum sit conversa, testatur S. Augustinus l. 2. de doctr. Christ. cap. 11. dum ait, nullo modo eas numerari posse, eo quod primis temporibus quivis, qui aliquam utriusque linguæ Hebraicæ scilicet & Græcę notitiam habere videbatur, eandem interpretari sit ausus. Vnde & S. Hieronymus in præfat. in Iosue, quot Codices, tot versiones ferè fuisse repertas testatur. Ex his tamen una communior erat; quę vetus, vulgata, & Itala à S. Augustino l. 2. de doctr. Christ. cap. 15. & aliis vocabatur, & tamdiu usurpabatur, donec S. Hieronymus, & post ipsum alii manum applicuere, novamque interpretationem cudere; tunc enim & ista passim in Ecclesiis legi cum Itala Interpretatione cœpit, usque ad S. Gregorii Magni tempora, tunc namque adeò usus hujus invalescere cœpit, ut reliquæ prorsus evanuerint; & ipsa tandem ob graves causas ab Ecclesia authenticata, & velut fidelis ac sincera præ omnibus aliis Latinis editionibus usurpanda est proposita. Quæ proin ut meliùs intelligatur, duas plerumque quæstiones de illa proponunt Commentatores,

nempe quis sit Author illius? & cur omnibus aliis prælata sit.

Ad quarum quæstionum priorem communiùs respondent Interpretes, plerosque veteris testamenti libros à S. Hyeronimo fuisse translatos; uti ipsemet in fine libri de Ecclesiasticis Scriptoribus fatetur; & idem etiam S. Augustinus l. 18. de civ. cap. 43. testatur, dum ait: *Non defuit temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium linguarum peritissimus, qui non ex Græco, sed ex Hebreo in Latinum eloquium easdem converterit.* Ab his tamen libris excipiendos esse librum Sapientiæ, Ecclesiastici Machabæorum, Baruch, & epistolam Ieremiæ, putant Bellarminus Serarius, Menochius, & alii, eo quod nunquam à se translatos meminerit, ut tamen de aliis dixerat; & probabiliter eos Canonicos non putarit, aut certè Hæbraicos non invenerit. Psalmos verò etsi transtulerit, hæc tamen translatio ab Ecclesia recepta non fuit, quod ideo fortè factum putat Menochius c. 17. proleg: eo quod Fideles Septuaginta Interpretum translationi jam assuevissent, atque adeò durum fuisset novam S. Hieronymi translationem inducere.

Iam verò novi Testamenti Interpretationem quod attinet hoc unicum constat, Evangelium S. Marci ab ipsomet Evangelista fuisse Latino Idiomate scriptum, reliquorum verò Interpretationem statim ab initio Ecclesiæ fuisse factam, & verosimiliter ab ipsis etiam Apostolis probatam; quis tamen hujus Interpretationis Author fuerit, hucusque semper ignoratum fuit. Quia tamen aliquot errores in eandem irrepserant, ab his eam D. Hieronymus Damasi Pontificis Authoritate purgavit, uti ipse in fine libri de Eccl. Script. fatetur, dum ait *Testamentum novum Græca fidei reddidi iuxta vetus Hebraicum transtuli.*

Ad posteriorem quæstionem respondent iterum unanimiter Authores, summmam hujus vulgatæ editionis authoritatem esse debere, idque ob tres potissimùm causas 1. Quia antiqua, & multorum sæculorum usu in Ecclesia usurpata est. 2. Quia D. Hieronymus linguæ Hebraicæ peritissimus, peritè, & tanquam sanctissimus fideliter & ut laborum & literarum amantissimus diligenter interpretatus, atque ut dubitare non licet, divino auxilio ad opus perficiendum peculiariter adjutus est. 3. Et præcipuè quia S. Concilium Tridentinum

num Sess. 4. Sequenti decreto eam tenendum proposuit; *Insuper eadem Sacra Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ DEI, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur Latinorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis Lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo eam reiicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.* Rectè tamen monet Menochius c. 18. per hoc decretum nulla ratione vulgatam hanc editionem fontibus Hæbreis & Græcis anteponi (cum Concilium nullam comparationem faciat) nec vero etiam, si puri sint, anteponi posse, cum eundem Authorem habeant; de facto tamen, ut nunc res se habent, pluris, quam illos à nobis faciendos esse, eo quod rivus purus & minimè turbatus fonti turbato & impuro prudenter anteponi possit, & debeat.

§. VI.

De Vernacula editione.

Vernaculæ versiones hoc loco vocantur illæ, quæ in vernaculas seu maternas & vulgares linguas fiunt. Vnde præter Hebræam, Græcam, & Latinam, quæ, quia à sacro Christi crucifixi titulo sacratæ sunt, sacræ appellantur, omnes aliæ linguæ, atque adeò editiones quoque illis linguis factæ, vernaculæ dicuntur.

Porro de hac vernacula editione sequentia præcipuè notanda sunt ex Serario c. 20. prol. & aliis. 1. S. Scripturam in vernaculas linguas transferre, & legere per se non esse prohibitum aut illicitum; 2. Eandem Lectionem aliquibus prodesse, aliquibus obesse; uti quotidiana experientia abundè probat, qua habetur, multos S. Scripturam cum insigni profectu animæ legisse: plurimos verò hæreseon & superstitionum venenum ex ea hausisse.

Atque adeo 3. meritò Ecclesiam statuisse, quibus & quomodo concessa vel inconcessa sint vernaculo idiomate conscripta Biblia, utpote quæ & potestate & prudentia præ aliis polleat ad hoc judicium ferendum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT II.

De exegetica interpretatione;

CVm exegetica Interpretatio aliud nihil sit, ut suprà dictum est, quàm sensùs, quem S. Scriptura significat, indicatio, ante omnia explicandum hoc loco est, quid, & quotuplex sensus. Deinde, quis modus in ejusmodi sensu investigando sit usurpandus. Et denique quæ media ad legitimum S. Scripturæ sensum seu intelligentiam inveniendam sint obtinenda, quæ omnia per sequentes paragraphos explanabuntur.

§. I.

Quid & Quotuplex sit sensus.

Etsi hæc vox *sensu* ex prima sua significatione cujuscunque sensus facultatem denotet; ad animi verò conceptus indicandos vox *sententia* à veteribus sit inventa, nunc tamen passim etiam vox *sensus* ad mentis conceptus indicandos usurpatur, unde Apostolus Rom. 14. ait: *Vnusquisque in suo sensu*, id est Sententia, *abundet*.

Porro duplex communiter sensus assignatur S. Scripturæ, literalis scilicet & Mysticus. *Literalis* est, quem verba, sive propriè, sive Metaphoricè accepta, ex Spiritus Sancti loquentis intentione primò & immediatè significant, qui proin, quia in historia maximè elucet, nonnunquam etiam *historicus* solet appellari.

Mysticus, seu ut alii vocant, *Spiritualis* sensus est, qui non proximè per voces, sed mediatè, & remotè, mediantibus scilicet rebus per voces sensu literali significatis à Spiritu Sancto indicatur, uti Menochius, Serarius, Salmeron & alii communiùs explicant, & exemplum hujus sensus afferunt in illa sententia Deuteron. 25. *Non alligabis os bovi triturantis*. Vbi sensus literalis is est, quem verba indicant: mysticus verò, ut S. Paulus 1. Cor. 9. explicat Doctoribus & Concionatoribus necessarium & honestum victum suppeditandum esse significat.

Sub-

Subdividitur autem Mysticus hic sensus iterum in Allegoricum, Anagogicum, & Tropologicum, seu moralem, ut alii vocant. *Allegoricus* est, qui res fidei vel ad Ecclesiam militantem pertinentes significat. Anagogicus est, qui res ad Ecclesiam triumphantem spectantes indicat. Tropologicus verò, qui circa mores formandos occupatur; unde alii breviùs dicunt; Allegoricum circa res credendas, Anagogicum circa res sperandas, Tropologicum circa res agendas versari, uti communes hi versiculi indicant:

Litera gesta docet: quid credas Allegoria.
Moralis, quid agas: quò tendas, Anagogia.

De quibus quatuor sensibus hæc præterea communiter notant Authores. 1. Sensum literalem in omni omnino Scripturæ loco reperiri; non item Mysticum. 2. Posse interdum plures ejusdem sententiæ sensus literales dari, uti contra Medinam & alios S. Thomas cum aliis 1. p. q. 1. a. 10. docet his verbis: *Quia sensus literalis est, quem Auctor intendit; Auctor autem S. Scripturæ DEVS est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus 12. Conf. si etiam secundùm literalem sensum in una litera Scripturæ plures sunt sensus*. Sic illa verba Ioannis 11. *Expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*: simul & sensum politicum habebat, quem animo tenebat, & suis proponebat Caiphas; & alterum Theologicum seu Propheticum, quem Spiritus Sanctus intendebat, ut ibidem versu 51. subditur. 3. Posse quoque plures in eadem sententia Mysticos sensus, imò interdum omnes quatuor sensus reperiri, sic enim eodem vox Ierusalem historicè urbem, allegoricè Ecclesiam, tropologicè animam, anagoricè cœlestem gloriam significat. 4. Sensum Mysticum plerumque ex Veteri tantum Testamento erui, utpote quod figuris, allegoriis, & symbolis abundat; rarius verò in novo reperiri, licet in hoc etiam interdum locum habeat, uti apparet innavicula Petri jactata, quæ mysticè persecutiones Ecclesiæ significat. 5. Etsi Sensus Mysticus in hoc superet literalem, quòd plerumque figuratum (quod utique præstantius est figura) significet, absolutè tamen loquendo literalem sensum meritò ob tres causas præferri. 1. Quia de rebus æquè præstantibus esse potest. 2. Quia in omnibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

scripturæ locis reperitur 3. Quia certior, atque adeò etiam ad probandum utilior est, utpote qui per se ad probationem adhiberi potest, cùm tamen mysticus nunquam ad argumentum servire queat, nisi quando ab alia Scriptura, vel alio quolibet auctoritatem habente testimonium accepit.

Denique præter hos sensus hactenus explicatos aliqui etiam *Accomodatitium* assignant, per quem ea quæ literali sensu dicuntur, ad alia, quæ Spiritus S. neque proximè, nec remotè significavit, transferuntur, ut, cùm illa verba Eccl. 44. *Inventus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*: ad SS. Confessores applicat Ecclesia; sed quia hic sensus pro cujusque ingenio, & arbitrio torquetur, & alteri argumento adaptatur, rectè notant Commentatores, nullum ex eo argumentum ad probandum desumi posse.

§. II.

Quis modus in sensu S. Scripturæ investigando sit adhibendus.

Quantopere modus aliquis S. Scripturæ sensum investigandi sit necessarius, pulchrè ostendit Origenes sequentibus verbis: *Sicut in novissimis diebus Verbum DEI ex MARIA carne vestitum processit in hunc mundum, & aliud quidem erat, quod videbatur: aliud, quod intelligebatur; carnis namque aspectus patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur Divinitatis agnitio; ita & cùm per Prophetas vel Legislatorem Verbum DEI profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis; nam sicut ibi carnis, ita hic literæ velamine tegitur. Vt litera quidem aspiciatur tanquam caro, latens verò intrinsecus Spiritualis sensus tanquam divinitas sentiatur.* Quod ipsum etiam egregiè confirmans Hugo Victorinus l. 3. de anim. *In refectorio*, inquit, *S. Scriptura tres mensæ, id est, tres intellectus divinæ Scripturæ ponuntur, videlicet historialis, mysticus, & moralis. Prima mensa simplicibus, secunda Doctoribus, tertiæ communis est utrisque. In prima cibus est grossior, in secunda subtilior, in tertia dulcior. Prima continet saporem exemplorum, secunda vim mysteriorum, tertia dulcedinem morum. Prima pascit miraculis secunda figuris, tertia verbis.*

Por-

Porro pro modo hoc investigandi S. Scripturam duplicis generis doctrinæ observandæ assignantur, generales scilicet, & speciales, quæ proinde utræque hoc loco breviter sunt referendæ.

Doctrinæ generales pro S. Scripturæ sensu investigando.

Doctrina 1. Nemo ad hanc Interpretationem admittendus est, nisi qui leges, proprietates, & Ordinem S. Scripturæ novit; ita disertè S. Chrysostomus hom. 39. de ira docuit his verbis: *Qui metalla fodere aggreditur artis ignarus, auri venas non invenit, sed confundit, & laborem subit cassum, ita qui divinarum Scripturarum ordinem non intelligunt, qui eorum proprietates, qui leges non disquirunt, sed omnia ad Verborum sonum accipiunt, aurum terræ confundentes nunquam reconditum in iis thesaurum assequuntur.*

Doctrina 1. *Nihil in S. Scriptura sine discussione prætereundum*: Ita iterum S. Chrysostomus hom. 2. in Isaiam docuit dicens: *Si hi, qui fodiunt in terris metalla, ne minima quidem frusta prætereunt; verùm ubi nacti fuerint aliquam venam auream, meatus omnes exactè circumspiciunt; multò magis hoc facere nos opertet in S. Scripturis. Et tamen in metallis difficile est invenire, quod venantur. Etenim cùm & metalla sint terræ, & aurum nihil aliud sit, quam terra, ipsa quoque naturæ communio similitudoque celat aspectum eorum; quæ quæruntur. Attamen ne sic quidem desistunt illi, sed omnem adhibent diligentiam, quamtumvis simul, atque viderint, sciant, quid verè sit terra, quid verè sit aurum. In Scripturis autem non est eadem ratio; neque enim proponitur aurum terra commixtum, sed purum est aurum: Eloquia, inquit, DEI pura, argentum igne exploratum, probatum terra. Siquidem Scripturæ non sunt metalla, quæ indigent Operariis. sed thesaurum præbent paratum iis, qui quærunt opes in ipsis reconditas.*

Doctrina 3. *Non in superficie literæ hærendum, sed ad interiora reconditi sensus tendendum*: uti idem S. Doctor ho. 20. in gen. sequenti similitudine ostendit: *Sicut, qui sensibiles thesauros effodere conantur, non in superficie solùm fodiunt, sed*

sed in profundum descendunt, penitiores terræ sinus scrutantur, tametsi sæpe post labores & sudores vix pauculas portiunculas afferunt. Non sic in spiritualibus, sed labor hic minor, & magna ubertas. Ita & nos ad ima scripturarum descendentes, vim in breviculis verbis latentem investigemus.

Doctrina 4. *Non desistendum, etsi non statim intelligi possit S. Scriptura:* sed, ut ingeniosè discurrit Robertus Abbas Tuitiensis l. 7. in Matth. *Sicut Iacob luctatus est cum Angelo, in quo DEVS erat, qui & victum se fatebatur; ita luctari debet Verbi DEI amator cum sermone vel scriptura, in quæ DEVS est, quæ ex DEO, nec dimittere, antequam vincat vinci volentem, sensumque comprehendat utilem in litera iacentem. Lucta enim pulcherrima est, tamdiu perseverare petendo, donec inveniat pulsando, donec sibi aperiatur. Hæc lucta placet DEO, hac cupit ipse vinci, hac fortitudine opus est, ut nobis aperiat & det Spiritum sanctum.* Sed & alia ratione constantiam hanc suadet Origenes, dum homil. 20. in Iesum *Nave* ait: *Solent Medici interdum præbere cibum aliquem, interdum potum dare, verbi gratia ad discutiendam caliginem visus nec tamen in edendo ipso cibo vel in potando sentimus, quia utile est, & prodest oculis, sed, cum transierit visum cibi illius aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum, & tunc demum sentire incipimus, quia cibus ille vel potus profuit oculis; sed in aliis similiter corporis partibus eadem fieri solent. Hoc ergo modo credendum est & de Scriptura Sacra, quia utilis est, & animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capit; quoniam, ut diximus, & bonæ virtutes, quæ nobis adunt, reficiuntur in iis sermonibus, & pascuntur, & contrariæ torpescunt iis Meditationibus, & effugantur.*

Doctrina 5. *In S. Scripturæ interpretatione modus simplicissimus adhibendus:* juxta S. Hieronymi in Epist. ad Demetrium sic loquentis monitum: *De scripturis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tullianæ Eloquentiæ ducendus est rivulus: nec aures Quintiliani flosculis & scholari declamatione mulcendæ; sed pedestris & quotidianæ similitudinis, & nulla lucubratione redolens oratio necessaria est, quæ rem explicat, sensum edisserat, obscura manifestet.*

Doctrina 6. *Omnis S. Scripturæ Interpretatio ultimatè ad caritatem DEI & Proximi referenda est, eique congruere debet:*

uti

uti iam olim sapienter S. Augustinus in lib. de doctr. Christ. advertit, dum dixit: *Quisquis igitur scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut ea intellecta non ædificet istam geminam caritatem DEI & Proximi, nondum intellexit. Quisquis verò talem inde sententiam duxerit, ut huic ædificandæ caritatis sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensisse probatur, non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur. Inest quippe in mentiente voluntas falsa dicendi, & ideo multos invenimus, qui mentiri velint: qui autem falli, neminem.* Et breviùs in tract. de laud. carit. *ille*, inquit, *tenet, & quod latet, & quod patet in divinis sermonibus, qui caritatem tenet in moribus.*

Doctrinæ speciales pro sensu S. Scripturæ inveniendo.

Doctrina 1. *Singula Verba in S. Scriptura sunt considerandæ:* nam, ut S. Hieronymus in Epist. ad Ephesios ait, *singulæ voces, literæ, apices, & punctula in divinis literis plena sunt sensibus.* Id quod confirmans D. Gregorius Nazianz. in apolog. 1. *Nos* inquit, *Exquisitam Spiritus doctrinam vel usque ad levissimum apicem & lineam transimus.* Et *quanquam in omni Scripturæ parte hæc adhibenda sit accurata verborum singulorum, proprietatisque eorum expensio, multo id tamen magis facere par est in novo Instrumento, ac multo omnium maximè in iis, quæ sacrosancto Christi Domini ore prolata recensentur ab Evangelistis, erat enim diffusa gratia in labiis ipsius.* Vnde & ipse Io: 6. dicebat, quòd verba sua Spiritus & vita sunt.

Doctrina 2. *Quantùm fieri potest, ipsi fontes frequenter consulendi sunt:* Vti communiter suadent, & faciunt Interpretes S. Scripturæ. Per fontes autem hos nihil aliud intelligitur, quàm textus Hebræus & Græcus cum Paraphrasi Chaldaica, & Græca Testamenti Novi Interpretatio; ex his enim non rarò optimi conceptus ad sententiam, quæ præ manibus habetur, illustrandam eruuntur.

Doctrina 3. *Ad SS. Patrum expositiones diligenter, imò assidue in sensu S. Scripturæ investigando est recurrendum:* & quidem, ut Antonius de Balinghem p. 2. præp. ad loc. comm. monet, non modò in iis locis, ubi ex professo aliquam sen-

ten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentiam tractant, sed etiam iis, in quibus quasi obiter, & ex accidenti eam explanant; in his enim locis latent sæpe pulcherrimæ, accommodatissimæque S. Scripturæ expositiones, uti passim in eorum solidissimis & eruditissimis lucubrationibus videre est.

Doctrina 4. *Ne S. Scriptura sibi ipsi contraria esse videatur, diligenter ad ambiguitatem vocum, diversitatem temporum, & numerorum, aliasque circumstantias attendendum est*: cùm enim, ut Salmeron canon. 30. proleg. 9 loquitur, DEVS universæ Canonicæ Scripturæ Author, non sit quasi homo, ut mentiatur: nec ut Filius hominis, ut mutetur, necessariò sequitur, etiamsi aliqua sibi repugnare videantur, ea tamen minimè sibi contraria esse, sed vel considerata temporum, locorum, causarum, rerum, actionum, & Personarum varietate, aut ambiguitate vocum, nominum propriorum, locorum & Personarum; aut Cognita varia scribendi ratione per figuras Prolepsis, Anacephaleosis, id est, Anticipationis & Recapitulationis; aut perpensa antecedentium & consequentium Verborum contextura, & aliarum circumstantiarum ratione omnia sibi invicem consonare, & mirificè convenire. Ex quo ulterius colligitur.

Doctrina 5. *Regulæ ab Interpretibus pro indagando vero S. Scripturæ sensu assignari solitæ diligenter, ubi opus videbitur, adhibendæ sunt*: Vt enim Artifices, qui regulas suas adhibere temerè negligunt, manifesto se errandi periculo exponunt; ita non minùs in S. Scripturæ sensu eruendo & exponendo periclitabitur, quisquis Regulas ab Interpretibus Sacris tanto labore, studioque collectas adhibere neglexerit. Quia verò sat magnus similium Regularum est numerus, placet easdem distincto paragrapho breviter enumerare.

§. III.

De Regulis pro vero S. Scripturæ sensu indagando assignari solitis.

Vt faciliùs intelligantur hæ Regulæ, proderit eas in diversas classes dividere; aliæ quippe generales sunt, quia generalem aliquam doctrinam in S. Scripturæ interpretatione observandam indicant: aliæ particulares, quia vel ad Personas, vo-

voces, numerum, tempus modum loquendi, figuras &c. pertinent, uti mox ex dicendis apparebit.

MEMBRVM I.

De generalibus Regulis.

Regula 1. *Quæ in divinis libris scripta sunt, tractare debemus per ea, quæ scripta sunt.* Ita Origenes c. 23. in Matth. Hinc cùm Christus Matth. 25. dixerit: *Quamdiu uni ex minimis meis, mihi feciſtis*: hæc sententia non ad illa duntaxat verba: *Esurivi & non dediſtis mihi manducare &c.* sed etiam ad alia similia referenda est, ita utæquè dici possit. *Blasphematus, tristatus fui: & nemo defendit, aut consolatus est me.*

Regula 2. *Ambigua in S. Literis, si explicari non possunt, in utramq; partem intelligi queunt, si fidei regula non obstet.* Ita S. Augustin. de Trin. cap. 1. & passim SS. Patrum praxis confirmat.

Regula 3. *Quæ colliguntur ex Scripturis Sacris, perinde habenda sunt, ac si in illis scripta essent.* Ita S. Gregorius Nazianz. l. 5. Theol. & communi Theologorum consensu confirmatur.

Regula 4. *Parabolæ non sunt ad Verbum exponendæ, ne multa sequantur absurda.* Ita S. Chrysostomus ho. 13. in cap. 3. Matth. Id quod & S. Hilarius 8. de Trin. confirmat dicens: *Non oportet in Parabolis nimia in singulis verbis cura perangi, sed cùm, quid per Parabolam intendat, didicerimus, inde utilitate collecta, nihil ulterius anxio est conatu investigandum.*

Regula 5. *Tropologia in S. Scriptura libera est, & his tantùm legibus circumscripta, ut pietatem sequatur intelligentiæ, sermonisque contextum, nec in rebus multùm inter se contrariis violentia fit copulandis*: Ita S. Hieronymus in cap. 1. Abac. Hinc in cap. 1. Ionæ ait, Apostolum quidem Agar & Saram ad duo Testamenta referre, nec tamen omnia, quæ in Historia illa narrantur, tropologicè intepretari possumus.

MEMBRVM II.

De Regulis circa Personas.

Regula 1. *Vsitatum est in Sacris Literis, ut bona opera, quæcunque facimus, DEO adscribantur*, Ita S. Aug. in Psal. 3.

Sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sic intelligendum est illud Rom. 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id est postulantes facit.

Regula 2. *Scire sive cognoscere DEI, quando Personis, vel rebus propter Personas coniungitur, non tam nudum scire, quàm DEVM probare & diligere significat*; Ita S. Hieronymus & Origenes apud Salmeronem proleg. 10. can. 17. ubi addit, simili modo DEVM illos nescire dici, quos non diligit, & sua notitia indignos censet. Hinc Luc. 13. dicit Christus: *Discedite à me Operarii iniquitatis, quia non cognovi vos*. Et è contrario Apostolus 2. Tim. 2. ait: *Novit DEVS eos, qui sunt eius*.

Regula 3. *Sæpe etiam scire aut nescire dicitur DEVS, quæ facit alios scire, aut aliis non indicat*. Ita Salmeron l. c. Hinc ad Abraham dixit DEVS Gen. 22. *Nunc cognovi* (id est, cognoscere te feci) *quod timeas DEVM*. Et Christus Matth. 24. *De die autem & hora* (scilicet judicii) *nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater*.

Regula 4. *Quoties absolutè legimus venientem vel venturum, nec Persona signatur, quæ venit, simpliciter est de Christo intelligendum*; ut Hippolytus Romanus in Danielem tradit. Hinc isti & similes textus: *Si moram fecerit, exspecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Habac. 2. Benedictus, qui venit in nomine Domini* Io. 12. de Christo solo, & non alio intelligendi sunt.

MEMBRVM III.

De Regulis circa Numerum.

Regula 1. *Nomina Numeralia ab uno usque ad quinque solent in S. Scriptura sæpe impropriè ad significandam diminutionem sive paucitatem accipi*. Ita Salmeron can. 50. Et sic intelligendæ sunt hæ sententiæ: *En colligo duo ligna*, id est, pauca, 3. Reg. 17. Et: *In Ecclesia volo quinque*, id est, pauca, *sensu meo loqui ut & alios instruam, quàm decem millia verborum in lingua* 1. Cor. 14.

Regula 2. *Nomina numeralia quintum numerum superantia plerumque multitudinem significant*. Ita idem Salmeron l. c. & colligitur ex sequentibus textibus: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum*, Iob. 5

Item

Item: *Septies in die cadet iustus, & resurget*. Prov. 24. *Mutasti mercedem meam decem vicibus*. Gen. 31.

Regula 3. *Mos est S. Scripturæ, maximè in Hebraico texta nomina cardinalia pro Ordinalibus sumere*. Ita Salmeron proleg. 11. can. 50. Cujus regulæ exemplum habetur Gen. 1. dum dicitur: *Factum est vespere, & manè dies unus*, id est, primus. Item Ioann. 20. *una Sabbatorum*, id est, *prima die solemnitatis Axymorum*.

Regula. 4. *Numerus definitus frequenter pro indefinito ponitur*. Sic iterum Salmeron l. c. & habentur exempla tum Prov. 24. *Septies in die cadet iustus*, id est, sæpe. Et Psal. 90. *Cadent à Latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*.

Regula 5. *Non rarò numerus singularis in Scriptura pro plurali ponitur*. Ita S. Augustinus 5. de Gen. ad lit. c. 10. ubi pro exemplo affert illam sententiam Genes. 1. *Fons ascendebat de terra, & irrigabat faciem terræ*. pro Fontes ascendebat.

Regula 6. *Omnes pro multis, & multi pro omnibus crebro in sacris literis ponuntur*. Vti S. Augustinus l. 6. contra Pelag. c. 12. docet, & exemplo confirmat petito ex illo Gen. 17. *Patrem multarum gentium posui te*, cùm tamen eidem alibi dictum sit: *in semine tuo benedicentur omnes gentes*.

Regula 7. *Cùm idem nomen substantivum in Nominativo ponitur cum Genitivo plurali, excellentiam quandam significat*: Ita S. Hieronimus in cap. 1 Galat. & patet veritas regulæ ex his & aliis exemplis: *DEVS Deorum, Dominus Dominorum, Cælum Cælorum*.

Regula 8. *Cùm S. Scriptura omnia licere, vel facienda sustinenda, aut impetranda dicit, de bonis tantùm, & licitis rebus loqui censenda est*. Ita Salmeron 14. proleg. form. atq; hac ratione intelligendi sunt sequentes textus: *Omnia mihi licent, sed non omnia, expediunt* 1. Cor. 10. *Omnia tempus habent*. Eccl. 3. *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis*. Marc. 11.

MEMBRVM. IV.

De Regulis circa Tempus.

Regula 1. *More Hebræo frequenter in S. Literis tempus præsens pro futuro ponitur*: Ita Salmeron proleg 15. reg. 2. & colligitur ex his & similibus textibus: *Pacem meam relinquo*

vobis

vobis. Io. 14. *Non do vobis paleas*. Exod. 5. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus* Luc. 19.

Regula 2. *Etiam præteritum non rarò pro præsenti ponitur in S. Scriptura*. Vti idem Author reg. 3. docet, probatque sequentibus textibus: *Vtique Domine, ego credidi*, pro credo, quia Christus interrogaverat: Credis hoc? *Medius vestrum stetit, pro stat*. Io. 1. *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus &c.* pro exultat Luc. 1.

Regula 3. *Frequentissimè est in S. Scriptura, ut Præteritum pro Futuro accipiatur*: Ita S. Hieronymus in epist. ad Ephes. ubi sic loquitur: *Mos est iste scripturarum, ut interdum futura tempore præterito declinentur. Verbi causa de cruce Domini: Foderunt manus meas & pedes, & alibi de Passione eius: Quasi Ovis ad victimam ductus est. Hoc autem ideo, ne quia futura semper incerta sunt, hominum spes semper fluctuet, & vacillet ea, quæ DEVS futura cognovit, apud quem nihil ambiguum est, quasi iam facta memorantur. Vt, quia præterita secundùm Philosophos fieri infecta non possunt*, qui audierint, *quasi iam facta habeant, quæ futura sunt*.

Regula 4. *Sicut in scriptura imperandi modus pro optativo & futuro sumitur (maximè in imprecationibus Sanctorum) ita vicissim futurum pro imperativo accipitur*: Ita Salmeron proleg. 15 ubi pro singulis membris exempla hæc affert: *Excæca cor Populi huius, id est, excæcabis*. Psal. 68. *Pater noster, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum, id est, utinam sanctificetur*. Matth. 6. *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum* pro *stet*.

Regula 5. *Quando unum & idem verbum geminatur, vehementiam, & continuationem actionis, & confirmationem sententiæ significat*. Ita Salm. l. c. reg. 12. & patet ex sequentibus textibus: *Exspectans exspectavi Dominum*. Psal. 39. *Castigans, castigavit me*. Psal. 117. *Benedicens benedicam tibi* Gen. 22.

Regula 6. *Imperativus non semper habet vim præcepti, sed interdum, si nominibus adhæreat, etiam vim deprecandi habet*. Vti Salmeron proleg. 11. can. 21. his exemplis ostendit: *Miserere mei DEVS*. Psal. 50. *O Domine, salvum me fac*: Psal. 117 *Vel etiam vim consulendi*, ut dum dicit Christus Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes*. Et S. Paulus 1. Cor. 7. *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem*,

Re-

Regula 7. *Multa dicuntur in Scriptura juxta Opinionem temporis, quo gesta referuntur, & non iuxta, id quod veritas continebat*. Ita S. Hieronymus c. 28. in Ieremiam, ubi Ananias dicitur Propheta, non quod esset, sed quòd crederetur talis. Et B. Virgo Matth. 14. dixit de S. Iosepho: *Ecce Pater tuus (qui putabatur talis, & non erat) & ego dolentes quærebamus te*.

Regula 8. *Mos est celeberrimus S. Scripturarum, ut his verbis: In diebus illis: non solùm, quæ facta sunt, sed etiam, quæ fient, adiungantur*. Ita S. Chrysostomus homil. 10. in cap. 3. Matth. ubi exemplo ex cap. 24. Matthæi petito id confirmat. Vbi dicitur. *Væ autem prægnantibus in illis diebus*:

Regula 9. *Frequenter in S. Scriptura aliquid tunc fieri dicitur, quando innotescit, & non quando actu fit*. Ita S. Augustinus l. 83. qq. q. 69. sic Christus Matth. ult. dixit *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*. Non quod non priùs jam data fuerit, sed quia post resurrectionem innotescebat. Sic & idem Christus Luc. 2. dicitur profeciisse ætate, Sapientia &c.

MEMBRVM V.

De Regulis circa Voces.

Regula 1. *Multa verba aut voces in scriptura ambiguas, imò etiam appositas habent significationes*. Ita Salmeron proleg. 15. reg. 32. Et patet in voce *Benedicere*, quæ interdum significat Laudare juxta illud: *Benedicam Dominum in omni tempore*. Psal. 33. Interdum benefacere, uti Gen. 24. *Dominus benedixit Domino meo valde*. Interdum maledicere, uti Iob. c. 2. Benedic. DEO, & morere. Sic etiam *extendere manum* interdum significat *percutere vel nocere* juxta illud Davidis 1. Reg. 24. *Non mittam manum meam, in Christum Domini*. Interdum *orare* significat, ut Isaiæ 1. *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis*. Interdum idem ac benefacere significat, ut Prov. 31. *Palmas suas extendit ad pauperem*.

Regula 2. *Multæ voces in S. Scriptura iuxta Idiotismum Hebraicum habent peculiares significationes*: uti Salmeron regul. 33 sequentibus verbis ostendit. *Dare manum*, idem est, ac subijcere se juxta illud Thren. 5. *Aegypto dedimus manum. Aedificare domum*, idem est, ac posteros relinquere, quo sensu

Lia

Lia & Rachel Gen. 29. domum Israel ædificasse dicuntur. *Ingredi & egredi* significat præstare officium suum, hinc Salomon dicebat 3. Reg. 3. *Ego sum Puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum. Cognoscere & alloqui Feminam* significat concubitum cum illa uti patet ex cap. 4. Gen. ubi dicitur: *Adam cognovit uxorem suam.* Et Cant. 8 *Quid faciemus Sorori in die, quando alloquenda est*, id est, desponsanda, & à Viro cognoscenda. *Loqui ad cor* consolari significat juxta illud Isaiæ 40. *Loquimini ad cor Ierusalem, & advocate eam. Facere Fœtere* est odiosum facere, qui priùs gratus erat; sic Gen. 34. dicitur: *Turbastis me, & fœtere fecistis Chananæis*: ubi Interpres habet, odiosum fecistis. *Movere caput post aliquem*, est irridere aliquem, ut Isaiæ 27. dicitur: *Post te caput movit. Filius Hierusalem*, & clariùs Psal. 20. *Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, & moverunt caput. Movere* verò *caput super aliquem* est de malo ejus dolere, uti videre est Ierem. 18. *Omnis, qui præterierit per eam, obstupescet, & movebit caput suum. Animam in manibus portare*, Idem significat, ac in discrimine versari juxta Psal. 118. *Anima mea in manibus meis semper. Ambulare coram DEO* est eum præsentem imaginari juxta illud Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus. Ambulare* autem *cum DEO* idem est ac facere voluntatem eius, quo sensu Noè Gen. 5. Vir justus fuisse, & cum DEO ambulasse dicitur. *Pedes contegere* significat alvum purgare. Hinc 1. Reg. cap. 24. Saul ingressus speluncam ad contegendos pedes dicitur. *Silere* frequenter idem significat in S. Scriptura, ac à bello quiescere juxta illud Isaiæ 14. *Conquievit, & siluit omnis terra. Cadere de sermonibus*, idem significat ac non implere, uti de Samuele 1. Reg. 3. dicitur: *Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Nominem salutare per viam* significat magnam celeritatem itineris. Hinc Christus Apostolis Luc. 9. dixit; *Neminem per viam salutaveritis. Non relinquere mingentem ad parietem* Hebræis est familiare, & significat, nulli masculo parcere, imò nec cani ejus, cujus est proprium ad parietem mingere.

Regula 3. *Non paucæ etiam voces alio in sensu à S. Scriptura accipiuntur, quàm primo aspectu videntur habere.* Sic juxta S. Hieronymum in cap. 1. Matth. *Primogenitus* à S. Scriptura vocatur non is duntaxat, quem alii Fratres nascendo sequuntur, sed is etiam, qui primo natus est; alioqui enim debuissent Israelitæ jussi offerre Domino, aut Sacerdotibus, quod aperit vulvum, exspectare in oblatione, donec viderent, an alius post Primogenitum nasceretur. Sic etiam *Pœnitentiam agere*, non semper idem est, ac converti; alioqui Achab deberet dici conversus ad Dominum, ut rectè notat Rupertus Abbas in c. 5. Oseæ. Qui etiam in c. 1. Amos ostendit, non idem esse *Fugere Dominum, & fugere à facie Domini*, illud enim semper malum est; hoc non item, cùm nihil aliud sit, quàm refugere sententiam vel tremendum propositum DEI, quod etiam is, qui diligit DEVM, facere potest. Pari modo *Clamare* in S. Literis non semper magnæ vocis emissionem, sed scientiæ, & dogmatum magnitudinem, & cor compunctum significat, teste S. Hieronymo in cap. 4. Galat. ubi Apostolus dicit: *In quo clamamus Abba Pater.* Vox *Spiritus* quoque, si fine addito proferatur, semper in bonam partem accipitur; malus verò Spiritus semper cum additamento exprimitur. Ita S. Hieronymus in cap. 2. Micheæ. Hinc dicitur Galat. 5. *Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus.* E contrario Luc. 11. *Cùm immundus Spiritus exierit.*

MEMBRVM. VI.

De Regulis circa Sensum.

Regula 1. *Nunquam ad spiritualem sensum indagandum progredi oportet, priusquàm literalis sensus cognitus est.* Ita S. Augustinus l. 8. de gen. indicat, dum ait: *Cur non potiùs Authorem simpliciter Scripturæ sequimur in narratione rerum gestarum, res verò gestas priùs intelligentes, tum de numero, quidquid aliud significant, perscrutantes?*

Regula 2. *Nihil est sub sensu spirituali alicui loco tribuendum, quod non per alium locum in sensu literali manifestè traditum inveniatur.* Ita iterum S. Augustinus, & uterque Clemens ac Origenes apud Salmeronem proleg. 19. can. 5.

Regula 3. *In sensu spirituali statuendo nihil est absurdi, si una & eadem dictio vario aut contrario modo accipiatur.* Ita Salmeron l. c. can. 12. cùm enim etiam in litterali sensu propter Metaphoras aut rerum varias naturas idem contingat, mirum videri non debet, si etiam in mystico sensu, qui multò

liberior est, hoc reperiatur. Hinc idem serpentis nomen quandoque Dæmonem, ut Gen. cap. 3. quandoque Christum quandoque Detractorem significat.

Regula 3. *Quandocunque S. Scriptura mentionem facit de Rege Messiæ, eiusque proprietatibus, aut sponsa &c. aut de vita æterna per varia præmia explicata, in mystico sensu & metaphoricè est accipienda.* Sic totum Psalmum 44. Cantica Canticorum, & nomina Merces, Bravium, Denarius, Corona, Thesaurus, Margarita, Convivium, Cæna magna, Mansio & similia per quæ beatitudo indicatur, accipere oportet.

Regula 4. *Si duæ tropicæ locutiones alicui loco Scripturæ applicentur, ea præferenda est, quæ magis ad proprietatem accedit.* Ita Salmeron proleg. 12. can. 13. Hinc illud Ioan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis &c.* etsi de spirituali manducatione intelligi queat, rectiùs tamen intelligitur de corporali simul & spirituali in Sacramento Eucharistiæ.

Regula 5. *Quidquid in S. Scripturæ neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratè accipi debet.* Ita S. Aug. l. 3. de doctr. Christ. c. 10. Hinc quia paulò ante citata sententia de manducatione corporali carnis visibilis intelligi sine absurdo non potest, de spirituali & Sacramentali intelligi debet.

Regula 6. *In divinis Scripturis vera aliquando tacentur, non mentiendo, sed tacendo.* Ita iterum S. Augustinus cap. 10. contra mendac. Vnde Abraham Gen. 12. dicendo Saram esse sororem suam, non mentitus est, quia erat tam propinqua, ut soror non mendaciter diceretur.

Regula 7. *S. Scriptura frequenter non tam attendit ad id, quod reipsa existit, quàm ad id, quod ex natura rei esse debet.* Ita Salmeron proleg. 9. can. 35. ubi pro exemplo affert sequentes textus: *Verebuntur Filium meum* Matth. 21. *Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum* Psalm. 13, *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Isaiæ 38.

§. IV.

§. IV.

De praxi suprædictarum regularum in apparentibus S. Scripturæ contradictionibus solvendis.

Etsi ex priori §. satis clarè pateat, quomodo Regulæ S. Scripturæ applicari debeant; quia tamen harum Regularum utilitas ac praxis nusquam magis, quàm in contradictionibus apparentibus solvendis apparet, ideo operæ pretium futurum visum est, si potiores aliquæ Contradictiones ejusmodi afferantur, &, quomodo solvi debeant, breviter ostendatur, ut ex earum solutione etiam aliæ solvi discantur,

Contradictio apparens 1. Genesis 46. dicitur: *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum sexaginta sex*; quomodo ergo Gen. 46. dicuntur fuisse septuaginta? Resp. quia in priori loco non numeratur Iacob cum Iosepho, & duobus ejus Filiis Ephraim & Manasse.

Contradictos 2. Ezechielis 18. dicit DEVS: *Filius non portabit iniquitatem Patris*; quomodo ergo Exod. 20. dicere potuit DEVS: *Ego Dominus visitans iniquitatem Patrum in Filios?* Resp. quia in priori loquitur DEVS de culpa peccati, quæ sine consensu Filiis non adscribitur; in posteriori verò loquitur vel de Filiis sequentibus Patrum malorum vestigia, atque adeò iniquitatem participantibus; vel certè sermo est de temporali duntaxat pœna, qua interdum Filii propter Parentes castigantur, sed ita, ut insignis simul meriti augendi occasio offeratur.

Contradictio 3. Exodi 33. dicit DEVS: *Non videbit me Homo, & vivet*; qua ratione ergo Iacob. Gen. 32. dixit: *Vidi DEVM facie ad faciem, & salva facta est anima mea?* Resp. quia in priori textu de lege ordinaria & visione essentiæ divinæ in se locutus est DEVS; in posteriori verò Iacob tantùm sub corporea specie vidisse se DEVM affirmabat.

Contradictio 4. Iobi cap. 1. dicitur: *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis*: qua veritate ergo cap. 7. dicit se despe-

tu de peccato blasphemiæ & murmurationis sermo erat; in posteriori de peccatis aliis, & maximè ante hanc afflictionem admissis. Desperatio tantùm erat de bonis amissis recuperandis, qua de causa sic affligebatur, ut maluisset per suspendium citò finiri vitam.

Contradictio 5. Ecclesiasticis c. 3. dicitur, suis spatiis transire universa sub cælo; cur ergo ibid. n. 14. omnia opera, quæ fecit DEVS in perpetuum perseverare dicuntur? Resp. in priori loco sermonem esse de operibus cum tempore comparatis, aut in se consideratis: in posteriori autem de operibus sex dierum vel in se, vel in sua specie durantibus permanentibus.

Contradictio 6. Ecclesiastici 11. c. dicitur, vita & mors à DEO esse; qui ergo dicere potuit Salomon, DEVM mortem non fecisse? Resp. quia in priori casu de voluntate permittente & consequente sermo est: in posteriori autem de voluntate antecedente & approbante, peccatum locutus est Salomon.

Contradictio 7. Quomodo S. Ioannes c. 2. cum veritate dicere potuit, templum ædificatum esse quadraginta & sex annis, cùm tamen à Salomone non nisi septem annos cum dimidio in hoc ædificio impensos dixerit Scriptura 3. Reg. 6. Et Zorobabel vix quinque annos insumpserit 1. Esdræ 6.? Resp. quia Iudæi locuti sunt aut secundùm falsam suam opinionem, qua putabant, tot annis templum fuisse ædificatum, aut certè de 46 annis inter tempus Christi, & tempus restaurationis ab Herode factæ locutos esse; non autem de septem annis verè impensis.

Contradictio 8. Ioannis 20. dicitur, Mariam Magdalenam venisse ad monumentum, cùm adhuc tenebræ essent, quomodo ergo S. Marcus c. 16 dicere potuit, eam venisse Orto jam Sole? Resp. quia S. Ioannes locutus est de tempore, quo è domo egressa est; S. Marcus verò de tempore, quo ad monumentum venit.

Contradictio 9. Ioannis 4. cap. dicitur: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*. Cur ergo Ecclesiastici 24. cap. dicitur: *Qui bibunt me, adhuc sitient*? Resp. in priori textu voce *bibere* in spirituali sensu pro gustu vitæ æternæ, in posteriori verò pro desiderio & concupiscentia sumi, quæ tanto magis

magis solet crescere, quàto plùs gustatur de objecto concupito.

Contradictio 10. S. David Psalm. 115. ait: *Omnis homo mendax*: qui ergo S. Ioannes Apoc. 14. dicere potuit *In ore eorum non est inventum mendacium*? Resp. in priori textu loqui S. Davidem de Homine secundum naturam corruptam duntaxat spectato; in posteriori autem sermonem esse de Homine per gratiam divina adjuto.

Contradictio 11. S. Paulus ad Rom. 11. dicit, sine pœnitentia esse dona & vocationem DEI; quomodo ergo DEVS 1. Reg. 15. dixit: *Pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem*? Resp. quia S. Paulus locutus est de pœnitentia, quod affectum intrinsecæ voluntatis, prout solent pœnitere homines, qui sunt Mentabiles, qualis modus pœnitentiæ non convenit DEO, sed solùm quoad effectum operis externi, quatenus nimirum operatur exterius, qualis nos interna pœnitudine ducti facere consuevimus.

Contradictio 12. Lucæ 6. dicitur: *Omni petenti te tribue*: cur ergo Siracides cap. 12. ait: *Non dederis impio, prohibe panes illi dari*. Resp. Christum l. c. locutum esse de eleemosyna, Siracidem autem de collatione munerum innixa justitiæ distributivæ, qua beneficia ac munera non nisi pro meritis & dignitate Personarum distribuuntur.

Contradictio 13. Apostolus ad Galat. 6. hortatur, ut alter alterius onera portet; quomodo ergo eodem capite dicere potuit: *Vnusquisque onus suum portabit*? Resp. in priori vel su loqui Apostolum partim de gravaminibus naturalibus Proximum gravantibus, partim de peccatis Proximi, quæ portare debemus per compassionem, instructionem, orationem, & afflictiones pro ipso susceptas sicut Christus Isaiæ 53. iniquitates nostras portasse dicitur. In posteriori verò textu loquitur de pœna peccatum sequente in die judicii, ubi quisque juxta sua suorum peccatorum mensuram punietur.

Contradictio 14. Idem Apostolus 1. ad Timoth. 6. dicit, Omnium malorum radicem esse cupiditatem: quomodo ergo Ecclesiastici 10. c initium omnis peccati superbia dicitur? Resp. quia in utroque textu particula *Omnis* non accipitur pro singulis generum, quasi nullum in particulari peccatum esset, quod non ex avaritia oriretur; sed de generibus singulorum, quod scilicet omnis generis mala ex avari-

tia nascantur; quo sensu non repugnat etiam Superbiam omnis peccati radicem dici.

Contradictio 15. S. Paulus ad Gal. 1. dicit: *Si adhuc Hominibus placerem, Christi servus non essem*: & tamen 1. Cor. 10 dicit: *Ego per omnia omnibus placeo*, an non hæc contradictio est? Resp. in priori textu loqui Apostolum de aucupanda hominum gratia, ut in ea tanquam fine quiescat; in posteriori verò textu loqui eum de placendi studio propter DEVM, id est, non offendendi alios, sed potius ædificandi, ubi locum habet illud Maldonati in cap. 5. Matth. *Qui gloriam quærit non sibi, sed DEO, etiamsi videri cupiat, videri non cupit.*

Contradictio 16. Christus Matth. 5. dixit: *Non veni solvere legem sed adimplere*; quomodo ergo translato Sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat, quemadmodum S. Paulus ad Hebr. 7. ait? Resp. Legem quidem antiquam à Christo fuisse abrogatam, sed tamen etiam implesse, quamdiu adhuc durabat, dum juxta illius præceptum Ierosolymas ascendit, Pascha manducavit &c. Et præterea quæ lex antiqua per figuras & cæremonias promisit, ipse in effectu præstitit.

Contradictio 17. Ad Hebræos 9. dicitur: *In arca erat urna habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti*: quomodo ergo 3. Reg. 8. dici potuit, in arca non fuisse aliud, quàm duas tabulas lapideas, quas posuerat in ea Moyses? Resp. Cornelius à Lapide in arca quidem nihil aliud inclusum fuisse, quàm duas tabulas, juxta arcam tamen fuisse etiam repositam virgam Aaronis & urnam, atque adeò juxta Hebraismum dici potuisse in arca posita, sicut dicimus calceos in pedibus habere, licet sint juxta pedes positi.

Contradictio 18. S. Iacobus c. 1. dicit, DEVM neminem tentare; an non hoc contrarium Genesi c. 22. ubi dicitur *Tentavit DEVS Abrahæm*? Resp. S. Augustinus de verbis Domini, aliam esse tentationem inducentem ad peccatum: aliam, qua fides probetur, & meriti occasio offeratur; de hac locum Genesis, de priori S. Iacobum locutum fuisse.

Contradictio 19. S. Ioannes 1. c. 1. ait: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; quomodo ergo mox c. 3. dicere potuit: *Omnis qui natus est ex DEO, peccatum non habet?* Resp. quia in priori textu loquitur de homine secundùm solam naturam corruptam

ptam spectato; in posteriore verò loquitur de Homine gratia DEI ornato, quam, quamdiu retinet peccatum, saltem grave, non facit.

Contradictio 20. Ioannis 15. dicitur: *Omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*: qua ratione ergo idem Christus Ioan. 16 dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo*? Resp. in priori textu per particulam *omnia* non intelligi omnia simpliciter, sed quæ Discipulorum captui conveniebant, & quæ ut Legatus DEI dicere poterat; quæ interpretatio non tollit veritatem posterioris textus.

Contradictio 21. Matth. 18. dixit Christus: *Si peccaverit in te Frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum*; quomodo ergo S. Paulus dicere ausus est: *Peccantes coram omnibus argue ut cæteri timorem habeant*? Resp. Christum de peccatis privatim, S. Paulum de publicè commissis locutum fuisse.

Contradictio 22. Marci 10. dicitur: *Nemo bonus, nisi unus DEVS* quomodo ergo Lu. 6. dicitur *Bonus Homo de bono thesauro cordis sui proferet bonum*? Resp. In priori textu intelligi bonum per essentiam; vel etiam bonum totaliter, qui omni vitio careat; in posteriori autem bonum participativè, vel etiam secundum quid.

Contradictio. 23. Matthæi 10. dicitur: *Nihil tuleritis in via non peram, non calceamenta, neque virgam*; cur ergo idem Christus Marc. 6. præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm? Resp. vel cum aliquibus in priori sensu virgam propriè; in posteriori metaphoricè pro potestate faciendi miracula, aut accipiendi alimenta, aut prædicandi Evangelium accipi; vel, si utrobique propriè sumenda sit virga, in priori textu virgam ad ferendum; in posteriori ad sustentandum intelligendam esse.

Contradictio 24. Quomodo Christus Luc. 11. dixit: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*; cùm tamen Apostolus 1. Cor. 13. dicat, nihil prodesse, si distribuerit in cibos pauperum omnes facultates suas, caritatem autem non habeat? Resp. Eleemosynam mundare dispositivè duntaxat (quatenus impetrat gratiam, ut homo possit mundari) vel concomitanter, quatenus ex amore DEI super omnia procedit; caritatem autem per se formaliter justificare, quod prædicatum eleemosynæ non convenit.

Contradictio 25. Quomodo idem Christus dixit Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*; cùm tamen ipsemet Matt. 26 dicat: *Omnes vos scandalum patiemini in me*? Resp. in priori textu Christum locutum fuisse de tentationibus seu tribulationibus, quas ante passionem suam passus est: in posteriori verò de tribulationibus passionem subsequentibus.

Contradictio 26. Quomodo IESV dicitur Ioann. 3. baptizasse, cùm tamen c. 4. non baptizasse ipsum dicat S. Ioannes? Resp. eum non quidem baptizasse in propria Persona (nisi fortè B. Virginem, & S. Petrum & Ioannem, ut aliqui putant) baptizasse tamen per Discipulos; censetur autem quis facere etiam, quod facit per alios.

Contradictio 27. Quomodo Apostolus ad Rom. 9. dixit: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; cùm tamen Sap. 11. dixerit Salomen: *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*? Resp. in priori textu non de odio absoluto, quo quis rem odio habitam vult non esse; sed de odio comparativo, quo quis rem aliquam odisse dicitur, quam in comparatione cum alia minùs diligit, sermonem esse; unde nihil in illo textu contrarium posteriori dicitur.

Contradictio 28. Quomodo S. Paulus ad Rom. 3. dicit, justificari Hominem per fidem sine operibus legis; cùm tamen S. Iacobus c. 2. dixerit, fidem sine operibus mortuam esse? Resp. S. Paulum locutum esse de fide viva, quæ est cum caritate conjuncta; S. Iacobum autem de fide mortua seu solitariè accepta; aut certè S. Paulum loqui de justificatione fundamentali seu inchoata; S. Iacobum verò de formali & consummata justificatione.

Contradictio 29. Proverb. 26. dicitur? *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficaris ei similis*; quomodo ergo mox subijcit: *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*? Resp. in priori textu de responsione stulta; in posteriori verò de responsione juxta meritum stultitiæ, seu ad eam redarguendam accommodata sermonem esse.

Contradictio 30. Cùm Gen. c. 1. dixerit DEVS Adamo & Evæ: *Crescite & multiplicamini*: quomodo S. Paulus Matth. 19. *Non expedit nubere*? Resp. cùm primi Parentes

tes debuerint multiplicare genus humanum, merito illis præceptum propagationis impositum est; Quod tamen præceptum genere humano satis multiplicato non ampliùs est necessarium; unde ob matrimonii difficultates aliquibus non expedit nubere.

Contradictio 31. Deut 12. dicitur: *Occide, & comede, sive immundum fuerit, sive mundum*: cur ergo ibid. c. 14. dicitur: *Ne commedatis, quæ immunda sunt*? Resp. in priori textu sermonem esse de immundis animalibus secundùm quid, id est, talibus, quæ vel vitiata offerri non poterant, ut bos, ovis, capra, turtur, columba, vel ungulam non findebant, nec ruminabant, ut cervus, caprea, oryx, & similes: in posteriori verò textu sermonem esse de animalibus absolutè immundis, qualia sunt vel morticina, id est, per se mortua: vel quæ non ruminant, ut sus: vel ungulam non findunt, ut camelus, lepus, cuniculus.

Contradictio 32. Matt. 10. dicitur: *Gratis accepistis, gratis date*: quomodo ergo Luc. 10. dicitur: *dignus est Operarius mercede sua*? Resp. in priori loco dixisse Christum, quod merces pro prædicatione Evangelii non sit petenda: in posteriori verò insinuari, quòd ab Auditoribus saltem debeatur Prædicatoribus merces & cibus, etiamsi illi non eandem ut mercedem aut præmium intendere & petere debeant.

Contradictio 33. Ionæ 3. dicitur: *Adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur*: quomodo ergo ibidem cap. 4. dicit DEVS: *Ego parcam Ninive civitati magnæ*? Resp. quia comminatio Ionæ conditionata duntaxat fuerat, si scilicet pœnitentiam non agerent; cum ergo hæc conditio impleta fuerit, merito DEVS se parsurum dixit.

Contradictio 34. S. Ioannes 1. cap. 2. dixit. *Audistis, quia Antichristus venit*: quomodo ergo S. Paulus 2. Thess. 2. dixit: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus IESVS interficiet*? Resp. in priori textu præsens tempus pro futuro sumi, quo notato non erit difficultas in posteriori textu salvando.

Contradictio 35. Quomodo Christus Ioannis 5. dicere potuit: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*: cùm Io. 8. dixerit: *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est*? Resp. in priori textu loqui Christum de testimonio secundum vulgarem

rem opinionem accepto, quod suspectum est, si quis de seipso testetur; in posteriori autem textu loqui de testimonio, suo prout à parte rei se habet, & à suprema veritate oritur, sub quo respectu utique verum est.

§. V.

De Mediis ad Theologiam positivam addiscendam.

Duplicis generis media plerumque præscribuntur ab Interpretibus S. Scripturæ ad hanc scientiam addiscendam, naturalia scilicet, & supernaturalia, quæ proin utraque breviter hoc loco referuntur.

Inter naturalia primum Alphonsus Salmeron proleg. 17. numerat humanas Disciplinas; tum quia S. Scriptura ita attemperata est, ut, sicut Tinctores, prius quam perfectum colorem purpuræ panno inducunt, priùs alium inferiorem præmittunt, super quo aptiùs imprimatur color perfectus, ita disciplinæ humanæ ante divinam scientiam præmittantur; tum quia S. Scripturæ splendor magis apparet, si juxta cogitationes mortalium timidas, & incertas providentias ponatur, tum quia denique conducunt ad magis resistendum Hæreticis paralogizantibus, & Dæmonibus tentantibus, & scrupulos contra fidem ingerentibus.

Secundum medium naturale meritò *Historia* creditur à S. Aug. l. 2. de doctr. Christiana c. 28. quia, quidquid de ordine temporum tractatorum ea indicat, plurimum nos adjuvat ad sacros libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discantur, uti S. Pater fusiùs l. c. per exempla demonstrat.

Tertium est *Linguarum Trium principalium Hebrææ scilicet, Græcæ, & Latinæ cognitio*; nam si earum phrases & idiotismi bene cognoscantur, magnum lumen studiosis scripturarum lectoribus ingerunt, non solum ad ambiguitatem nominum tollendam, & corruptorum textuum emendationem, similitudinumque & ænigmatum perceptionem; verum etiam ad sensus mysticos & spirituales suaviùs accommodandos, & stabiliendos, ut loquitur Salmeron proleg. 9. can. 13.

Qua-

Quartum est *assiduitas lectionis*; quia ut Isidorus l. 1. de summo bono ait, quanto quisque magis assiduus fuerit in sacris eloquiis, tantò ex eis uberiorem intelligentiâ capit. Et ut S. Augustinus l. 2. de doctr. Christ. cap. 9. ait prima observatio est nosse libros istos, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere.

MEMBRVM II.

De mediis supernaturalibus.

Primum inter hæc meritò censetur *animi puritas*; nam, ut sapienter Cassianus, Coll. 14. c. 14. advertit, impossibile est, immundam animam, quantalibet desudaverit lectionis instantia, adipisci scientiam spiritualem; nemo enim in vas fœtidum atque corruptum, unguentum aliquod nobile, aut mel optimùm, aut pretiosi quidquam liquoris infundit. Hinc & S. Gregorius Theologus in carmine de vita sua canit:

Quam soli cernere possunt,
Qui bene purgarint generosæ lumina mentis.

Secundum medium est *pax animi*: nam sicut in aquis turbidis atque agitatis perturbata apparent omnia atque confusa, quæ eadem in immotis clarè atque distinctè conspiciuntur, sic animus omni vacans perturbatione, cum res omnes, tum sacrarum literarum arcana mysteria planissimè percipit, qui tamen à passionibus agitatus & commotus vix quidquam intelligit.

Tertium est *Oratio*, cum enim hæc scientia sit liber signatus, inquit Origenes hom. 12. in Exod. orandus est DEVS, ut ipsum aperire dignetur illius ope, qui clavem David habet, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Hinc & S. Iacobus ait, *si quis vestrum indiget sapientia, postulet à DEO*, & confirmans idipsum Hugo l. de anima *ad S. Scripturæ*, inquit, *cognitionem opus est intima compunctione potiùs, quàm profunda investigatione: suspiriis, quàm argumentis: crebris gemitibus, quam argumentationibus: lachrymis quàm sententiis; oratione, quam lectione; gratia lachrymæ-*

rum,

rum, quàm scientia litterarum: cœlestium potius contemplatione quam terrestrium occupatione.

Quartum est *Humilitas ac animi demissio*: hic enim vel maximè locum habet illud Christi Matt. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus: & revelasti ea parvulis*. Vnde meritò S. Augustinus epistol. 56. *Non aliam*, inquit, *ad capessendam & obtinendam veritatem tibi viam munias, quamque munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam DEVS videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, & tertia humilitas. Et quoties interrogares, hoc dicerem.*

Quintum *Fides firmissima* non immeritò existimatur: nam ut rectè S. Augustinus in Ps. 118. dixit *qui diligit legem DEI, etiam quod in ea non intelligit, honorat; & quod ei sonare videtur absurdè, se potius non intelligere; & aliquid magnum latere ibi, judicat.*

§. VI.

De modo solido & facili studendi Theologiæ Positivæ.

Varii à variis assignantur modi Theologiæ positivæ cum fructu studendi; ex quibus tamen meo judicio optimus videtur, quem S. Bonaventura S. 19. in Hexameron assignat: ubi ait, hunc modum debere habere quatuor conditiones, scilicet Ordinem, Assiduitatem, Complacentiam, & Commensurationem.

Ordo requirit, ut, sicut Pueri primò addiscunt A, B, C, & postea syllabicare, & postea legere, & postea quid pars significet, similiter & in S. Scriptura primò aliquis sæpè studere debet in textu; & ipsum habere in promptu, deinde intelligere, quid dicitur per nomen, non sicut Iudæus, qui semper tendit ad literalem sensum. Tota scriptura est quasi una cithara. Et sicuti chorda per se non facit harmoniam, sed cum aliis, similiter unus scripturæ locus dependet ab alio, imò unum locum respiciunt mille loca.

Ad hanc autem intelligentiam non potest Homo pervenire per se, sed per alios, quibus DEVS revelavit: oportet ergo

ergò recurrere ad Originalia Sanctorum, id est, ad Interpretes sacros, præcipuè SS. Patres, quæ cæteris excelluerunt in vero scripturæ sensu explicando, eò quòd ob majorem vitæ sanctitatem majus quoque à DEO lumen acceperint ad intimos S. Scripturæ sensus penetrandos.

Assiduitas in eo consistit, ut & frequenter legamus, & constanter eidem sententiæ insistamus, donec intelligamus; impedimentum enim maximum est, inquit S. Doctor, lectio vagabunda; vagatio exterior signum est vagationis animæ, & ideò talis non potest proficere, quia non figitur in memoria, sicut ponit exemplum S. Gregorii. Quando homo vidit faciem hominis semel, non ita perfectè postea cognoscit; sed quando frequenter vidit, postea cognoscet. Sic de S. Scriptura; quia primo faciem obscuram habet; postea quando frequenter videtur, efficitur familiaris. Hinc & S. Damascenus l. 4. de Orthod. fide c. 18. ait; *Si legerimus semel aut bis; & non intellexerimus, quæ legerimus, non improbemus, non detrahamus, sed perseveremus, excitemur, interrogemus. Interroga*, inquit, *sacer scriptor Deut. 32. Patrem tuum & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi; non enim est omnium scientia.*

Complacentia requirit, ut magno cum desiderio, pariqué consideratione & attentione legatur S. Scriptura; nam, ut rectè S. Augustinus c. 6. de utilit. credendi dixit, *amari prius à nobis S. Scriptura debet, quàm disci. Vnde à multis, quia aut oderunt, aut non amant, non intelligitur.* Et confirmans id ipsum S. Bonaventura l. c. *sicut*, inquit, *DEVS proportionavit gustum & cibum, quia cibus dat saporem gustui, qui habet vim discretivam & ex his duobus cibus incorporatur; sic primò oportet sumere scripturam, postea masticare, deinde incorporare.*

Commensuratio denique exigit, ut non plus quisque sapiat, quàm oportet: sed illud Salomonis semper ob oculos habet Prov. 25. *Mel inveniſti? comede, quòd tibi sufficit, ne fortè satiatus evomas illud.*

Ne ergo plus te extendas, inquit S. Bonaventura l. c. *quàm ingenium tuum potest ascendere, nec infra maneas. Videtur in designatione hujus, ut dicit S. Dionysius de cœl. Hieron. c. 6. quòd Seraphin mediis volabant alis, ut nec sistat homo infra quod potest; nec ascendat supra illud, quod potest; sicut illi qui cantant ultra vires, nunquam faciunt bonam harmoniam, ut*

dicit

dicit S. Augustinus. Tantùm proficit unus durus, dummodo ordinatè studium suum, prosequatur, sicut ingeniosus, & inordinatè studens.

§ VII.

De Interpretibus S. Scripturæ.

Cùm inter alia, quę priori §. ad studium S. Scripturæ requiri dictum est, etiam hoc fuerit, ut quis suo tempore diligenter ad Interpretes S. Scripturæ recurrat, meritò pro corronide hujus Institutionis breviter hoc loco exponendum est, quinam meliores ejusmodi Interpretes censeantur, qui quidem ad duas Classes reduci possunt, videlicet ad SS. Patres, & ad alios, qui SS. Patrum numero non censentur.

Ex SS. Patribus, (qui, teste Francisco Ribera in præf. in Hagg. n. 8. in hoc sine controversia vincunt alios Scriptores, quòd multo præstantiores habuerant Magistros, & scripturas non tam pro suo ingenio, quàm pro majorum traditione explicabant) placet eos ordine ætatis referre, & quid de iis paulò antè citatus Ribera præf. in Malach. ex suo & aliorum sensu judicaverit, breviter audire.

Origenes, inquit, ubi à fidei regula non discedit, nemo præstantior, nemo acutior, nemo elegantior, de quo meritò dictum est, quod refert Cassiodorus in Instit. divin. lect. Vbi bene, nemo meliùs. Vbi malè, nemo pejus. Feliciter excogitat, acutè comprobat, aptissimè eloquitur, & paucis verbis thesauros aperit scripturarum: Lectorem tamen requirit prudentem ac sobrium, ut sciat (quemadmodum S Hieronymus scribit ad Avitum) in eo detestanda esse, quàm plurima, & juxta Sermonem Domini inter Scorpiones & Colubros incedendum.

S. Hilarius grandis est verbis, sapiens sententiis, toto genere gravis.

S. Ambrosius subtilis, brevis, & cum pietate Origenis imitator.

S. Cyrilus in historia magnus, nec in Allegoria minor, vix ullum habet in Græcis, cui cedere debeat.

S. Chrysostomus nusquam non ingeniosus & doctus in Epistolis Pauli & alios vicit, & seipsum.

D. Hi-

D. Hieronymus, eodem Ribera teste, ubique sui similis etiam in hoc magnus est, quod relictis Hereticis, quibus cum pro domo Dei perpetuum & implacabile bellum gessit, ad mores convertitur, aut Christum in lege, & Prophetis nobis ostendit. Vnde hic idem Author præf. in Zachar. in iis, quæ ad vetus Testamentum pertinent, neminem sive ex Græcis, sive ex Latinis ipsi parem esse judicandum existimat, ut qui linguas. Hebræam, Chaldaicam, Græcam, Latinam præclarè cognoverit, & historiæ omnis peritissimus fuerit.

S. Augustinus ingenii mirabili acumine, & facultate res subtiles & abstrusas explicandi in omnibus præstans, sive se ad Historiam convertat, sive ad Allegoriam, ut Scriba doctus in regno Cœlorum profert de thesauro suo nova & vetera, eruditione in admirationem excitat legentem, subtilitate erigit, & oscitare non sinit, eloquentiæ suavitate demulcet, argumentis validis movet, & vehementer stimulat ad pietatem.

S. Isidorus valde etiam utilis, divinarum humanarum rerum cognitione florens; & pietatem ubique spirans.

Hsychius plenus est, & copiosus, & gravis, & Riberæ sententia pares habet paucos, Superiorem fortasse neminem.

De S. Gregorio Magno sic scribit idem Author: Equidem ita judico, cùm de libris Moralis expositionis Iob incidit sermo, nullum habere librum Ecclesiam, præter eos, qui divinitus inspirati sunt illo doctiorem aut utiliorem. Per ejus libros inoffenso pede currere licet, nihil timendum, nihil habet non Catholicum, nihil non eruditum. Vt est ubique gravis, maturus, religiosus, elegans, doctus, acutus, eloquens; quam absconditos sensus eruit, quàm utiles, quam moribus formandis aptos? Ejus libros ut optimos morũ & sanctitatis Magistros, & ut locupletissimum Scripturarum promptuarium adeamus, atque ille in hoc genere valde se profeciisse existimet, cui valde placebit Gregorius. Equidem arbitror, si vel ejus unius libri studiosè legantur, præstantissimos inde Scripturæ Expositores, Concionatoresque prodire posse. Iste est, quem ego non solùm noctes ac dies legi, & iterum, atque iterũ revolvi, sed ad verbum etiã, si fieri posset, cuperem edisci. Eum cùm lego, soleo in DEI laudem & gratiarum actionem excitari, quod talem, tantùmque Doctorem dederit Ecclesiæ.

Ex

Ex aliis Scriptoribus, qui in S.S. Patrum classe non recensentur, laudantur inprimis Nicolaus Lyranus, qui judicio Riberæ præfat. in Zach., nunquam videtur prætereundus; est enim diligens, brevis, & eruditus.

Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus, ubicunque Commentarii ejus extiterint, avidè legendus est, inquit idem Ribera, suppeditat enim copiam rerum mirabilem, quærit plura, quàm ullus unquam quæsierit: colligit dicta multorum, optimè eligit, copiosè tam aliena confutat, quam sua confirmat, gravis, pius, & acutissimi judicii.

Glossa, quam Ordinariam vocant, valde utilis est, sed quoniam tota ex veterum Patrum scriptis concinnata est, eandem cum illis laudem meretur.

P. Cornelius Cornelii à Lapide Soc. IESV, qui quadraginta annis huic studio se incubuisse scribit, & à triginta annis nihil aliud egisse, integros in S. Scripturam, eosque insignes reliquit Commentarios, Iob & Psalmis exceptis.

P. Iacobus Tirinus pariter Commentarium in integram Scripturam, opus, ut Bibliotheca Scriptorum Soc. ait, Calculis Chronologiæ, diligentissimè subductis, & variarum materiarum indicibus illustratum.

P. Ioannes Stephanus Menochius quoque brevem explicationem sensus literalis totius S. Scripturæ ex optimis Authoribus per Epitomen collectam edidit.

P. Emanuel Sa vulgavit notationes in totam S. Scripturam, quibus tum omnes ferè loci difficiles, tum variæ ex Hebræo, Chaldæo, & Græco lectiones mira brevitate explicantur, opus concisum quidem, sed magnis laboribus atque indefesso studio elaboratum atque perfectum. Item Scholia in quatuor Evangelia, brevia quidem, sed erudita, ex selectis Doctorum Sacrorum Sententiis collecta, quam verè auream Catenulam posses appellare, inquit cit. Bibliotheca.

Quibus addi possunt P. Alphonsus Salmeron in novum Testamentum. P. Sebastiani Barradii Commentaria in Concordiam & Historiam Evangelicam.

P. Franciscus Ribera in Prophetas minores Ioannis Evangelium, & Epistolam ad Hebræos. P. Nicolaus Serarius in plures libros S. Script. P. Ferdinandus Quirinus de Salazar in Proverbia. P. Didacus de Celada in Iudith. & plures alii.

TRA-

TRACTATVS II.

INSTITVTIONES THEOLOGIÆ ASCETICÆ, COMPLECTENS.

Proœmium.

QVID sit Theologia Ascetica, pariter ex iis, quæ in præfatione hujus Institutionis dicta sunt, & paulò post fusiùs explicabuntur, patet, quod scilicet sit Scientia supernaturalis ad perfectionem consequendam dirigens. Ex qua definitione facile patet, quantopere hæc scientia cujvis Pastori animarum curam gerenti conveniat, cùm enim vi vocationis suæ Sapientibus æquè ac insipientibus debitor sit, id est, non eos duntaxat, qui per communē & ordinariam viam Mandatorum, sed illos etiam, qui per breviorē & arctiorem viam Consiliorū Evangelicorum ad ultimum suum finem ac terminum tendere decreverunt, dirigendos & manuducendos obligatus sit, hoc autem præstare non possit, nisi ipse perfectam hujus viæ notitiam acquisierit, rectè concluditur, Scientiam hanc Asceticam, si ulli alteri, Sacerdotibus curam gerentibus summopere necessariam esse. Hæc certè causa est, cur Theologi & Patres Spirituales unanimiter doceant, Episcopos non tantùm ad Perfectionem sectandam ad modum Religiosorum obligari, sed omnino perfectos esse debere, eò quòd ad alios docendos & manuducendos virtute sui muneris obligentur, *omnis autem doctrina*, ut sapienter Clemens Alexandrinus l. 5. Strom. advertit, *generatio quædam sit, ut, quemadmodum non generantur Homines, nisi in perfectione ætatis & virium; ita neque Filios Spirituales, nisi ut perfectione virtutum nasci contingat*. Cùm ergo Episcopi hoc munus Instructionis modo plerumque non per seipsos, sed per immediatos Pastores & Curatores animarum exerceant, clarè profectò liquet, hos non minùs, quàm Episcopos perfectos esse debere,

E at-

atque adeò & scientiam illam, quæ ad perfectionem dirigit; ipsis præcipuè convenire, ut de illis perinde ac de antiquo illo Pastore Iacobo cum veritate dici possit, quod Salomon Sap. 10. pronunciavit: *Iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi Regnum DEI, dedit illi scientiam Sanctorum, honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.* Quia autem etiam hæc scientia sine Magistro non addiscitur, plerique autem Authores Ascetici fusè aut speculativè nimis de hac materia scripserunt, ideo operæ pretium me facturum existimavi, si breve compendium totius Scientiæ Ascetice ad praxin ordinatum offerrem; ex quo quivis hujus Scientiæ addiscendæ cupidus clare & ordinatè discere possit, quidquid ad illam Scientiam requiritur. Dividetur autem totus hic Tractatus in quinque partes, quarum 1. de Theologia Ascetica in communi. 2. de Theologia Ascetica per viam purgativam dirigente. 3. de Theologia Ascetica per viam illuminativam ducente. 4. de Theologia Ascetica per viam unitivam manuducente. 5. denique de modo & mediis proficiendi in Theologia Ascetica tractabit.

PARS I.

DE THEOLOGIA ASCETICA IN COMMVNI.

CAPVT I.

QVODNAM SIT OBIECTVM THEOLOGIÆ ASCETICÆ.

I. QVemadmodum in aliis Scientiis duplex plerumq; objectum, materiale scilicet, & formale assignatur, ex quorum clariori cognitione, ipsa etiam Scientiæ essentia facilius cognoscitur; ita in Ascetica quoque Scientia, ut natura illius, præstantiaque tanto clarius cognoscatur, ante omnia objectum illius materiale & formale indagandum est.

II. Objectum ergo materiale quod attinet, illud nihil aliud est, quàm operationes voluntatis, quatenus capaces sunt ipsius perfectionis recipiendæ; cum enim perfectio, ut sequenti capite dicetur, in caritate velut perfecta possessione summi boni consistat, caritas autem in voluntate velut naturali suo subjecto resideat, meritò voluntatis etiam Operationes potiùs objectum proximum, quam operationes intellectus statuuntur, licet hæ etiam præsuppositivè requirantur, multumque conducant ad perfectionem caritatis assequendam.

III. Ex qua doctrina circa objectum materiale præsuppositа facile nunc est ipsum etiam objectum formale assignare, quòd scilicet illud nihil aliud sit, quàm ipsa conducibilitas ad supremum finem optimo, quo obtineri potest, modo consequendum; per hanc quippe formalitatem velut differentiam Theologia Ascetica à reliquis quatuor Theologiis distinguitur quæ omnes vel circa DEVM speculativè duntaxat consideratum, vel certè non sub hac ratione perfectioris possessionis spectatum versantur, uti ex iis, quæ nunc in sequenti capite de perfectionis natura dicentur, clariùs patebit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT II.

Quid sit perfectio.

I. PErfectio in genere nihil aliud est, quam plena & absoluta finis sui ultimi consecutio; tunc enim res quælibet in suo genere perfecta censetur, cùm finem, propter quem facta aut creata est, plene est assecuta, uti omnium rerum creatarum inductione patet; cùm ergo & Homo creatus sit ad hunc finem, ut Dominum DEVM suum velut summum bonum in hac vita inchoativè, in altera verò vita perfectè possideat, hæc autem possessio non possit per realem conjunctionem via ordinaria fieri, necessariò per unionem moralem, nempe per cognitionem & amorem fieri debet; & hoc scilicet Deus ipse Gen 1. indicavit, dum hominem ad imaginem suam conditum esse dixit. Hoc & Christus Matth. 5. innuit dicens: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*. Vbi utique non requisivit, ut in quantitate perfectionis Patri æterno similes essent (hoc enim constabat impossibile esse) sed in iisdem omnibus operationibus perfectionem suam sitam esse existimarent, in quibus perfectio Patris consistit, videlicet quod sicut Pater æternus seipsum cognoscendo generat Filium, & dum hunc infinitè amat, & vicissim ab ipso taliter amatur, spirat cum ipso Spiritum Sanctum, sicque per istam cognitionem & amorem sui quodammodo tota Trinitas exurgit; ita & Homines tunc se perfectos esse existimarent, si per cognitionem & amorem eidem moraliter adhærerent, & sic unus cum eo Spiritus fierent quemadmodum Apostolus 1. Cor. 6. loquitur.

II. Vt verò clariùs adhuc iste finis & perfectio Hominis cognoscatur, supponendum est, duplicem inter Homines amorem reperiri, concupiscentiæ scilicet, & amicitiæ; prior est, quo alteri bonum optamus, gratulamur: vel procuramus propter nos, & bonum nostrum posterior est quo alteri bonum volumus propter solam ipsius Personam, sine respectu ad bonum nostrum. Et in hoc amore, qui propriè amor dici meretur, consistit perfectio & beatitudo Hominis. De quo tamen ulterius sciendum est, quòd etiam ipse ulterius subdividatur in affectivum & effectivum. Affectivus est, quo alicui præ-

præcisè bonum, quod habet, aut habere poresset, per internum affectum gratulamur, vel optamus, absque eo, quod ullum conatum adhibeamus, ad tale bonum eidem procurandum. Effectivus est, quo actu aliquid facimus propter alterius amorem. Vtroque hoc amore se perfectissimè amat DEVS, dum scilicet & summè sibi complacet in suo esse, gaudetque infinitè, quòd sit, qui est, summè sapiens, bonus, potens &c. & omnia, quæcunque ad extra operatus est, & etiamnum operatur, propter se duntaxat, & propter gloriam suam facit, quæ gloria in eo consistit, ut ipsius Bonitas cognoscatur, & super omnia ametur. Cùm ergo, teste Granatensi in loc. com. summa hominis perfectio sit, principio suo conjungi, illique, quatenus licet, perfectè assimilari, rectè concluditur, etiam ipsum duplici hoc amore DEVM diligere debere, si perfectùs esse velit; atque adeò totam suam industriam ac conatum eò unicè referendum esse, ut non tantùm DEO suum esse infinitum ex animo gratuletur, sed etiam in suis actionibus se sanctissimo ejus beneplacito perfectissimè conformet, ita ut idem cum eo velit; & nolit, idque purissimè, quia ipse vult, & non vult; seu, ut alii clariùs exprimunt, ut semper faciat, *quod vult* DEVS, & *quomodo* vult DEVS, & *quia* vult DEVS, hac ratione namque sè quoad *substantiam modum*, & *finem* atque adeo perfectissimè conformat, uti appositè quidam sequenti distycho expressit:

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque
Quæ vult, quove modo vult DEVS, & quia vult.

Vt adeò merito DEVS de David velut viro perfecto Act. 13. dixerit: *Inveni David virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, indicare scilicet volens, eum omnem perfectionem in voluntate divina adimplenda impleviſſe, dum & quoad substantiam id semper elegit, quod DEO summè placere intellexerat: quoad modum quoque illum elegit, quem DEO gratiorem esse cognoverat; & quoad finem denique solum DEI beneplacitum purissimè intendit, ac quæsivit. Quod ipsum etiam in ipso DEI amore, quo seipsum amat, quique est exemplar nostri amoris cernere est; nam in primis semper facit, *quod vult* juxta illud, Psal. 113. *Omnia, quæcunque voluit, fecit*. Et *quo modo* vult, id est, optimo, juxta illud Gen. 1. *Viditque DEVS cuncta, quæ*

fecerat; & erant valde bona. Et tandem *quia vult* juxta Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Idem etiam in ipso Christo perfectissimè cernere est, ut qui semper quoque id faciebat, quod DEVS Pater volebat, uti ipse Ioan. 6. fassus est: *Et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper*. Et *quo modo* Pater valebat, uti populus Marc. 7. de ipso testatus est dicens: *Bene omnia fecit*: & verò ipse etiam per verba illa in cruce prolata *Consummatum est*: satis confirmavit. Et *quia* Pater volebat, juxta illud Io. 8. proprium testimonium: *Ego non quæro gloriam meam, sed eius, qui misit me*.

III. Ex qua explicatione perfectionis obiter colligi potest, etsi Ascetæ interdum diversimodè illam explicent, & alii quidem dicant, eam in perfecta conformitate voluntatis humanæ cum divina, alii in perfecta quotidianarum actionum transactione, alii in illis Davidicis verbis *declina à malo, & fac bonum*; alii denique in hoc, ut homo Dominum DEVM laudet, & revereatur, & amet, eique serviens salvus fiat, consistere; omnes tamen in substantia convenire, faterique debere, perfectionem in caritate consistere; sed quia non omnes satis cognoscere videbantur, in quo consistat caritas, ideo conati sunt clariùs eandem per modos paulò antè indicatos explicare; ex quibus tamen omnibus modis iste, quo dicitur, caritatem in eo præcipuè consistere, ut quis semper id faciat, quod DEVS vult, quo modo vult, & quia vult (quem P. Rodriquez p. 1. tract. 2. cap. 1. & P. Vincentius Caraffa in suo Itinerario insinuant) præ cæteris aptus & facilis videtur ad naturam perfectionis & caritatis explicandam, & quidem ob tres causas. 1. Quia distinctiùs caritatis officia explicat, quàm alii; nam, licèt dicas, caritatem in perfecta conformitate voluntatis humanæ cum divina consistere, aut in perfecta transactione quotidianarum actionum, adhùc tamen explicandum restat, quando vel voluntas perfectè conformata, vel opera quotidiana perfectè transacta dici debeant: quod quidem hic modus clarius explicat, dum ait, tum perfectam laudem, servitium & amorem DEI haberi, quando actiones in substantia, modo, & fine, divino beneplacito conformes habentur: quomodo enim aut Opus suum Artificem perfectiùs laudare, aut servus perfectiùs ser-

servire, aut sponsa sponsum perfectiùs amare possunt, quàm si semper agant, quæ, quo modo, & quia Artifici, Domino, sponso maximè placent? 2. Quia ex hoc ipso modo explicandi perfectionem facilè colligitur, quantum aliquis in perfectione profecerit; cùm enim quilibet ex his tribus actibus alios sub se gradus contineat, & quoad *substantiam* quidem illæ censeantur Deo magis placere, in quibus homo plus abstinet, aut sustinet, aut quæ non ad propriam duntaxat, sed alienam etiam salutem ordinantur: quoad *modum* verò DEO magis placeat, qui diligenter, alacriter, & constanter operatur: & quoad *finem* denique magis placeat, qui minus de solatio, præmio, aut laude humana pro operibus suis quærit, aut admittit, facilè patet, tantò majorem quemque in perfectione progressum fecisse, quanto perfectiùs gradus hos assignatos impleverit. 3. Quia idem modus percommodè etiam ostendit, quomodo quivis in suo statu perfectus esse possit, atque adeò omnes à Christo per illa verba Matth. 5. ad perfectionem invitati sint; *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: etsi enim multi excusare se possint, quòd non possint varias austeritates, aliaque opera valde ardua suscipere, nemo tamen excusare se potest, quod non possit facere, quæ vult Deus & quo modo vult, & quia vult, & cùm Deus nihil ab homine ultra vires & statum illius exigat, &, ut bene Thomas Kempensis l. 1. c. 15. advertit, magis pensat, ex quanto quis agat, quàm quantùm faciat. Quæ omnia paulò fusius explicanda erunt, quia super illis tanquam solido fundamento omnia, quæ deinceps de perfectione dicentur, exstruenda atque fundanda sunt.

CAPVT III.

Quotuplex sit perfectio.

HÆc divisio meliùs explicari non potest, quam si S. Thomam Ducem sequamur, qui, ubi in 22. q. 184. fuse probasset, perfectionem in caritate consistere, eò quod illa sit unio cum Deo utpote ultimo fine, postea a. 2. ulteriùs progreditur, ad diversam habitudinem caritatis explican-

candam, dum ait caritatem quadrupliciter considerari posse ri. Ex parte diligibilis, ut diligatur aliquid, quantùm diligi potest; & sic Deus nec in via, nec in patria perfectè diligi potest, cùm sit infinitè diligibilis. 2. Ex parte diligentiis; ubi tunc caritas est perfecta, quando quis diligit tantùm, quantùm potest, quod contingit tribus modis; quorum primus est, ut totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, & hæc est perfectio caritatis in patria, unde & perfectio *beatitudinis* vocari potest; in via namque ordinariè possibilis non est ob humanæ vitæ infirmitatem. Secundus modus est, ut quis totum cor suum habitualiter ponat in DEO, ita scilicet, ut nihil cogitet, velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium. quale est solum peccatum mortale; & hæc caritas quia est de necessitate salutis, meritò perfectio *necessitatis* appellari potest. Tertius modus est medius inter hos duos, ad quem duo capita requiruntur. 1 Vt quandoquidem aliquis actualiter in Deum semper ferri non potest, conetur saltem, quantùm necessitas præsentis vitæ patitur, actualiter cum DEO uniri; sicut enim in cœlo est una continua amoris operatio, ita in hac vita tantò magis participat homo de illius statu perfectione & beatitudine, quanto magis participat de unitate & continuitate amoris, quod fieri potest, si ipsam etiam cessationem, puta somni vel occupationis naturalis ad prædictam amoris operationem ordinet. 2. Vt vitia & passiones sic habeat mortificatas, ut ab illis vix aut parum retardetur in unione cum Deo, sed potiùs fruatur pace interna, quæ est effectus perfectæ caritatis, & consistit in hoc, quod omnes motus appetitivi in uno homine conquiescant, & sic unionem inter se habeant, quæ quidem perfectio in hac vita haberi potest, estque summa perfectio, ad quam tamen quia nemo per se obligatur, sed solummodo sub consilio est, ideò perfectio *consilii* vocatur.

II. Alii cum S. Bernardo triplicem perfectionem juxta triplicem caritatem, Dei scilicet, Proximi, & sui ipsius distinguunt, & hanc à Christo Matt. 22. indicatam volunt, dum legis Doctori quærenti, quod esset mandatum magnum in lege; respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc est primum & maximum mandatum; secundum autem simile est huic: Diliges*

liges Proximum tuum, sicut teipsum. De qua triplici perfectione locutus est S. Bernardus S. 1. de Festo SS. Petri & Pauli, dum dixit: *Arbitror, quòd tu, qui in Congregatione es, bene vivis si vivis ordinabiliter, sociabiliter, humiliter. Ordinabiliter tibi sociabiliter proximo humiliter DEO.*

III. Alii juxta varios vitæ spiritualis & caritatis actus dividunt perfectionem in vitæ activæ, contemplativæ, & mixtæ perfectionem. Activæ vitæ perfectio est, quæ ex professo studiosis actionibus vacat, ut se ad contemplationem varietatis, & amoris perfectionem disponat. Contemplativæ vitæ perfectio est, quæ mentem à terrenis abductam ad divina, atque in ipsum DEVM transfert. Mixtæ denique vitæ perfectio est, quæ utriusque prædictæ vitæ actiones coniungit, & miscet, atque ad animarum salutem procurandam ordinat. De quibus tribus speciebus, perfectionis sic loquitur S. Augustinus lib. 10. de civit. cap. 2. & 19. *In tribus illis vitæ generibus, uno scilicet non segniter, sed in contemplatione & inquisitione veritatis otioso, altero in gerendis rebus humanis negotioso, tertio ex utroque genere comparato, quamvis salva fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere, & ad sempiterna præmia pervenire interest tamen, quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat.*

IV. Alii denique caritatem secundùm triplicem statum incipientium, proficientium, & perfectorum considerantes dividunt perfectionem in viæ purgativæ, illuminativæ, & unitivæ perfectionem; quamquam hę triplices viæ potiùs partes integrales perfectionis, vel perfectę caritatis, quàm species dici debeant. Est autem hæc divisio triplicis viæ præ cęteris apta ad naturam perfectionis explicandam, atque adeò ab Ascetis & Patribus Spiritualibus ordinariè usurpata, quorum vestigiis proinde insistendo, etiam in hac Institutione eam potissimùm adhibere placuit ad Theologiæ Ascęticæ naturam atque præstantiam declarandam. Pro qua proin intelligenda.

V. Notandum est, in Sacra Scriptura vitam nostram passim ambulationi, per quam ex hoc mundo velut exilio in cælum velut Patriam nostram ambulemus. Sic enim Christus Io. 12. hortatur: *ambulate, dum lucem habetis*, sic S.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paulus 1. Thess. 4. *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt.* Sic DEVS ipse Salomonem, 3. Reg. *Si ambulaveris in viis meis &c.* Sic Ezechias ad DEVM 4. Reg. 20. ait: *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto.* Quibus pedibus autem hæc ambulatio perfici debeat, pulchrè S. Augustinus in Epist. ad Maced. ostendit, dum ait: *Ad Deum, qui ubique præsens est, non pedibus licet ire, sed moribus; mores autem nostri non ex eo, quod quisque novit, sed ex eo, quod diligit, diiudicari solent; nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali sint amores.* Clarius verò hos pedes in Ps. 33. indicans, *pes tuus*, inquit, *amor tuus; habeto duos pedes, noli esse claudus. Duo pedes sunt duo amores Dei & proximi. Hoc enim mandatum habemus a Deo*, teste S. Ioanne 1. cap. 4. *ut, qui diligit DEVM, diligat & Fratrem suum.*

VI. Ex qua doctrina suppositâ facilè nunc triplicis viæ Spiritualis supra indicatæ divisio colligitur. Nam sicut in omni via tres quodammodo termini reperiuntur, nempe terminus, *à quo* receditur: terminus, *ad quem* tenditur: & terminus intermedius, *per quem* ambulatur; ita & in ambulatione Spirituali tres similes termini reperiuntur, nempe *peccatum*, à quo recedere oportet, id quod per viam purgativam obtinetur: *Virtutes*, per quas transire & pervenire ad ultimum finem necesse est, uti per viam illuminativam contingit: & tandem DEVS, ad quem possidendum, velut terminum tota ambulatio Spiritualis instituitur. Quod per viam unitivam impetratur. Quæ sanè tres viæ clarè jam olim à S. Davide Ps. 33. indicatæ sunt, dum dixit: *Quis est homo, qui vult vitam? diligit dies videre bonos? Diverte à malo* (id est, peccato, quod unicè disjungit & minuit possessionem summi boni, atque adeo propriè malum vocari potest) *& fac bonum* (id est, virtutes, quæ solæ propriæ rationem veri boni continent) *inquire pacem* (id est unionem cum DEO, per quam solam vera pax obtinetur) *& persequere eam.* Imò eandem triplicem viam tam in veteri, quàm novo Testamento præfiguratam quidam existimant. In veteri quidem, dum Moyses & Aaron ad Pharaonem Exod. 5. dixerunt: *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro.* Per quos

quos tres dies rectè intelligitur triplex illa via, per quam veri Israelitæ ex Aegypto mundi in solitudinem perfectionis deducuntur. In novo autem Testamento eandem præfiguratam existimant tum per triduum, quo Populus Christum Matth. 18. secutus est: vel B. Virgo & S. Ioseph eundem Christum duodennem deperditum quæsiverant: vel per tres Apostolos Petrum, Iacobum, & Ioannem, quos præ reliquis Christus secum in montem Thabor & Oliveti assumpserat; per S. Petrum namque qui assiduis lacrymis peccatum suum deflebat, rectè via purgativa & status incipientium: per S. Iacobum verò, qui Supplantatorem significat, rectè via illuminativa & status proficientium, qui per virtutum exercitationem omnes malas inclinationes, & prava desideria supplantarunt, indicatur: & per S. Ioannem denique, qui gratiam significat, & præ cæteris diligebat Christum, & vicissim ab eodem diligebatur, rectè via unitiva, & status Perfectorum, qui ex singulari gratia ad intimam cum Deo familiaritatem & unionem pervenerunt, præfiguratus dicitur.

CAPVT IV.

Corollaria Quædam ex dictis à Theologo Ascetico bene observanda deducuntur.

I. EX hactenus dictis facilè corollaria quædam deduci possunt, quæ, sicut naturam perfectionis non modice illustrant, ita meritò perdiligenter notanda sunt ab eo, qui perfectam Theologiæ Asceticæ notitiam haurire cupit.

II. Et primo quidem colligitur, gravem esse errorem eorum, qui falsò sibi persuadent, perfectionem in asperitat bus corporis, & aliis similibus exercitiis consistere; nam, ut rectè Abbas Moyses apud Cassianum coll. 5. pronunciavit, *ieiunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illa pervenitur ad finem.* Vnde sicut non ille dicitur bonus Artifex, qui bona instrumenta habet, sed qui peritè illis uti

no-

novit; ita nec illa perfectus censeri debet, qui ejusmodi asperitates velut instrumenta perfectionis suscepit, sed qui easdem ad debitum finem, scilicet caritatem perfectam obtinendam ordinare didicit.

III. Secundò colligitur, etiam eos graviter errare, qui ex illustrationibus aut consolationibus divinis profectum suum in perfectione metiuntur; nam, ut sapienter pius Asceta l. 3. de imit. Christ. c. 7. advertit, *merita* (atque adeò & perfectio velut radix & causa meritorum) *non sunt ex hoc æstimanda, si quis plures visiones aut consolationes habeat, vel si penitus sit in scripturis, aut in altiori ponatur gradu, sed si vera fuerit humilitate fundatus, & divina charitate repletus si DEI honorem purè & integrè semper quærat; si seipsum nihil reputet, & in veritate despiciat, atque ab aliis etiam despici & humiliari magis gaudeat, quàm honorari.*

IV. Tertiò colligitur, etiam eos necdum perfectionem assecutos censeri debere, qui nullius, aut certè non multarum imperfectionum aut culparum sibi conscii sunt; nam, ut prudenter S. Gregorius l. 4. Dial. advertit, *plerumque hi, quos iam perfectos homines æstimant, adhuc in oculis summi opificis aliquid habent imperfectionis. Sic sæpe imperiti homines necdum perfectè sculpta sigilla conspicimus, & iam quasi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc Artifex considerat, & limat; laudari iam audit, & tamen ea tandem meliorare non desinit.* Cui consentiens D. Augustinus S. 2. in Ps. 93. *Cùm post pœnitentiam*, inquit, *aliquis bene vivere cœperit, habet adhuc, quod cogitat: ne sibi tribuat, quod bene facit; sed illi gratias agat, cuius gratia factum est, ut bene viveret, quia ille illum vocavit, ille illum illuminavit. Ergo iste iam perfectus est? non, adhuc aliquid ipsi deest: quid illi deest? ut non superbiat super eos, qui necdum sic vivunt, quomodo ipse vivit.* Vndè altissimè menti ac memoriæ inscribenda est, verissima, & notatu dignissima pii Ascetæ l. 2. cap. 11. doctrina: *Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est: Et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est & si apprenderit omnem scientiam, adhuc longè est: & si habuerit virtutem magnam, & devotionem nimis ardentem, adhuc multùm sibi deest, scilicet unum, quod summè sibi necessarium est, quid illud? ut omnibus relictis se relinquat, & à se totaliter exeat, nihilque de pri-*

privato amore retineat; cuicumque omnia fecerit, quæ facienda noverit, nil se fecisse sentiat.

V. Quartò colligitur, sicut, ut modo dictum est, non statim perfectus censendus est, qui nullas in se, aut certè non multas culpas deprehendit; ita nec illum vicissim statim argui debere perfectionem non assecutum, qui aliquoties se ex fragilitate in peccata venialia labi advertit, sicut enim domus illa mundissima dicitur, quæ, quamprimum aliquis sordidis pedibus ingressus est, statim eluitur, & purgatur, & sicut Dux militaris, si constanter hostem impugnet, & vellicet, egregii Ducis nomen obtinet, licet eum non omnino expugnet, & deleat; imò interdum minus feliciter pugnet; sic perfectus censeri quis potest, etiamsi interdum in venialia aliquot peccata ex fragilitate labatur. Nam, ut rectè iterum Kempensis Asceta l. 1. c. 3. dixit: *Omnis perfectio in hac vita quandam imperfectionem habet annexam*, & ut S. Hieronymus in Epist. ad Celantiam ait, *hæc una præsentis vitæ perfectio est, ut te imperfectum agnoscas.*

VI. Quintò colligitur, etiam eos non leviter errare, qui uno quasi impetu & conatu perfectionem assequi cupiunt, & nō ordinatè potiùs per gradus ad eandem pervenire conantur; nam ut S. Bernardus S. de S. Andrea sapienter advertit, *nemo repente fit summus, & ascendendo, non volando apprehenditur summitas scalæ.* Quod confirmans S. Laurentius Iustin. in procem. de grad. perfect. *quisquis*, ait, *in Spirituali exercitio cupit perfectionis culmen attingere, juxta* Prophetæ *admonitionem ascensionis sibi in corde componat gradus, per quos de virtute in virtutem proficiens, ipsum Deum ex parte comprehendere valeat, à quo plenissimè comprehensus est.* Hinc S. Paulinus Episcopus in ep. 3. ad Sever. *Christus*, ait, *sicut in illo homine, quem gessit, ita in nostris mentibus quosdam gradus corporeæ ætatis exequitur, nascitur, crescit, roboratur, senescit, sed orandus, ne in nobis diu aut iugiter parvulus, aut infirmus, aut pauper sit.*

VII. Sextò colligitur, non omnes ad perfectionem hanc summam vocatos esse, atque adeò non omnes etiam promiscuè ad eandem exhortandos esse, sed potiùs saluberrimam doctrinam à S. Gregorio in cap. 19. gen. prolatam ob oculos habendam esse, dum ait: *Mons altitudinem virtutum desi-*

gnat, ad quam Angelus hortatur : qui non viderit, se posse conscendere, melius est, ut in Segor, id est, in parvula civitate remaneat, contentus laicali & communi vita, quàm montem virtutis arripiat. Est civitas hæc juxta &c. juxta dicitur, & tamen ad salutem tuta, quia activa vita est nec à mundi curis ex toto discreta, nec à gaudio salutis æternæ aliena.

VIII. Septimo tandem colligitur, eos, qui ad perfectionem hactenus descriptam à Deo vocati sunt, nunquam veram quietem capturos, nisi assequi illam sincerè studeant; nam, ut sapienter Abbas Ioannes dixit in sua collatione, miserum est, cujuslibet artis ac studii disciplinam quampiam profiteri, & ad perfectionem ejus, minimè pervenire.

CAPVT V.

Axiomata Quædam ad Theologiam Asceticam in communi Pertinentia Proponuntur.

I. DVplicis generis sunt axiomata, quæ Theologia Ascetica in communi specialiter observanda proponit, scilicet secundùm duplicem modum tendendi, quo vel accedimus ad DEVM per amorem, vel ab eodem per odium recedimus.

II. Prioris generis primum axioma est: *Nemo bonus, nisi solus DEVS*: nam sicut aquæ omnes non aliam habent substantiam, nisi quam ex fonte acceperunt; ita nec creaturæ aliam habent bonitatem, nisi quam à Deo acceperunt, & in ordine ad DEVM conservant. Hujus axiomatis usum præclarè indicat S. Augustinus l. de spir. & anim. c. 64. dum ait: *Quid per multa vagaris, ô homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? ama unum bonum in quo sunt omnia bona, & sufficit, desidera simplex bonum, in quo est omne bonum, & satis est.* Et alibi: *Si quæris, quære, sed non ubi quæris: quære in fonte, quia ibi omnia vivunt: quod factum est, in ipso vita erat. Ecce ergo viam vitæ, à multis ad unum: ecce viam mortis, ab uno ad multa.*

III. Secundùm axioma est: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare DEVM;* quia cum homo ad capiendam

dam & fruendam Trinitatem sit creatus, atque ideò triangulare cor acceperit, totus mundus utpote figuram rotundam habens satiare & implere illud non potest; id quod præclarè S. Bernardus s. super *ecce nos reliquimus* indicavit dicens: *Ad imaginem quippe DEI facta anima rationalis, cæteris rebus occupari potest, repleri non potest; capacem namque DEI; quidquid DEO minus est, non implebit.* Vnde certè S. Augustinus cap. 3. solil. ad DEVM suspirans dixit: *Da, quod peto; quoniam, si cuncta, quæ fecisti, mihi dederis, non sufficit servo tuo, nisi te ipsum dederis.*

IV. Tertium axioma est: *Minùs DEVM amat, qui aliquid amat, quod propter DEVM non amat.* Ita S. Augustinus l. 10. Conf. cap. 29. & rectè; quia, ut bene advertit Thomas Kemp. l. 2. cap. 7. Dilectus noster talis est naturæ, ut alienum non vellit admittere, sed solus cor nostrum vult habere, & in eo tanquam Rex in proprio throno sedere. Hinc omnibus illam diligere volentibus dicit, quod olim Christus capere ipsum volentibus dixit Io. 18. *Si me quæritis, sinite hos* (scilicet creaturas) *abire* Coangustatum enim est stratum nostrum, ita ut alter decidat. Imò dividere cor cupientibus non permittit, sed dicit quodammodo cum illâ muliere 3. Reg. 3. date ei cor vivum, & nolite dividere.

V. Posterioris generis primum axioma est: *Nullum malum nisi peccatum*: quia scilicet hoc solum privat vero bono, nempe DEO, aut certè minuit possessionem illius; unde omnes adversitates, etsi mala videantur, revera tamen mala non sunt, uti sapienter advertit Epictetus c. 10. Enchirid. dum dixit *Homines perturbantur non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus. Verbi causa: Mors non est malum, alioqui enim & Socrati sic visum esset; sed opinio de morte, quæ malam eam facit. Cùm igitur impedimur, aut distrahimur, non alios culpemus, sed nos ipsos, id est, opiniones nostras.*

VI. Secundùm axioma est: *Nemo lædituri, nisi à seipso*: cùm enim solum peccatum verè malum sit, ad hoc autem nemo invitus cogi possit, rectè infertur, quemvis, si peccato consentiat, proprii sui mali Fabrum esse. Hinc rectè S. Petrus 1. Petr. cap. 3. ait: *Et quis est, qui noceat vobis, si boni emulatores fueritis?* an non diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum, teste S. Paulo ad Rom. 8. Nunquid Deum aliquis eripere

invi-

invito potest? aut occasio hominem fragilem facit, & non potiùs, qualis sit, ostendit?

VII. Tertium axioma est: *Non est pax impiis*: cùm enim quælibet res non nisi in centro suo quiescat, fieri non potest, ut impii, qui à DEO velut centro suo separati sunt, pacem & quietem inveniant; id quod clarè S Augustinus l 1. conf. indicavit dicens: *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Hinc l c. 16. ulterius dicit: *Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, aliquid se meliùs habituram. Versa, & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu Solus Domine, requies.*

PARS II.

DE THEOLOGIA ASCETICA PER VIAM PURGATIVAM DEDUCENTE.

CVm hæc species aut pars potiùs Theologiæ Ascеticæ illam Ieremiæ Prophetæ c.4. doctrinam: *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas*: Ob oculos præcipuè habeat, atque adeò juxta monitum Boethii l.3 conſ. metr.1. curas omnes eo potissimum convertat ut vanam beatitudinis speciem à mentis oculis abstergat, ut verę beatitudinis pulchritudo, sapor, quies ac serenitas tantò clariùs concipi & amari; seu quemadmodum alii loquuntur, ut evulsis vitiorum spinis meliora virtutum supernaturalium semina animę inseri, queant; ideo meritò circa viam purgativam versari, triplicemque scopum sibi propositum habere dicitur, scilicet cognitionem peccatorum, eorundem detestationem seu deletionem, & seriam tandem vitæ emendationem, seu fugam peccatorum deinceps committendorum, de quo triplici fine proin nunc in præsenti parte eodem ordine agetur, & quid circa quemvis illorum specialiter sit observandum, succinctè indicabitur.

CA-

CAPVT I.

De cognitione Peccatorum.

DEprehendas te oportet ante, quàm emendes, inquit rectè Seneca ep. 28. indicare scilicet volens, quemadmodum periti Medici nullum morbum curandum suscipiunt, nisi ejusdem qualitatem, & varias circumstantias bene cognoverint; ita nec illum, qui morbis spiritualibus vitiorum subjectus est, eorundem curam efficaciter susceperturum, nisi priùs perfectam illorum cognitionem fuerit adeptus. Vt verò hanc acquirat, tria præcipuè bene cognoscere debet. 1 Quomodo oriantur peccata: hæc enim cognitio non modicè conducet; ut fontes & radices peccatorum faciliùs cognosci, obstrui, aut evelli queant. 2. Vt enim diversitas & gravitas eorundem peccatorum bene cognoscatur, sicque digna illorum æstimatio & odium acquiratur. 3. Vt peccata, quæ quis actu commisit, cognoscantur, sicque idonea media ad eorundem deletionem adhiberi queant, quæ tria puncta in hoc capite paulò fusiùs explicabuntur.

§. I.

Quà ratione peccata oriri soleant.

I. Vt totus peccati processus faciliùs intelligatur, duo priùs fundamenta bene percipienda sunt. Primum à Siracide c.15. sequentibus verbis indicatur: *DEVS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui* (id est, liberum arbitrium & voluntatem concessit.) *Adiecit mandata & præcepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi ignem & aquam* (id est bonum, & malum) *ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit, dabitur illi.* Quibus verbis significare voluit, Hominem quemvis in hoc mundo, velut in bivio positum esse, ita ut vel per virtutum & bonorum operum exercitium pervenire ad perpetuam felicitatem, vel per peccatorum commissionem, æternam sibi damnationem, miseriamque accersere possit.

II. Alterum fundamentum est, eundem Hominem in hoc Orbe velut amplissima quadam domo constitutum esse, eique plenissimum omnium rerum creatarum usum concessum fuisse, modò ijsdem ad honorem & gloriam Domini sui, propriamq; utilitatem utatur. Et hoc est, quod S. David Psal.8.cum admiratione agnoscit dicens: *Quid est homo, quod memor es eius? constituisti eam super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius.* Neque hac liberalitate contentum DEVM, varias ei potentias, velut Ministros concessisse, quorum ministerio adjutus voluntatem Domini sui exequi valeat. Cujusmodi potentiæ sunt imprimis quinque potentiæ sensitivæ externæ, nempe visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, sic dictæ, quia Organa earum exterius patent. Deinde potentiæ internæ sensitivæ, quæ pro objecto habent omnia objecta sensuum externorum, simul tamen habent vim discernendi inter ea, practicèque judicandi, & reminiscendi; unde licet à parte rei probabiliter hæ omnes potentiæ sint unica realiter entitas, formaliter tamen diversa nomina pro diversitate officiorum sortiuntur. Nam 1. *Sensus communis* vocatur, quatenus omnium sensuum externorum objecta cognoscere potest. 2. *Phantasia* dicitur, quatenus potest sensibilia objecta etiam absentia cognoscere. 3. *Imaginativa* appellatur, eò quòd vim habeat non tantùm simpliciter cognoscendi objecta absentia, sed etiam componendi illa, & impossibilia fingendi. 4. *AEstimativa* vocatur, quatenus objectum sub ratione convenientis vel disconvenientis apprehendit. 5. *Cogitativa* nominatur, quatenus à superiori ratione ita dirigitur, ut ea æstimare possit, quæ in aliis animantibus existens non potest. 6. *Memoria* dicitur, quatenus præterita cognoscit. 7. *Reminiscentia* appellatur, quatenus rerum particularium reminiscitur, non simplici modo, ut memoria, sed cum quadam indagatione & discursu, non quidem propriè dicto (hic enim convenit soli intellectui) sed impropriè sumpto, quatenus cum ipso intellectu discurrente etiam ipse sensus interior per quandam successivam apprehensionem ab vna in aliam procedendo dicitur etiam ipse similitudinariè aliquo modo discurrere.

III. Præter has duas potentias sensitivas seu cognoscitivas, etiam appetitiva quædam potentia sensitiva, id est, talis, quæ prosequitur objectum sibi conveniens, & discon-

venieus repellit, eidem homini data est, & communiter appetitus sensitivus vocatur, dividiturque in concupiscibilem & irascibilem, quorum prior bonum sensibile absolutè & secundum se, posterior verò idem bonum sub ratione ardui, seu ut per media difficilia obtinendum vel conservandum respicit. Vnde quia uterque hic appetitus diverso modo tendere potest in suum objectum (quæ tendentia, quia cum passione seu mutatione corporis sensibili contingit, dum scilicet naturalis motus cordis notabiliter vel intenditur magis, vel remittitur, Passio appellatur) diversa quoque nomina hæ tendentiæ seu Passiones sunt sortitæ, uti communior hodie sententia cum S.Thoma docet. Nam 1. Si appetitus concupiscibilis in objectum absolutè, quatenus bonum est, feratur, *amor* dicitur: si in illud ut absens tendit, *desiderium*: & si in præsens, *delectatio* appellatur: Et quia eadem potentia iisdem modis, quibus prosequitur objectum bonum, etiam ab objecto contrario recedit, ideo si objectum hoc malum in communi duntaxat aversetur, *odium*: si ut absens, *fuga*: si ut præsens, *tristitia* vocatur. Pari modo cùm etiam appetitus irascibilis in objectum præsens vel absens (in communi enim consideratum objectum nullam habet arduitatem, atque adeò ad hunc appetitum non pertinet) feratur, ideo huic quoque diversæ Passiones conveniunt, nempe si bonum arduum est absens & possibile; *Spes*: si autem etiam periculum aliquod est superandum *audacia* exurgit, quibus si bonum est impossibile, desperatio: aut si malum futurum sit arduum, timor opponitur: si verò idem malum præsens sit, ira exurgit, quæ tamen non perinde ut cæteræ passiones contrarium habet, eò quod bonum præsens cesset esse arduum, atque adeò ad illud amplectendum appetitus concupiscibilis sufficiat.

IV. Denique præter has potentias appetitui, quatenus sensitivus est, convenientes, aliæ adhuc eidem, quatenus rationalis est, competens sunt attributæ, scilicet memoria, intellectus, & voluntas, quarum proinde ministerio potissimùm juvatur, ad actiones homini proprias exercendas, bonumque & malum liberè amplectendum, vel fugiendum.

V. His notatis non difficile erit ostendere, qua ratione homo in peccatum præcipitetur, illa scilicet, quam S. Iacobus c. 1. indicavit, dum dixit: *Nemo cum tentatur, dicat,*

quoniam à DEO tentatur: DEVS enim intentator malorum est ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum (id est, delectationem, ut Interpretes vertunt) *peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem*. Tribus ergo gradibus præcipuè ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, & consensu. Suggestione quidem hostis, dum nobis prava ingeritur cogitatio vel tentatio à mundo carne, Sathana: delectatione autem nostra, dum animo jam allubescit, quod prava suggessit tentatio: demum & proprio consensu, dum in peccatum voluntas illecta deliberatè consentit. Quem totum processum S. Franciscus Salesius part. 4. Introd. c. 3. apta similitudine declarat, dum ait: Cogitatione tibi finge, Philothea. Iuvenculam aliquam Principem Sponso suo & Marito Principi percaram; & simul imaginare scelestum aliquem, quo eam ad secum adulterandum, thorumque nuptialem violandum invitet, infamem aliquem amoris internuntium, qui fœdam illius intentionem novæ nuptæ communicet, mittere. Primò itaque Pararius & nuntius hic Domini sui amorem Principi aperit. Secundò illa in petitione, propositioneque sibi complacet, vel displicet. Tertiò consensum ei præbet, aut prorsus dissentit. Consimili ratione Diabolus, Mundus, & Caro, videntes animam quandam Filio DEI desponsatam esse, varias ei tentationes & suggestiones ingerunt, quibus primò peccatum illi proponitur. Secundò illa in eo delectationem sentit, vel displicentiam. Tertiò consentit eidem, aut dissentit. Qui tres gradus, licèt non in omnibus peccatis tam apertè percipiantur, & usu veniant, palpabiliter tamen, & manifestè in magnis atque enormibus peccatis eas videre est.

§. II.

De Peccatorum diversitate & gravitate.

I. Duo sunt, quæ de Peccatis Asceta præcipuè scire, beneque ponderare debet, scilicet, ut & diversitatem eorum clarè intelligat, & competentem de illorum gravitate æstimationem concipiat: quò major enim hæc æstimatio fuerit, tantò gravius quoque adversus peccata odium exurget, studiùmque ad ea non in se duntaxat, sed aliis etiam persequenda & extirpanda.

II. Sciendum itaque, quòd peccatum in genere nihil aliud sit, quam dictum, factum, vel concupitum contra legem DEI, ut S. Augustinus l. 22. contra Faustum c. 27. definit, Vel ut S. Ambrosius l. de parad. c. 8. describit, prævaricatio legis divinæ, & cœlestium inobedientia Præceptorum.

III. In specie verò peccatum actuale in mortale, ac veniale dividatur: inter quæ multiplex discrimen reperitur. 1. Quod peccatum mortale vitam spiritualem animæ auferat, mortemque afferat animæ peccantis; veniale verò non omnino auferat gratiam, sed imminuat tantùm fervorem caritatis, unde morbo cuipiam spirituali comparatur 2. Quod mortale à DEI regno, & hæreditate Filiorum in perpetuum excludat, veniale verò ad tempus duntaxat, quousque scilicet anima pro eo plenè satisfecerit. 3. Quòd peccatum mortale supplicio æterno, veniale verò temporali solummodo pœna dignum efficiat. 4. Quòd mortale radicem omnis meriti tollat, atque adeò meritis tam præteritis, quàm futuris privet, non item veniale, utpote cum quo sicut gratia permanet, ita & radix quoque meritorum perseverat 5. Quod à peccato mortali plerique Iusti facilè abstineant, non item veniali, cùm, teste S. Iacobo c. 7. *In multis offendamus omnes*; &, ut Siracides c. 7. loquitur, *Septies in die cadat iustus, & resurgat*.

IV. Præterea sciendum de peccato in communi, quòd etiam intra eandem speciem unum sit gravius altero; sic enim S. Gregorius 21. mor. c. 5. ex illis Christi Matth. 5. verbis colligit: *Omnis, qui irascitur Fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit Fratri suo racha, reus erit concilio, qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ*. Vbi per gradus culpæ crevit ordo sententiæ, dum ira sine voce judicio: ira in voce Concilio, ubi causæ sententia definitur: ira in voce atque sermone, gehennæ ignibus mancipatur.

V. Gravitatem porro quod attinet, duæ præcipuè sunt regulæ, ex quibus gravitas peccati tam mortalis, quàm venialis peccati colligi debet. Prima regula desumitur ex ipsa peccati natura & essentia, videlicet, quòd sit aversio à DEO velut summo bono, & conversio ad creaturam, juxta quam

regulam DEVS ipse mensuravit peccatum, quando Ieremiæ c.2. dixit: *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer dicit Dominus. Duo enim mala fecit Populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Vnde ut Oseas c. 9. dicit, *abalienatis sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Altera regula desumitur ex effectibus peccatorum, ob quos meritò DEVS per eundem Prophetam Populo suo dici jussit: *Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum DEVM tuum, & non esse timorem eius apud te.* Nec malè aliqui peccatum simile esse ajunt Pomo, quod Fenella Regina apparari jusserat, ità constructum, ut, qui illud apprehenderet, in eum innumera tela erumperent, id quod Kemetus Maritus illius damno suo expertus est. Verè enim simile pomum peccatum est; utpote ex quo per consensum apprehenso innumera mala velut acutissimæ sagittæ (de quibus S. David Psal. 37. dixit: *Quoniam sagitæ tuæ infixæ sunt mihi*) in apprehendentem erumpunt, quales sagittæ sunt respectu peccati mortalis. 1. Offensa DEI, Summi Domini & Benefactoris. 2. Crucifixio Christi juxta illud S. Pauli ad Heb. 6. *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI, & ostentui habentes.* Amissio gratiæ, & juris ad vitam ac hæreditatem æternam. 4. Amissio virtutum supernaturalium gratiæ annexarum. 5. Amissio omnium meritorum præteritorum. 6. Amissio omnium operum in peccato mortali elicitorum, quoad condignum meritum. 7. Mancipatus Diaboli. 8. Pœna æterna damni & sensûs. 9. Pœna temporalis in hac etiam vita subeunda. 10. Vermis & stimulus conscientiæ. 11. Infamia apud Celites & terrestres homines contrahenda. 12. Amaritudo & tristitia cordis ex ultimi finis amissione exorta. Ob quæ omnia merito Peccator cum Anna matre Tobiæ irremediabilibus lacrymis deflere deberet peccatum suum, & dicere Heu, DEVS meus, ut quid te dimisimus lumen oculorum nostrorum, solatium vitæ nostræ? *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Respectu peccati venialis verò maximè cum plena deliberatione admissi effectus & sagittæ sunt. 1. Quòd DEO valde displiceat. 2. Amorem & amicitiam DEI erga hominem imminuat. 3. Munificentiam DEI erga nos suspendat, & impediat.

4. Deformitatem quavis deformitate corporali graviorem afferat 5. Debilitatem ad bene operandum conciliet. 6. Ad peccatum mortale velut morbus periculosus disponat 7. Pœnam omnibus pœnis, & doloribus hujus mundi graviorem mereatur 8 A visione & fruitione DEI ad tempus suspendat post mortem. 9 Celestium consolationum affluxum impediat. 10. Familiaritatem cum DEO & Celitibus imminuat. 11. Fervorem tepefaciat, sicut aqua in ignem effusa. 12. Meritum & præmium ingens, quod eo temporis, quo committitur, obtineri potuisset, impediat, & defraudet.

§. III.

De peccatorum commissorum cognitione.

I. Quod DEVS olim Israeli per Ieremiam Prophetam c. 31. dici jussit, hoc merito quævis anima viam purgativam auspicatura sibi applicare potest: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti.* Verè enim potissima causa, cur Homines tam parùm ad vitæ emendationem incitentur, est, quòd seipsos, & miserum animæ suæ statum non cognoscant, uti S. Bernardus pulchrè in ser. quodam indicavit, in Persona DEI dicens: *O Homo, si te videres, mihi placeres, & tibi displiceres. Sed quia te non vides, tibi places, & mihi displices, Veniet tempus, cùm nec mihi, nec tibi placebis: mihi, quia peccasti: tibi, quia ardebis.* Meritò ergo speculam, aut speculum potiùs ante se statuit, in quo præteritam suam vitam cognoscat, & cognoscendo defleat, & deflendo corrigat. Triplex autem ad hunc finē speculum usurpare potest.

II. Primum est ipse DEVS, de quo S. David Psal. 33. dixit: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Nam, ut S. Gregorius l. 31. moral. advertit, *Cognoscere se non potest anima, quæ apud se non est, nisi etiam divinæ luci appropinquet.* Quare clamet peccatrix anima cum S. Davide Psal. 66. *DEVS misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, ut cognoscamus in terra viam tuam,* imò nostram, quàm per præteritam vitam ambulavimus.

III. Alterum speculum est memoria aut sinus proprius, de quo Ieremias Propheta c. 2. locutus est, cùm dixit: *Vide vias tuas in convalle: scito, quid feceris. Quàm vilis facta es*

nimis, iterans vias tuas. Clariùs verò hoc ipsum speculum indicavit, S. Gregorius l. 10. mor. c. 22. dum dixit: *Electi intra sinum cordis adversum se, quidquid impugnat, enumerant: ibi ante oculos suos omne, quod defleant, coacervant: ibi quidquid per iram districti Iudicis discerni possit, intuentur: ibi tot pariuntur supplicia, quod pati timent.*

IV. Tertium tandem speculum libri sunt, qui varios peccatorum Catalogos continent, atque adeò merito speculo comparari possunt, in quo anima maculas, quas in secundo memoriæ suæ speculo sufficienter cognoscere non potuit, clariùs deprehendat. Quare de ejusmodi libris sibi dictum putet, quod S. Ioannes olim Apocal. 10. audivisse se testatur: *Accipe librum, & devora illum* (diligenter & prudenter perlegendo) *& faciet amaricari ventrem tuum* (aut cor potiùs salutari dolore de peccatis excitato) *sed in ore tuo erit dulce tanquam mel* (si videlicet peccata cognita per dolorosam & sinceram confessionem Sacerdoti explicaverit.)

CAPVT II.

De Actuali peccatorum detestatione & deletione.

I. ALter Viæ purgativę scopus est actualis detestatio peccatorum, seu Iustificatio peccatoris, quam DEVS per Prophetam Ieremiam loco suprà cit. indicavit, dum præcepit, ut, post statutam speculam ponat amaritudines sibi; per has enim amaritudines nihil aliud intelligitur, quàm actus illi, qui ad actualem Peccatorum detestationem & expiationem requiruntur, & quinque potissimùm ab Ascetis numerantur.

II. Primus est *Timor Iustitiæ divinæ*: de quo Salomon Eccl. 1. dixit: *Timor Domini expellit peccatum* (inchoativè scilicet) *nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Quia, ut sapienter Diadochus to. 5. Bibl. SS PP. c. 17. dixit, *Nemo potest in sensu cordis DEVM amare, nisi priùs toto corde eum timuerit; timore enim DEI efficitur, ut anima pura & mollis effecta ad exercendam caritatem se applicet.* Hinc meritò exclamat Peccator cum S. Propheta Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Aut cum pio Ascetа lib. 3. de imit. Christi c. 14. *Intonas super me iudicia tua, Domine, & timore ac tremore concutis ossa mea, & anima mea expavescit valde. Sto attonitus, & considero, quia cœli non sunt mundi in conspectu tuo, si in Angelis reperisti pravitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? Ceciderunt Stellæ de cœlo, & ego pulvis quid præsumam?*

III. Secundus actus est *Spes de misericordia divina*: nam ut bene S. Augustinus l. 9. Confess. c. 13. dixit ad DEVM: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia, discutias eam.* Et idipsum etiam priùs S. David Psal. 129. indicaverat dicens: *Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Semper ergo Peccatoris in pectore debent Spes & formido coniungi*, inquit S. Gregorius l. 33. moral. c. 1. *quia incassum misericordiam sperat, si iustitiam non timeat: & incassum metuit, qui non confidit.* Hinc teste S. David Psal. 84. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi iustitia & pax osculata sunt.* Dicat itaque peccator cum eodem Propheta Ps. 41. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor ei.*

IV. Tertius actus *contritio*, seu *dolor* est; hoc enim est Sacrificium pro peccatis, quod DEVS maximè requirit, de quo S. David Psal. 50. ait *Sacrificium DEO Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum DEVS non despicies.* Hinc per Ieremiam c. 6. hortatur peccatricem animam: *Filia Populi mei, accingere cilicio, conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum. Verè enim magna vis est lacrymarum*, inquit, S. Chrisostomus ho. 2. in Ps. 50. *Vis, dicam, quantum lacrymæ valeant? maximum virtutis munus est Martyrium; sicut enim Martyres sanguinem fundunt, & peccata delent; ita Peccatores lacrymas fundunt, & peccata obliterant.* Quales autem hæ lacrymæ esse debeant, & unde peti, ostendit idem Sanctus ho. 6. in c. 2. Matth. dum ait: *Cùm amoris ignis alicuius mentem fuerit ingressus, totum inde corporem expellit, facitque, ut ea fons lacrymarum existat: nihil quippe nos ita conglutinat, atque unit, ut illæ lacrymæ.* Tales fudit S. Maria Magdalena, unde audire meruit: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Luc. 7. Vnde admirans has lacrymas idem S. Doctor s. 93. *Mutatur*, inquit *ordo rerum, pluviam terræ dat cœlum semper, nunc ecce rigat terra cœlum. Imò super*

per cœlos ad ipsum Dominum usque imber humanarum profilit lacrymarum, ut juxta Psalmistam de aquis fletuum cantetur illud; *Et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini*. Dicat proin Peccator cum S. David Psal. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo*.

V. Quartus actus ad expiationem peccatorum necessarius *confessio* est, nam, ut Salomon Prov. 28. ait, *qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit ea, misericordiam consequetur*. Et ut clariùs Isidorus l. 1. c. 12. ait *Confessio sanat, confessio justificat, confessio peccatis veniam donat. Omnis spes in confessione consistit. In confessione misericordiæ locus est. Nulla tam gravis est culpa, quæ per confessionem non habet veniam*. Hinc pulchrè S. Augustinus super Psal. DEVM alloquens: *Non aperui*, inquit *sed operui, ut operires: non celavi, ut tegeres. Nam quando homo detegit DEVS tegit. Cùm homo agnoscit, DEVS ignoscit*. Præoccupet ergo Peccator faciem DEI in confessione, & dicat cum S. Davide Psalm. 31. *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei*. Cessat namque vindicta divino, si confessio præcurrat humana, ut verè S. Ambrosius super Psal. *Beati immaculati*. pronunciavit.

VI. Quintus actus *Satisfactio* est, nam ut rectè S. Bernardus s. de quadrg. debito dixit, *exigunt à me præterita peccata mea futuram vitam meam, ut faciem fructus dignos pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. Circumdederunt me mala, quorum non est numerus; quod ergo sine numero est, quomodo numerabo? quomodo satisfaciam, cùm cogar reddere debitum usque ad ultimum quadrantem?* Dupliciter autem hæc satisfactio præstari potest. 1. Si, ut S. Gregorius ho. 23. in Evang. loquitur, *contraria opponantur medicamenta peccatis, ac propterea lubricis continentia, tenacibus largitas, iracundis mansuetudo, elatis humilitas imponatur*. Summopere namque cogitandum est, inquit idem ho 34. in Evang. *Ut qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat*. 2. Si indistinctè operibus bonis, & illis maximè, quę cum carnis castigatione conjuncta sunt, serio vacetur; de quo genere satisfactionis S. Ioannes Baptista locutus est, quando Luc. 3. ad fructus dignos pœnitentiæ hortatus est, nam, ut sapienter S. Cyprianus

prianus s. 5. de laps. dixit, DEVS, *quantùm Patris pietate indulgens est, tantùm Iudicis majestate metuendus est. Alto vulneri diligens & longa medicina non defit: pœnitentia crimine minor non sit: Orare oportet impensiùs; diem luctis transigere, vigiliis noctes ac flectibus ducere, tempus omne lacrymosis occupare lamentationibus, stratos solo adhærere cinere in cilicio volutari ac sordibus. Ne ergo cessemus in agenda pœnitentia, atque misericordia divina imploranda, ne, quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur*.

CAPVT III.

De fuga Peccatorum seu Vitæ Emendatione.

I. TErtium officium Pœnitentis Peccatoris per viam purgativam incedentis est, ut dirigat cor suum in viam rectam, in qua ante peccatum ambulaverat, quemadmodum DEVS per Ieremiam loc. sepius cit. hortatus est. Ad quod officium præclarè etiam Apostolus Rom. 6. hortatus: *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniustitiæ ad iniquitatem; ita nunc exhibeatis servire iustitiæ in sanctificationem*: Vel ut S. Augustin. consulit: *Quales impetus habebas ad mundum, tales habens ad Artificem Mundi*. Imò Baruch Propheta c. 4. hoc gradu non contentus, ampliùs requirit dicens: *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à DEO, decies tantùm iterum convertentes, requiretis eum*.

II. Porro ut hoc officium perfectè impleat Peccator quatuor ei industriæ observandæ sunt. Prima est, ut firmissimum concipiat propositum relapsus cavendi. Secunda, ut, si quos contraxit pravos habitus & consuetudines, eradicare studeat. Tertia est ut passiones suas inordinatas & rebelles in ordinem redigere, & rationi subjicere conetur. Quarta, ut contra varias tentationes Mundi, carnis, & Sathanæ nunquam in hac vita de futuras bene sese præparet; quæ quidem omnia qua ratione perficere queat, in sequentibus §§. ostendetur.

Universidad de Deusto. Biblioteca

§. I.

De Relapsu in peccatum cavendo.

I. Quemadmodum ii, quibus per lubricam glaciem aut alium periculosum locum, in quo aliquoties ceciderunt, aut grave damnum sunt passi, si illum locum penitus declinare non possunt, saltem bonos murices aut alia media, per quæ à casu & malo se præservent, sibi procurant; ita cùm homo vitam hanc velut viam ad Patriam declinare omnino non queat, id saltem agere debet, ut de tali medio sibi provideat, per quod à frequentiori lapsu in peccata saltem graviora, & cum plena deliberatione commissa præservetur. Quale quidem medium præ reliquis censeri debet *firmum & efficax propositum non ampliùs peccandi*: quantas enim vires habeant ejusmodi propositi, abunde ex quotidiana experientia constat, qua experimur, homines, si animum semel seriò ad aliquid agendum vel omittendum obfirment, non facilè à tali proposito ampliùs abduci posse. Vnde meritò pius Asceta l. 1. de civit. cap 19. hoc medium præ aliis suadet dicens: *Omni die renovare debemus propositum; & ad fervorem nos excitare*. Et mox fructum hujus propositi explicans subjungit: *Secundùm propositum nostrum cursus profectus nostri*. Id est, prout magis vel minùs firmum erit propositum, sic magis vel minùs in peccatorum fuga, & virtutum studio proficiemus, Merito ergo Peccator penitens ante omnia laborare debet, ut insigne erga peccata odium & horrorem concipiat, & animum ad eadem devitanda per firmum propositum generosè fortiterque obfirmet, quod quidem obtinere poterit sequentibus mediis.

II. Primò. Si exitum tristem præteritorum peccatorum accuratè ponderet, sibique illa Apostoli Rom. 6. applicet. *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis*? certè quàm efficax sit hoc medium ad firmum propositum vitandi peccata concipiendum, vel ex ipsis brutis animantibus patet, quæ experimur non facilè redire ad ea loca, in quibus grave damnum & periculum incurrerunt. Vnde quod Siracides in alio sensu c. 7. rectè suasit: merito etiam hic suo modo applicari potest: *In omnibus operibus*

bus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis.

III. Secundò si similiter gravissima damna relapsùs bene perpendat, quæ quidem patheticè S. Paulus in ep. ad Hebræos c. 6. describit, & ad tria præcipuè revocari queunt. Quorum primum est *subtractio gratiarum divinarum*: quod damnum S. Paulus sequentibus verbis indicavit. *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem: proferrens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima*. Quod clariùs insinuans S. Bernardus S. 14. in Ps. 90. *Omnino*, inquit, *nos sola à profectu conversationis impedit ingratitudo nostra; dum quodammodo perditum reputans, qui dedit, quod ingratus accepit, cavet, sibi de cætero, ne tanto plùs amittat, quanto plùs confert ingrato*. Secundum danum est *resipiscentiæ difficultas*, quam idem Apostolus sequentibus verbis indicavit: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum verbum DEI, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*. Sic enim impletur illud Christi Matth. 12. *Cùm immundus Spiritus exierit ab Homine, &c. vadit & assumit alios Spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius peiora prioribus*. Tertium damnum, scilicet *pœne gravitas*, pariter ab Apostolo cap. 10. ad Hebr. indicatur, dum ait *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccato hostia, terribilis autem quædam exspectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est Adversarios*. Vnde & S. Petrus 2. cap. 2. *Melius*, ait, *erat illis, non cognoscere viam Iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato*.

IV. Tertiò si pariter consideret turpitudinem relapsùs: quam breviter indicavit Propheta Ieremias c. 2. dum dixit; *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas*. Quid enim turpius, quàm cani advomitum reverso, & sui lotæ in volutabro comparari, quibus tamen relapsos S. Petrus l. c. comparat? Quid turpius & indignius est, quàm paulò ante ingemuisse, flevisse, Dei misericordiam, & Sanctos omnes imploràsse, ut peccatorum venia impetraretur, & repente mutato

tato consilio Dei gratiam pro nihilo reputare, & virtuti Nuncium remittere? quæ impudentia, susceptum in Eucharistia cum tanto apparatu ac præparatione servatorem, mox iterum ejicere, & Hostibus tradere instar Iudæorum, qui paulò ante Christum cum triumpho susceperant, vestesque substraverant, paulò post Pilato tradiderunt, & crucifigi petiverunt? Vnde meritò tandem concludit S. Augustinus in solil. *Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet à malis veniam petere & mala de novo iterare.*

§. II.

De pravis habitibus extirpandis.

I. Quemadmodùm frustra agrum purgare conatur à spinis, qui radicem non evellit: & frustra Medicus morbum fugare nititur, si causam morbi tollere non conetur, sic frustra animum à peccatis purgare conabitur, qui radicem & causam illorum, nempe habitus vitiosus seu consuetudines per frequentatos criminum actus contractas ex eodem animo evellere non decernit; nam, ut rectè S. Chrisostomus apud Langium in Polianth. V. eod. dixit, nihil, tam firmum est in rebus humanis, quam veteris consuetudinis Tyrannis, ita ut Ethici eandem alteram Naturam dicere non vereantur. Id quod suo damno præ aliis S. Augustinus expertus est, ut qui l. 8. confes. c. 5. de seipso fatetur: *Ligatus eram non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat Inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me: quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*

II. Porro quæ media ad hos habitus vitiosos, & malos adhibere oporteat, breviter indicavit S. Basilius in Reg. fus. q. 55. dicens: *Sicut morbi corporis inveterati non nisi longa & acri curatione sanantur; sic peccata inveterata, diuturna patientia, assidua oratione, & acerrima animi contentione curari queunt.*

III. Prima ergo industria, quæ adhiberi debet ad pravos habitus exscindendos, *diuturna patientia est;* Nescilicet Peccator aut desperet, si nimis multisse habitibus ejusmodi, vitiisque subjectum esse se advertat, neque animum abjiciat, si non

si non tam celeriter, ac vellet, eosdem extirpare possit, sed credat potiùs sibi idem eventurum ac dicendum à DEO quod olim Israelitis Deut. 7. evenit., ac dictum est, quos, cùm omnes Hostes suos, multò majoris numeri & robustiores, quàm ipsi Israelitæ erant, delere juberentur, Moyses sic allocutus est, & animavit: *Si dixeris in corde tuo: plures sunt Gentes istæ, quàm ego, quomodo potero delere eas? noli metuere; sed recordare, quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaonis, & cunctis Aegyptiis, plagas maximas quas viderunt oculi tui, & signa atque portenta; manùmque robustam, & extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus; sic faciet cunctis Populis, quos metuis. Non timeas eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus & terribilis, ipse consummet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes, non poteris eas delere pariter.* Itaque unum vitium post alterum per Examen particulare, aut alia media aggrediatur, & magna cum patientia exspectet, donec cætera quoque cum eodem divino auxilio oppugnare, & expugnare possit.

IV. Altera industria merito *assidua oratio* censetur; uti enim illi Reges, qui se viribus impares ad hostes suos debellandos advertunt, alios in auxilium vocant; ita Peccator quoque, cùm longè inferiorem se robore, advertat, meritò Deum & Sanctos in auxilium vocat, ut ipse quoque cum veritate, illa sibi Elisæi verba ad Puerum suum dicta 4. Reg. 6. Applicare possit: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm contra nos.* Ita sanè S. Augustinus hujus medii efficaciam expertus est, ut qui S. de Sanctis de seipso fatetur: *Ecce vobiscum vivimus. Quis nos audivit aliquando iurantes? Nunquid non consueveram quotidie iurare? at ubi legi timui, luctatus sum contra consuetudinem meam, in ipsa luctatione invocavi Dominum Adiutorem præstitit mihi Dominus adiutorium non iurandi. Nihil mihi facilius est, quàm non jurare. Hoc ideo monui caritatem vestram, ne dicatis: quis potest?*

V. Tertia industria est *acerrima animi contentio*: quæ in eo consistit, ut Peccator sibi ipsi vim inferat, & tum pravum habitum contraria consuetudine velut clavum clavo expellere conetur; tum verò etiam, ubi occasio aut tentatio ad vitium repetendum sese obtulerit, generosa violentia aliquoties se abstineat, hoc enim efficacissimum esse medium

do-

docuit inprimis piùs Asceta l. 1. c. 25. dum dixit: *Duo specialiter juvant ad magnam emendationem, videlicet subtrahere se violenter, ad quod natura vitiosè inclinatur, & ferventer instare pro bono, quo ampliùs quis indiget.* Deinde ipsa experientia didicit Peccator ille, qui, cùm horrante S. Bernardo, primùm triduo à sua vitiosa consuetudine se continuisset ad SS. Trinitatis honorem, & alterum postea diem ad honorem B. Virginis adiecisset, ita immutatus est, ut cùm S. Bernar. adhuc unius diei abstinentiam peteret, ultro responderet, nullis jam ampliùs induciis opus esse, se enim jam summum inveterati sui vitii horrorem concepisse. Idem ergo faciat Peccator, credatque certò in se impletum iri, quod commune axioma indicat: *Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.*

VI. Ne verò ipsa consuetudinis magnitudine territus animum abijciat, juverit in memoriam revocasse id, quod quondam, ut in prato Spirit. c. 66. legitur, B. Theodosio Eremitæ evenit, qui, cùm ab Angelo jussus esset cum immani & terribili Gigante pugnare, illeque timore corruptus certamen refugeret, tandem animatus Angeli auxilium promittentis, quamprimum hostem animosè aggressus fuisset, adhortatione, invasit illum, & Angelo juvante sine ulla speciali difficultate superavit.

§. III.

De Passionibus animi rectè Ordinandis.

I. Quod Christus Matth. 10. dixit *Inimici hominis domestici eius*: hoc merito Passionibus hominis applicari potest; etsi enim illæ, si homo in primævo suo statu, in quo conditus erat, permansisset, per justitiam originalem ita fuissent rationi subjectæ, ut non nisi ex imperio voluntatis & intellectus ulla commotio in appetitu sensitivo, & in corpore sequi potuisset, post lapsum tamen Adami adeò rebelles sunt factæ, ut miserandas strages in omnes hominis facultates edere cæperint; nam 1. intellectus aciem circumfusa nebula retundunt, rationem imperii præsidem & actionum omnium regulam è sede sua exturbant, consilium exterminant, judicium perturbant, virilitatem mentis effeminant, altumque ignorantiæ vulnus infli-

fligunt. 2. Voluntas item omnium facultatum & actionum Domina sub miserrimo passionum jugo servire cogitur, harum impulsu vaga, instabilis; incerta, imperita, infirma, audax, cæca efficitur. 3. Memoria intelligentiæ Mater, & rerum Magistra damnabili rerum memorandarum oblivione, & noxiarum, seque indignissimarum rerum recordatione mirum quantùm obfuscatur. 4. Potentiæ executrices ad bona facienda retunduntur, ad mala audenda exacuuntur, quin & in sensus omnes ac singulos ingentia inferunt damna, tum animæ, tum corpori; ut meritò S. Paulus de hac rebellione conquestus dixerit Rom. 7. *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Nam velle adjacet mihi, perficere autem non invenio; non enim, quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo bonum, hoc ago.*

II. Porro etsi, ut dictum est, tantopere rebelles sint passiones, negari tamen non potest, primum rebellionis hujus Ducem & Authorem esse Amorem proprium, qui nihil aliud est, quàm *inclinatio voluntatis ad proprium bonum appetendum*. Ita enim 1. pulchrè S. Augustinus S. 47. in c. 17. Matt. indicavit, dum de Filio prodigio sic discurrit. *Quid de illo dicitur? & reversus est ad seipsum. Si ergo reversus est ad se, exierat à se. Quia ceciderat à se, & exierat ad se, redit priùs ad se, ut redeat in illo, unde ceciderat à se. Sicut enim cadendo à se, remansit in se, ne iterum exeat à se. Surgam, & ibo ad Patrem meum: ecce unde ceciderat à se, ceciderat à Patre suo: redit ad se, & pergit ad Patrem, ubi tutissimè fervet se. Si ergo exierat à se, redeundo ut ad se, eat ad Patrem, neget se, subducat se sibi, ut hæreat DEO.* Ita 2. B. Angela de Fulgirio vit. c. 64. agnovit, quæ plùs amore proprio, quàm ab ipso Dæmone sibi metuebat, eò quòd hic nisi per amorem proprium nihil potestatis in nos habeat; per eum verò velut vulpeculam semper è grege nostrorum affectuum pecus aliquod abripiat. Hinc & S. Ignatius, ut Bartolus l. 4. vit. §. 27. testatur, dicere solebat, tantùm quemque in spiritualibus rebus promoturum esse, quantùm ab amore sui ipsius, & commodi propiii affectione sese abstruxerit. Ita 3. pius Asceta l. 3. c. 7. affirmat dicens: *Scito, quòd amor tui ipsius magis nocet tibi,*

quàm aliqua res mundi. Et clariùs l. 3. c. 53. *Ex hoc vitio, quod homo semetipsum nimis inordinatè diligit, penè totum pendet, quidquid radicaliter vincendum est, quo devicto & subacto malo, pax magna tranquilitas erit continuò. Perfecta namque victoria est, de semetipso triumphare; qui enim semetipsum subiectum tenet, ut sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè victor est sui, Dominus mundi.* Ita 4. testatur ipsa ratio: sicut enim nulli alteri homini bonum aliquod amamus, concupiscimus, & gratulamur, nisi illum diligamus, sic neque nobis ipsis similia bona concupiscemus, aut ob eadem gaudebimus, nisi nos ipsos inordinatè amemus. Hinc Servator ipse ad sui imitationem, atque adeò ad perfectionem etiam adhortans hoc solum petebat, ut si quis post ipsum venire vellet, *abnegaret seipsum, & tolleret crucem suam.*

III. Ex quibus facilè nunc colligitur, ex omnibus mediis, quæ varia à variis præscribuntur, ad passiones rectè ordinandas, nullum efficacius esse, quam si amor proprius velut radix omnium aliarum passionum extirpetur; *si enim semetipsum viceris, cætera facilius subjungabis*, inquit rectè Thomas Kemp. l. 3. c. 53. unde ulteriùs monet: *Si ad hunc apicem* (perfectionis) *scandere gliscis, oportet vitiliter incipere, & securim ad radicem ponere, ut evellas & destruas occultam inordinatam inclinationem ad teipsum, & ad omne privatum & materiale bonum.*

IV. Porro cùm contraria contrariis, & clavus clavo pellendus sit, facilè iterùm apparet, non posse efficaciùs hunc amorem proprium extirpari, nisi per oppositum DEI amorem; sic enim S. Augustinus id in seipso expertus testatur dum, l. 9. Conf. c. 1. ait: *Quàm suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum, & quas dimittere metus fuerat; iam dimittere gaudium erat; eiiciebas enim eas à me vera tu, & summa suavitas: eiiciebas eas; & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni, & sanguini: omni luce clarior, sed homini secreto & interiori: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se.* Quare audiat Peccator Thomam Kemp. l. 3. opusc. c. 5 monentem: *Melior ac sanctior noster amor locum in nobis accipiat; nec enim fuerit, quo intret ad te amor DEI, nisi, exulet amor tui. Ubi seipsum aliquis quærit, ibi ab illo amore cadit: solus namque hic dominari vult, qui præcepit, ut feratis*

caris in DEUM ex toto corde, ex tota anima. Partem non accipit, glorioso indolis est: totum deposcit, ut totum largiatur. Eum in finem proderit, firmiter sibi persuadere, quòd in DEO velut fonte, quidquid in creaturis amare vel desiderare possumus, infinities perfectiùs, & abundantiùs habeatur, atque adeò in omnibus tentationibus illud S. Michaelis dictum velut firmissimum scutum opponere: *Quis ut DEUS?* aut illud commune axioma: *Dulciùs ex ipso fonte petuntur aquæ.* Aut illud Psal. 72. *Quid mihi est in cœlo, aut à te, quid volui super terram?*

V. Ex quo amore tandem exurget etiam salutare illud odium, sui tantopere à Christo & Ascetis commendatum, quo Peccator odit animam suam, negando illi bona apparentia & falsa, quæ dictat, & appetit amor proprius, ut inveniat illam offerendo bona vera & meliora, quæ dictat, & appetit amor DEI. Quare exclamat cum S. Bernardo apud Rodriq. p. 2. tr. 1. c. 4. *Exurgat DEUS, cadat armatus iste: cadat & conteratur inimicus homo, contemptor DEI, amator sui, amicus mundi, servus Diaboli. Quid tibi videtur? certè si rectè sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur, crucifigatur.*

§. IV.
De Tentationum Victoria.

I. Ex hactenus dictis facilè patet, rectè dictum esse à Iobo c. 7. *Militia* (vel, ut alii vertunt, tentatio) *est vita hominis super terram;* cùm & exteriùs undique hostibus circumcincti simus, videlicet *Diabolo*, hoste invisibili, vaferrimo, & fortissimo, *Mundo*, id est, mundanis hominibus, qui exemplis, suasionibus, & minis ad malum provocant: & *Creaturis* reliquis, quæ, teste Salomone Sap. 14. *in odium DEI facta sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Et præterea etiam ab internis undique sollicitemur, nimirum carne, seu appetitu sensitivo, sensibus externis, passionibus, & habitibus pravis, de quibus, ut antè insinuavi, jure dicitur: *Inimici hominis domestici ejus.* Merito ergo Peccator viam purgativam auspicaturus, illam sibi Siracidis c. 2. doctrinam applicat: *Fili, accedens ad servitutem DEI, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Hæc autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem præparatio in eo potissimùm consistit, ut sciat, quid præcipuè ante, in, & post tentationem observare debeat.

II. Ante tentationem itaque tria specialiter observanda sunt. 1. ut certò sibi persuadeat, tentationes nunquam defuturas; imò quo plùs in sanctitate profecerit, tantò vehementiùs oppugnatum iri, quia, teste S. Gregorio l. 29. moral c. 12. *Hostis noster in hac vita positos, quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò amplius expugnare contendit.* Et verò etiam id DEVS plurimas ob rationes permittit, sed tres præcipuè à S. Chrysostomo l. 1. de Prov. DEI indicatas, dum ait: *DEVS te hactenus, ut Mater, brachiis gestavit, nunc verò in aquas abjecit, ut tuo disceres natare cortice; hæc ad probandam fidem, ad exercendam virtutem, ad augendum promeritum fiunt.* Quod & S. Augustinus super Psal. 60. confirmans, *Vita nostra*, inquit, *in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione; quia profectus noster fit per tentationem; nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus: nec potest coronari, nisi vicerit: nec potest certare, nisi Inimicum & tentationes habuerit.* 2. Firmiter quoque credat, DEVM, ut S. Paulus 1. Cor. 10. monet, fidelem esse, atque adeò non passurum, ut supra vires tentetur; si enim, ut rectè discurrit S. Ephrem s. 1. de patient. homines, cùm tam parùm sciunt, sciunt tamen discernere, quantum oneris singula jumenta ferre valeant, tantumque imponunt, quantùm eorum vires tolerant: si etiam figulus vasa efformans novit, quanto ea tempore in igne relinqui oporteat, ne, si diutius relinquat, adurantur: si minùs, dissolvantur; quantò magis DEVS, cujus est infinita potentia & sapientia, novit, quibus tentationibus aut probationibus indigeant, animæ ipsi placere volentes, neque majores permittet, quàm ipsarum utilitati conducat. 3. Ut pariter firmissimè credat, non nocere sensum in tentationibus, si consensus absit; ut enim ignis sub cinere latet, etiamsi totus cineribus videatur sepultus; ita & caritas in corde esse potest, licet ob tentationum gravitatem videatur penitus extincta.

III. In tentatione sequentes quinque doctrinæ observandæ sunt. 1. Ut non concidat animo, si tentationum procellæ oriantur; sicut enim, si Nauta semel à timore occupatus est, ad navem regendam prorsus ineptus evadit, ita animus tentati, si timori cesserit, manifesto victoriæ amittendæ periculo se exponit. Vnde S. Gregorius l. 5. moral. c. 55. monet: *In tentatione deprehensus tenebras mœroris incide, ne, qui in tanta animi tranquillitate alta de te senseras, in perturbatione quoque deterius cogitationum caligine te confundas.* 2. Vt Christi consilium sequatur dicentis Matth. 26. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Qua ratione autem hoc fieri debeat, pulchra similitudine Abbas Ioannes l. 3. de pat. & humil. declaravit, dum dixit, Monachum similem esse debere homini sub grandi arbore sedenti, qui respiciens feras diversas & serpentes venientes ad se, cùm non possit eis resistere, subit in arborem, & salvatur. Ita & Monachus sedens in cella, & videns pravas cogitationes, fugiat ad DEVM per orationem, & salvabitur. Item similem debere esse, homini habenti à sinistra ignem, & à dextra aquam, ut, quoties fuerit succensus ignis, tollat de aqua (puta orationem) & extinguat illam. 3. Vt initiis tentationum fortiter invigilet, & resistat; quia, ut bene monuit pius Asceta l. 1. c. 13. de imit. faciliùs hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus introire sinitur, sed extra limen statim, ut pulsaverit, illi obviatur. E contrario vero, *si tentationi in carne nascenti non festinè resistitur, eadem, qua nutritur, hora roboratur, & existens foris in operibus vix prævalet, qui ipsam intus membrorum Dominam mentem captivam tenet.* ut sapienter monuit D. Gregorius in pastor. 4. Vt non obiter & perfunctoriè resistatur tentationi & hosti, sed penitus, quantùm fieri potest, deleatur; quod fiet, si ipsa etiam tentationum radix & occasio tollatur. Est autem hæc radix non alia, quàm concupiscentia, uti S. Iacobus c. 4. indicavit dicens: *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* hæc autem radix tollitur, si concupiscentia à Creaturis ad DEVM transferatur juxta doctrinam Davidis dicentis Ps. 36. *Delectare in Domino, & ipse tibi dabit petitiones cordis tui.* Verè enim, ut libellus de imit. l. 3. c. 27. notavit, juvat non quælibet res adepta vel multiplicata exteriùs, sed potiùs contempta & deciſa ex corde radicitus. Vtatur ergo Ascetica gladio S. Michaelis, & in omni tentatione dicat intrepidè: *Quis ut DEVS?* verè enim hic gladius est ille, de quo potioti jure, quàm de gladio Goliathi dicatur, quòd non sit alter ei similis. 5. Vt ad pugnam se variis motivis, præsertim DEI, &

totius Curiæ cælestis agonem spectantis & animantis præsentia cogitata excitet, quemadmodum S. Stephanus exemplo suo docuit, cœlos apertos, & IESVM stantem à dextris contemplatus, dum lapidibus impeteretur.

IV. Post tentationem pariter tria specialiter sunt observanda 1. Vt debitæ DEO pro accepto beneficio gratiæ referantur: Dicendo cum S. Davide Psal. 143. *Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*. Aut Psal. 113. *Non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam*. Vt non putetur, debellatum esse, si semel victoria obtenta est; nam ut sapienter advertit Venerabilis Beda sup. Luc. *Sæpe antiquus hostis, postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non ut militiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per securitatem secura reddit, repente rediens: facilius inopinatè irrumpat*. Huc etiam pertinet, ut non abijciat animum, aut contristetur, si devictis gravioribus hostibus advertat, se adhuc à minoribus infestari: nam ut, sapienter discurrit S. Gregorius l. 4. moral. *hoc divina dispensatione, agitur, ne ex omni parte virtutibus splendens in elationem sublevetur: ut dum in se parvum quid reprehensibile videt, & tamen hoc subjugare non valet, nequaquam sibi, sed Authori victoriam tribuat in his, quæ subiicere fortiter valet. Quod ad hoc agitur, ut ad virtutem mens proficiens iustitia sua, melius infirmitate roboretur; & inde verius in bonis luceat, unde etiam nolentem parva reprehensibilia humiliter obscurant. Vnde & bene, cùm Israelitico Populo percepta Promissionis terra divideretur, Ephraim Tribui Chananæus gentilis Populus non occisus, sed factus est tributarius. Rectè autem tributarius effici dicitur, qua hoc ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus, ut eo de se mens in summis vilia sentiat, quo suis viribus etiam parva, quæ appetit, non expugnat. Vnde & bene rursum scriptum est: Hæ sunt Gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem; ad hoc namque quædam minima vitia retinentur, ut sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exerceat, & eo die de victoria non superbiat, quo vivere in se hostes conspicit, à quibus adhuc vinci formidat.* 3. Vt, si quis in tentatione succubuisse se advertat, animis non concidat, sed potiùs salubrem pij Ascetæ

cetæ l. 3. c. 6. de imit. Christi doctrinam, consilùmque sequatur. *Certa tanquam bonus miles, & si interdum ex fragilitate corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia mea*; nam, ut rectè advertit S. Gregorius hom. 34. in Evang. *Sicut Dux in prælio plùs eum Militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter petit, quam illum, qui nunquam terga præbuit; sic DEVS sæpe illos plus amat, qui post peccatum ferventius illi servierunt, quam qui peccato mortali non commisso tepidos se in eius servitio exhibuerunt*.

§. V.

De specialibus viæ purgativæ tentationibus.

I. Ea, quæ priori §. dicta sunt, ad victoriam tentationum in genere præcipuè pertinent; quia verò non parùm prodest militi ad pugnam alacriter simul & feliciter peragendam, si hostem, cum quo ipse potissimum pugnare debeat, agnoscat, ideo juvabit quoque, si tentationes, quæ iis, qui per viam purgativam incedunt, magis molestæ sunt, breviter referantur, &, qua ratione iisdem occurrendum sit, succinctè ostendatur.

II. Prima ergo tentatio viæ purgativæ infesta est *nimius in pœnitentia agenda fervor*; qui tum ex timore supplicii per peccata præterita promeriti, tum ex desiderio veniæ per opera cum cruciatu conjuncta obtinendæ; tum ex Sanctorum exemplis consideratis oritur. Cui proin tentationi occurrendum 1. Demonstrando, neminem sine Duce iter pœnitentiæ securè decurrere, uti ex multorum ruinis patet. 2. In memoriam revocando verissimam illam Salomonis sententiam Prov. 19. *Qui festinus est pedibus, offendit*. 3. Evellendo fiduciam vanam, qua putant ejusmodi Tentati, pœnitentiam, quę donum DEI est, propriis viribus se obtinere posse. 4. Ostendendo, DEVM cor potiùs & affectum, quàm opus intueri, & magis obedientiam, quàm victimas exigere: virtutem sine prudentia & discretione umbram potiùs, quàm veritatem virtutis continere &c.

III Secunda tentatio sunt *Scrupuli ex confessione orti*? quorum sicut diversa est radix, ita diversa quoque media sunt adhibenda. Nam 1. Si ex metu divini judicii oriuntur, spes

de bonitate divina erit excitanda. 2. Si ex dubio de sufficienti dolore concepto; natura contritionis explicanda, simulque ostendendum erit, quòd desiderium pauperum exaudiat Dominus, & præparationem cordis audiat auris ejus. Psal. 10. 3. Si ex pusillanimitate oriuntur, occurrendum erit, ostendendo periculum desperationis, si se non erigat: Spes de divina providentia instillanda: Humilitas suadenda: revocanda in memoriam sententia S. Bernardi l. de 7. miseric. dicentis: *Omnino, quantùm in se est, parùm honorat eum, à quo vocatus est, quisquis servit ei in tristitia & rancore.* Item illa S. Augustini in Psal. 38. *In libro tuo omnes scribentur, non solum perfecti, sed etiam imperfecti. Non timeant imperfecti, solum proficiant.*

IV. Tertia tentatio oritur *ex voluptatum præteritarum memoria*: qualem S. Augustinus olim se expertum confessus est, dum à prioribus vanitatibus se assiduò vellicatum ait dicentibus: siccine nos in perpetuum deseres? contra quam tentationem præter ea, quæ suprà de relapsu cavendo dicta sunt, optimum erit remedium, si ejusmodi vellicationes Patri Spirituali maturè aperiantur, &, sicut casta matrona ne verbum quidem respondet, aut in facie intuetur illum, à quo pudicitia illius tentatur; sed quamprimum se ab eo proripiendo, animum suum marito applicat, & versus illum se convertit, quamque illi spopondit, fidelitatem novo promisso renovat, nec multum cum eo altercatur, aut contendit; ita & anima tentata non multùm cum his voluptatibus in respondendo, aut contendendo se detineat, sed mox ad DEVM se convertens, ei de novo fidelitatem promittat, & totam se iterum amori ejus consecret.

V. Quarta tentatio est *horror difficultatis*, quam secum vitæ emendatio affert; sic enim testatur pius Asceta l. 1. c. 15. dicens: *Unum est, quod multos à profectu & ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis seu labor certaminis.* Cui tamen mox medium subjungit dicens: *Enim verò illi maximè præ cæteris proficiunt, qui ea, quæ sibi magis gravia & contraria sunt, viriliùs vincere nituntur; namibi homo plùs proficit. & gratiam meretur ampliorem, ubi magis seipsum vincit, & in Spiritu mortificat.* Ostendi præterea possunt gravitas peccatorum commissorum, & virtutis, perfectionis, & beatitudinis

dinis magnitudo & pulchritudo, pro quibus si laboret, meritò sperare poterit, sibi non minùs, quàm olim Iacobo Patriarchæ, omnes labores & difficultates breves & leves fore.

§. VI.

De Termino viæ purgativæ.

I. Non modicum solatium affert Viatori, si Viæ, quam decurrit, terminum se cursu ac labore suo constanti assecutum intelligit; quare ut Pœnitens quoque Anima norit, quando supremum viæ purgativæ terminum sit assecuta, eum quoque hic breviter indicare placet.

II. S. Bonaventura in libello, quem *parvum bonum* inscripsit, de hoc termino agens, putat eum in lætitia Spiritus, quæ ex tranquillitate & serenitate conscientiæ, qua adepta animus promptè sursum erigitur, consistere: *Incipit enim*, inquit, *via purgativa à stimulo conscientiæ, ac desinit in dictam lætitiam: exercetur in dolore, & consummatur in amore.* Verum P. Hugo Roth. peritissimus ille Asceseos Magister p. 1. viæ reg. cap. 4. sect. 4. hanc explicationem nonnihil obscuram, & quia ex consolationibus profectum metiri videtur, etiam difficulter discernibilem esse censet.

III. Quare ipse clariùs totam termini hujus perfectionem in tribus consistere putat. 1. Vt à peccatis & vitiis quis ita abstineat, ut occasiones seu illecebras nullo deliberato assensu videatur admissurus. 2. Vt exortas in se cupiditates vel terrores sic frenare norit, ut levi negotio impetum coerceat. 3. Vt exteriorum in abnegatione (&, si Religiosus est, etiam in votis & Regulis sui Ordinis) ita fidus inveniatur, ut neque clam, neque palam in contrarium aliquid ausit. Ex his namque tribus letitia illa spiritualis à S. Bonaventura pro Termino assignata orietur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VII.

De Axiomatibus viæ purgativæ.

I. Quemadmodum ad ædificium solidè & securè erigendum, nihil magis necessarium est, & conducit, quàm si firmum & solidum fundamentum ex duris, & solidis saxis ponatur; ita & ad perfectionis ædificium feliciter, & faciliter erigendum plurimùm prodest, si axiomata quædam seu doctrinæ universales à peritis Ascesos Magistris præscriptæ semper ob oculos & in memoria habeantur; qualia quidem pro via purgativa sequentia esse possunt.

II. Primum ergo axioma est: *Tantùm quisque vivit DEO quantùm moritur sibi*. Vti jam olim Christus ipse S. Catharinam Senensem docuit; vel, ut Thomas Kemp. l. 3. Opus. c. 56. sub aliis terminis proponit: *Tantùm Homo in DEVM transit, quantùm a se exit*. Cùm enim amor proprius omnium malorum radix sit, ut supra ostensum est, rectè infertur; hoc impedimento sublato, facilè hominem DEO adhæsurum; unde S. Augustinus s. 47. in c. 17. Matth. præclarè sic hortatur: *Primà hominis perditio fuit amor sui: si enim non se amaret, & DEVM sibi præponeret, DEO semper esse subditus vellet; non autem converteretur, ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam. Præpone his voluntatem DEI, disce amare te, non amando te.*

III. Secundum est; *Tantùm se quisque verè amat, quantùm se odit*. Cujus axiomatis veritas ex ipso Christi testimonio patet Matth. 10. dicentis; *Qui invenit animam suam, perdet illam: Et qui perdiderit animam suam, inveniet illam*. Super quæ verba eleganter S. Augustinus tr. 51. in Ioan. discurrens, *magna sanè*, inquit, *ac mira sententia quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, ut pereat: odium, ne pereat. Si malè amaveris, tunc odisti. Noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas: in æterna vita. Felices, qui oderunt custodiendo, ne pereant amando.*

IV. Tertium est, *Desine concupiscere, & desine malè habere*: Ita pius Asceta l. 3. c. 32. dum ait: *Tene breve, & consummatum verbum: Dimitte omnia, & invenies omnia, Relinque cupidi-*

pidinem, & invenies requiem. Ratio verò axiomatis est; quia homini nunquam bene esse potest, nisi per amorem adhæreat Authori suo, ac fini ultimo; *bonorum autem Autheri*, teste S. Gregorius in homil. *aliter inhærere non possumus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus*. Hinc, ut S. Bernardus s. 3 de Ascens. pronunciavit, ipsi Apostoli Spiritu Sancto repleri nequiverant ante Christi Ascensionem, quia carni Dominicæ, etsi Sanctæ, adhærebant, Merito ergo S. Gregorius l. 7. epist. 16. hortatur; *Quisquis defluere devitat, fugiat, ne per hoc, quod amat, in hoc cogatur devenire, quod vitat. Quantò enim acriore cura inardescit ad infima, tanto tempore damnabili refrigescit à summis; utraque enim simul & equaliter amari non possunt*.

V. Quartùm est; *Tantùm proficies, quantùm tibi vim inferueris*: ita iterum Thomas Kemp. l. 1 cap. 25. cùm enim *sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sint ab adolescentia sua*, teste S. Scriptura Gen. 8., facile patet, non posse hominem sine magna violentia ab amore sui & rerum creatarum inordinato avelli, atque adeò merito dici, illum præ cæteris in perfectione profecturum, qui majori sese violentia à creaturis abstraxerit. Vnde Sponsa Cant. 6. non tantùm pulchra ut Luna, & electa ut Sol, sed etiam terribilis ut castrorum acies ordinata dicitur, ut indicetur, per hanc sui victoriam ad tantam perfectionem; & sanctitatem ipsam perveniisse.

VI. Quintum denique axioma est: *Si vis vitam, muta vitam*: uti S. Augustinus monet, cum enim vita vera & beata in caritate consistat; vita autem, quam plerumque homines vivunt in concupiscentiis, & peccatis consumatur, rectè infertur, neminem veram vitam possessurum, nisi qui vitam mutaverit; hinc Apostolus ad Eph. 4. monet: *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris; renovamini autem Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum DEVM creatus est in justitia & sanctitate*.

PARS III.

DE THEOLOGIA ASCETICA PER VIAM ILLVMINATIVAM DEDUCENTE.

I. ETSI DEVS Hominem ad imaginem suam atque adeò ad beatitudinem participandam creaverit, noluit tamen illam ei communicare, nisi priùs eam per fidelia obsequia promereretur; id quod in ipsa statim Hominis creatione insinuavit, dum scilicet *posuit eum in Paradiso voluptatis, ut custodiret illum* id est, bene agendo, & mandata DEI servando, dignum se Paradisi illius fruitione efficeret, sicque olim in cælestem etiam Paradisum transferri mereretur.

II. Alter ergo terminus ambulationis spiritualis (in qua perfectionis studium consistere part. 1. dictum est) seu *terminus per quem* incedendum, & ad perfectionem velut ultimum finem tendendum est, sunt opera bona seu virtutes supernaturales, quibus Homo ad colendum atque amandum DEVM disponitur, & adjuvatur; cum enim perfectio, ut alibi ostensum est, in caritate DEI & Proximi consistat; hæc autem Caritas obtineri non possit, nisi aliarum virtutum ministerio adjuvetur, ut in progressu patebit: meritò virtutes istæ pro termino intermedio, seu *termino per quem* ambulationis spiritualis assignantur. De quibus ulteriùs ex communi Theologorum doctrinam supponendum, quòd in duas classes dividantur, *Theologicas* scilicet (sic dictas, quia immediatè circa DEVM versantur) & *Morales* (sic appellatas, eò quod immediatè circa mores rectificandos occupentur) in quarum proinde natura, subordinatione, & praxi ostendenda potissimus partis secundæ Theologiæ Ascеticæ labor versatur.

III. Porro cur via hæc *illuminativa* vocetur, duas plerumque causas assignant Ascetæ. Prior est, quod per illam Homo à peccatis purgatus, habilis & idoneus effectus ad illustrationes divinas percipiendas (juxta illud Christi Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt*) illapsum divini luminis paulatim magis experiri, imò in ipsa die virtutum

tutum & operum bonorum ambulare incipit, sicque adimpleat Consilium Apostoli dicentis Rom. 13. *Nox* (peccati) *præcessit; dies autem* (seu occasio bene agendi) *appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus.* Posterior causa est, quòd Homo in hac via constitutus, ut virtutes faciliùs, perfectiusque exercere valeat, Christum, qui est *Lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum*, & absolutissima omnis virtutis ac sanctitatis idea, in tali exercitio imitandum præcipuè proponat, atque adeò ab illo, qui ipse de se Ioan. 14. dixit: *Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me*: illuminetur ad dictas virtutes perfectissimo modo exercendas.

CAPVT I.

De Virtute in Genere.

I. DE hac fusè agunt Ethici, verùm quia hic tantùm de virtutibus supernaturalibus, quatenus ad finem ultimum supernaturalem conducunt, sermo est, ideo virtus tali modo accepta rectè sic definiri potest: *Est habitus supernaturalis ad actus supernaturales honestos eliciendos inclinans.* Quæ descriptio, ut examinanti patebit, omnibus omnino virtutibus tam Theologicis, quàm moralibus convenit.

II. Porro ut virtus talis perfecta, atque omnibus numeris absoluta sit, tres proprietates vel conditiones habere debet. Prima est, ut sit *deliberata*, id est, ut non præcisè actus ipse virtutis exerceatur (hoc enim naturaliter, & absque omni laude fieri potest) sed verè etiam propter suam propriam honestatem, vel certè alienam alterius virtutis, præcipuè caritatis eliciatur. Secunda est, ut sit *discreta*: nam, ut S. Bernardus super Cant. rectè pronunciavit, *discretio omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem & perpetuitatem confert. Est ergo discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, & doctrix morum. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ.* Tertia est, ut sit *solida* seu *constans*, quod fiet, si propter

pter occurrentes difficultates vel adversitates non facilè ab exercitio illius desistatur. Ex qua quidem proprietate vel maximè vera virtus ab apparente & fictitia discernitur, id quod eleganter nonnemo per similitudinem facierum nuturalem & fucatam pulchritudinem habentium declaravit; sicut enim facies naturalem pulchritudinem habens, etiamsi aqua calida perfundatur, non solum pulchritudinem suam non amittit, sed potiùs majorem efficit, fucata verò facies in tali casu totum amittit decorem: ita virtus quoque si vera sit, etiam inter adversitates suum splendorem retinet, augetque, secus vero si fucaca duntaxat sit.

III. Media, quibus virtus acquiri solet, etsi multa ab Ascetis præscribi soleant, sequenti distycho comprehensa:

Exoptes, ores, meditere, opereris oportet,
Excutias crebrò, longanimis maneas.

Hæc tamen ferè ad tria revocari possunt, scilicet 1. ad *Desiderium*, quod per meditationem frequentem, & accuratam præstantiæ, & fructuum ex tali virtute oriri solitorum obtinetur juxta illud Psal. 38. *In meditatione mea exardescet ignis* 2. Ad *orationem*, per quam talis virtus incessanter petatur à DEO, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit. Vnde de virtute quoque sibi quisque dictum putare debet, quod S. Iacobus c. 2. de Sapientia dixit: *Si quis vestrum indiget Sapientia (aut virtute) postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter; & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* 3. Ad *praxin* seu *exercitium*; quia sicut Fabri fabricando, ita virtuosi virtutes exercendo efficimur. Hinc Apostolus 1. Cor. 15. fatetur; *Gratia DEI sum, id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Sed & Sponsa Cant. 1. postquam trahi à Sponso per gratiam petiit; mox addit propriam cooperationem dicens: *Curremus in odorem unguentorum tuorum.*

IV. Denique ex his, quæ hactenus de virtute in communi dicta sunt, sequentia axiomata viam illuminativam decurrere volentibus bene notanda deduci possunt. Primum: *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus.* Psal. 44. Nam, ut rectè S. Bernardus S. 1. de natal. S. Vict. dixit, *Sola virtus mater glo-*

gloriæ est, sola enim est, cui gloria iure debetur, & securè impenditur. Hinc Romani olim duo templa, Honori & Virtuti ædificarunt ita constructa, ut nemini ad Honoris templum aditus pateret, nisi qui per Virtutis templum priùs transisset. Secundum; *Pietas ad omnia utilis;* per quam rectè Interpretes virtutem intelligunt; hæc enim verè ad omnia utilis dicitur, cùm veræ opes, quibus juxta proverbium obediunt omnia, non divitiæ sint, sed virtutes, quas secum quis in conscientia portat. Tertium: *Virtus sibimet pulcherrima merces:* quia ut rectè Cassiodorus advertit, *fructus & lucri satis habet homo, si simpliciter apud se de bono felicis conscientiæ testimonio possit gloriari: neque subiecta est externæ dispositionis arbitrio, sed in propriæ puritatis maiestate consistens, ab indignioribus præmia non requirit. Quid enim præmii aut boni exspectet, cum sine illa nihil bonum sit, atque adeò nec præmii nomen mereatur.*

CAPVT II.

Quomodo Virtutes Thologicæ sibi mutuo subordinentur.

I. REctè SS. Patres & Ascetæ Caritatem reliquarum virtutum Reginam dixerunt, quia, sicut Ancillarum proprium officium est, Reginæ servire, atque ad illius finem & intentionem cooperari; ita Virtutes reliquæ caritati subserviunt, eamque juvant ad finem, qui est beneplacere & frui DEO, felicius, perfectiusque obtinendum. Prima ergo & in intentione principalis virtus Caritas est.

II. Quia verò Caritatis hujus officium est, velle se unire DEO, eòque frui; ignoti autem nulla cupido est, hinc necessariò præcedere debet virtus aliqua, qua cognoscatur DEVS, prout est objectum supernaturale Caritatis; & ideo Fides, quam S. Thomas æternæ vitæ inchoationem appellat, datur, per quam, quia in hac vita sine speciali gratia DEVS clarè videri non potest, obscurè cognoscantur, tum ipse Deus, tum alia objecta, quæ ad amorem illius consequendum sunt necessaria aut proficua. Vnde Fides rectè dicitur esse Virtus, *qua mysteriis revelatis propter authoritatem DEI revelantis assentimur*, estque hæc virtus adeò necessaria ad perfectionem

conse-

consequendam, ut S. Teresia, & ali plures meritò judicaverint, omnes ferè mortalium errores, & peccata ex defectu vivæ Fidei oriri, seu ex hoc, quod veritates supernaturales, quas DEVS de sua infinita bonitate, de prœmiis bonorum, & suppliciis malorum operum, de excellentia virtutum & turpitudine vitiorum &c. revelavit, aut non credantur, aut certè non per vivam fidem recolantur, ut adeò meritò eam assiduò petere debeamus à DEO, & cum Apostolis clamare: *Domine ad auge nobis fidem*. Quia tamen nostra etiam Cooperatio requiritur ideo medium ad Fidem excitandam præ reliquis efficax est, si motiva credibilitatis frequenter & bene perpendantur, & quantùm illis efficaciæ ad assensum nostrum extorquendum insit, accuratè consideretur. Præcipuè verò ad hunc finem juvabit perpendere, quòd veritates à DEO revelatæ tot miraculis in toto orbe usque ad hanc horam confirmatæ, & inter tot persecutiones, sanguinisque effusiones semper inconcussæ perstiterint. Præter hæc duo media verò non parùm juvat ad Fidei augmentum, si quod interius per assensum credimus, exterius per confessionem, ut Apostolus Rom. 10 monet, ad salutem confiteamur; nam, ut rectè S. Vincentius Ferrerius advertit, Fides in corde est instar luminis lucernæ inclusi, quod, quandocunq; non habet exhalationem, extinguitur.

III. Post Fidem merito Spes velut altera virtus Theologica necessaria est; neque enim ad persecutionem alicujus rei sufficit cognoscere bonitatem ipsius, nisi etiam possibilis credatur acquisitio illius, Est ergo Spes virtus supernaturalis, *quâ futuram beatitudinem ex gratia DEI & propriis meritis speramus*. Hinc rectè aliqui dicunt, Fidem esse quasi duos oculos columbæ, id est, animæ Fidelis, de quibus Cant. 4. Sponsus locutus est; Spem verò esse duas alas, quę illi datæ sunt ad subvolandum in cęlos, uti Apocal. 21. habetur, quem Ordinem pulchrè S. Bernardus s. 10. super Psal. *qui habitat*. indicat, dum ait: *Dices Fides, parata sunt magna inexcogitabilia bona à DEO Fidelibus suis: dicit Spes, mihi illa servantur: nam tertia quidem caritas, curre, ait, ad illa*. Porro medium ad spem hanc obtinendam efficassimum creditur illud, quod S. Augustinus s. 10. in Ps. 91. offert his verbis: *Hæc tria confidero, in quibus tota spes mea consistit: Caritas adoptionis, veritas promissionis, potestas redditionis*. Præcipuè tamen ex his

his tribus primum idem Sanctus considerare nos jubet, scilicet caritatem DEI, qua ita nos dilexit, ut Filium suum Vnigenitum daret, quomodo enim non etiam cum illo omnia nobis donabit, ut Apostolus ad Rom. 8. concludit? *Plus est*, inquit S. Augustinus *quod fecit*, dando scilicet Filium, *quàm quod promisit, promittendo gloriam. Si, quod plus est, tenemus, quod minus est, speramus*.

IV. Vltima tandem ex virtutibus Theologicis Caritas est, quæ licet prima sit ordine dignitatis & intentionis, ordine tamen executionis meritò sequitur priores duas virtutes, cùm ad cognitionem & spem boni subsequatur prosecutio, & fruitio illius. *Est ergo Caritas virtus supernaturalis, quâ DEVS propter se diligitur*. Quid autem sit diligere, ex supradictis patet, scilicet idem velle & nolle cum dilecto. Obtinetur hæc virtus potissimùm, si bonitas DEI infinita, in qua velut fonte omnis alia bonitas creata infinities meliùs reperitur, assiduò animo objiciatur dicendo: *Quis ut DEVS?* & præterea etiam per experimentalem gustum (ad quem tamen requiritur generosa victoria in omni amore inordinato erga res creatas exuendo juxta illud Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum*) divina illa & inexplicabilis, dulcedo gustetur, ut S. David Ps. 33. hortatur: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*.

V. Ex his porro tribus virtutibus Theologicis pro praxi Sequentia axiomata erui possunt. Primum: *Sine fide impossibile est placere DEO*, Hebr. 11. nam, *quomodo invocabunt* (& amabunt) *in quem non crediderunt*? Secundum est *Omnia possumus in eo, qui confortat nos*. Phil 4. quia, qui velle dat, omnipotens & fidelis est, ut possit & velit dare etiam perficere. Hinc egregiè S. Hieronymus *In promissis*. ait *veritatis nemo dubitet. Sit homo, qui esse debet, & mox ei addentur omnia, propter quem facta sunt omnia*. Clariùs fortè idem axiomatis sensus per aliam à S. Bernardo s. 9 sup. Ps. *Qui habitat* prolatam sententiam exprimi posset: *Tantùm per nos operabitur DEVS, quantùm se nostra in eum fiducia extenderit*. Tertium est: *Id quisque est, quod amat*: quia amor facit unum cum amato, hinc pulchrè S. Augustinus de dilig. *Si terram diligis, terra es: si DEVM diligis, quid vis, ut dicam? DEVS es*. Quartum est: *Qui amat non laborat*: S. Aug. quia amor ita abripit

H

ripit, mentèm, ut amans vel non sentiat labores, ac difficultates, vel certè contemnat, ut amanti placere, eoque frui possit; hinc Sponsa Cant. 1. ait: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, & non fascis, eò quòd leve pro amore illius ducat quidquid laboris imminebit & doloris.

CAPVT III.

Quomodo Virtutes Morales, & Præcipue Prudentia Subserviant Caritati.

I. QVia ex una parte, teste S. Gregorio, amor nunquam est otiosus, sed aut operatur magna, si est; aut, si operari renuit, amor non est: ex altera verò parte idem amor communiter, & rectè cœcus esse dicitur, ideò meritò virtute aliqua directrice opus habet, quæ ipsi ostendat, quomodo media ad finem præfixum obtinendum oportuna eligere debeat, & hæc *Prudentia* dicitur, quæ est *virtus supernaturalis, docens media ad finem supernaturalem consequendum idonea eligere*. Vel, ut brevius S. Augustinus l. 1. cap. 13. de lib. arbitr. describit, est *rerum agendarum vel fugiendarum scientia*. Hinc tria illius sunt officia, scilicet sollicitè consultare de mediis, rectè de eorum aptitudine judicare, & efficaciter imperare usum seu executionem illorum. Vnde Christus Matth. 24. servum prudentem & fidelem requirit; prudentem quidem, qui prudenter indaget, quid Dominus velit: fidelem verò, qui id, quod eum velle intellexit, fideliter exequatur: Ex quo facilè patet præstantia & necessitas hujus virtutis, utpote quæ non modò est unum ex præcipuis instrumentis ad perfectionem Caritatis consequendam, sed etiam præ reliquis virtutibus hominem idoneum facit ad altissima quæque officia cum fructu peragenda, eumque ab insidiis & fraudibus Diaboli ac hominum malevolorum potenter defendit.

II. Media ad prudentiam acquirendam potiora censentur ab Ascetis sequentia 1. Oratio juxta illud Iacobi c. 1. *Si quis vestrum indiget Sapientia postulet à DEO*. 2. Frequens & familiaris conversatio cum Sapientibus juxta illud Davidis Psal. 17. *Cùm sapiente sapiens eris*. 3. Experientia, per quam cognoscitur, quem successum sortita sint media, quæ quis adhibuit;

buit; ex hoc enim discit media apta ab ineptis discernere. Quia verò talis experientia non nisi per longum tempus ordinariæ acquiritur, ideo dictamina Sapientium, quæ ipsi per experientiam hauserunt, Posterisque reliquerunt, memoriæ tradenda, & suo tempore pre oculis habenda sunt.

III. Ex dictis sequentia axiomata erui possunt pro Prudentiæ exercitio. Primum: *Salus ubi multa consilia*: quia cùm multi plus videant, quàm unus, hoc ipso minus periculum errandi incurritur, si plures in consilium vocentur. Secundum: *Nemo bonus Iudex in propria causa*, hinc Salomon Prov. 3. suadet: *Ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne sis sapiens apud temetipsum*: quia scilicet amor proprius plerumque mentis obtutum hebetat, & lumen rationis obscurat. Tertium: *Melior est vir prudens, quàm fortis*. Sap. 6. quia Fortitudo sine Prudentia plùs damni, quam utilitatis afferet; prudentia verò per consilia interdum efficere, & declinare potest, quod alioqui per Fortitudinem effici & declinari deberet. Quartum; *Non est consilium, non prudentia contra Dominum*, Prov. 21. quia hoc ipso, quòd tale consilium sit contrarium DEO, apprehendet Sapientes in astutia eorum, & consilia pravorum dissipabit Iob. 5. Quintum: *Astutus omnia agit cum consilio*: Prov. 13. quia Sapientia, teste Salomone Prov. 8. habitat in consilio, & eruditis interest cogitationibus: hinc alibi suadet: *Filii sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis*. Eccl. 32. Sextum: *Nunquam nocuit cautela*: quia cùm Cautionis proprium officium sit, impedimenta, quæ actionem bonam impediunt, avertere, hæc autem sint innumera, consultius haud dubiè est, cautè semper ad ista impedimenta attendere, quam ea negligendo, se temerè in periculum erroris præcipitare.

CAPVT IV.

Quomodo Iustitia caritati subordinetur, & subserviat.

QVia DEVS vult, ut se tum in seipso, tum in Proximo tanquam imagine sua amemus, atque erga utrumque varias actiones vel ab ipso præceptas, vel certè per modum consilii dictatas exerceamus, hinc virtus necessaria est, per quam cuique tribuamus, quod ipsi quocunque titulo debetur, & hæc

Iustitia vocatur, latiùs eam sumendo, prout Iustitiæ strictè acceptæ, de qua infrà dicetur, opponitur, estque *Virtus supernaturalis inclinans ad id, quod cuique debetur, tribuendum.* Quia verò Personæ, quibus tale debitum persolvere tenemur, sub variis titulis & rationibus formalibus considerari possunt, hinc variæ etiam species hujus virtutis rectè ab Ascetis assignantur, ut mox patebit.

§. I.

Quomodo Iustitiæ Virtus jus suum DEO tribuere doceat.

I. Prima Persona, cui Iustitia jus suum tribuere docet, DEVS est, qui, quia est Author vitæ nostræ, atque adeò velut Dominus illius liberum de ea disponendi arbitrium habet, meritò Supremum adorationis, vel, ut alii vocant, Latriæ cultum requirit; ad quem quidem cultum Religio ordinatur, ideòque definitur *Virtus supernaturalis inclinans ad debitum cultum DEO tanquam omnium rerum principio exhibendum.*

II. Exhibetur autem illi hic cultus à religione per sequentes actus. 1. Per *Devotionem*, quæ est promptitudo mentis in omnibus, quæ ad divinum cultum & obsequium pertinent. 2. Per *Orationem*, quæ est elevatio mentis ad DEVM, qua decentia ab eo petuntur, habetque vim infallibilem impetrandi, si necessaria ad salutem, pro se, cum constantia, fiducia ac pietate petantur. 3. Per *Adorationem*, qua coram DEO velut Authore bonorum omnium nos prosternimus. 4. Per *Sacrificium Missæ*, quo DEO tum corpus, tum sanguinem Filii sui in SS. Eucharistia existentis per consecrationem offerimus; Est que hoc Sacrificium ideo præstantissimus Religionis actus, quia omnes perfectiones veterum Sacrificiorum eminentissimè continet; est enim inprimis Sacrificium Latrevticum, quia per id summum, quem possumus, DEO honorem exhibemus. Est *Rememorativum* quia est commemoratio cruenti Sacrificii in Cruce à Christo oblati. Est *Eucharisticum seu Laudis Sacrificium*, quia per id dignissimo modo grates DEO pro acceptis beneficiis referuntur. Est *Propitiatorum*, quia in condignam satisfactionem DEO pro nostris & aliorum peccatis offertur. Est denique *Impetratorium*, quia per illud DEO oblatum tam Spiritualia, quàm temporalia bona copiosè impetrantur. 5. Per *susceptionem & administrationem Sacramentorum*, quibus DEVM tanquam Authorem gratiæ per Sacramenta conferendæ, & mentium nostrarum Sanctificatorem agnoscimus, & honoramus. 6. Per *Oblationem Primitiarum & Decimarum*, quibus Ministros Altaris sustentamus, atque in iis tanquam Administris DEVM veneramur. 7. Per *Vota* quæcunque honesta, ac pia, maximè Religiosorum. 8. Per *Iuramentum*, quo urgente necessitate, vel alia gravi causa DEVM tanquam infallibilem Testem alicujus rei invocamus, & adducimus. 9. Per *Adiurationem* seu *Obsecrationem*, qua DEVM per quosdam titulos, v. g. per infinitam suam bonitatem, aliasque perfectiones obsecramus, ut nobis aliquod bonum concedere dignetur, estque hic modus efficacissimus orandi. 10. Per *Laudem*, qua DEVM ob infinitas suas perfectiones & mirabilia opera, Hymnis & Canticis Spiritualibus colimus, ut nos ad reverentiam ac fervorem in veneratione Summi Regis excitemus. 11. Per *Gratitudinem*, qua pro acceptis beneficiis gratias ei persolvimus. 12. Per *Pœnitentiam*, qua detestamur peccata, quatenus sunt offensa DEI, atque ad debitam satisfactionem eidem præstandam nos offerimus:

III. Ex quibus omnibus patet, Religionem inter Virtutes morales præstantissimam censendam esse, utpote quæ circa præcipuum objectum, nempe ipsum DEVM, non quidem tanquam circa objectum formale *quod* (hoc quippe Virtutum Theologicarum proprium est) sed circa objectum & finem cui versatur, & præterea singularem habet gratiam ad supernaturalia dona, gratiasque Homini impetrandas, quæ sunt perfectissima instrumenta ad perfectionem, ipsamque adeò supremam felicitatem obtinendam.

IV. Pro ipso verò Religionis exercitio faciliùs peragendo, sequentia axiomata, si bene ponderentur, non modicè juvabunt. Primum, *Numinis est cultus pulcherrimus optima vita*: quia scilicet hic cultus est *purissimus* utpote omni notabiliori labe carens: *Amplissimus*, utpote omnia Hominis virtuosa opera complectens. Et *longissimus*, utpote toto vitæ tempore, & quidem etiam diu, noctuque durans. Secundum, *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare*: quia per Orationem

veram partim impetratur efficax & copiosa gratia ad rectè vivendum necessaria; partim percipitur gustus quidam vitæ spiritualis & cœlestis, atque adeò excitatur animus ad terrestres voluptates spernendas juxta notum axioma: *Gustato Spiritus desipit omnis caro*. Tertium, *Sic nos visitat DEVS, sicut eum colimus*: ita Ecclesia in Hymno Festi Corporis Christi precatur: *sic tu nos visita; sicut te colimus*: quia cùm Deus liberalissimus sit, nihil sibi gratis, præstitum esse permittit, atque adeò tanto liberaliorem se exhibet, quantò liberaliùs illi debitus cultus præstatur. Et hoc est, quod Christus Matth. 6. indicare voluit, dum dixit: *Quærite primùm Regnum DEI, & justitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis*.

§. II.

Quomodo Justitia ad jus suum Creatis rebus tribuendum inclinet.

I. Non minus verò Justitia ad jus suum Creaturis rationalibus tribuendum inclinat: Hinc enim, sicut varii sunt tituli, ob quos iisdem jus suum tribuere vel conservare tenemur, ita variæ quoque Justitiæ hujus latiùs acceptæ species exurgunt. Nam 1. quia principalem in creaturas spirituales locum habent Cœlites, quibus ob singularem, quam in Cœlis adepti sunt, excellentiam, & pro nobis intercedendi potestatem singularis haud dubiè cultus & veneratio debetur, pro hoc officio *Dulia*: respectu B. Virginis verò ob extraordinariam, & multùm supra alios Sanctos eminentem dignitatem *Hyperdulia* assignatur. 2. Quia in terreos Homines, qui in terris versantur, primum locum merito tenent Parentes, utpote vitæ corporalis Authores: Secundum, Superiores, quos Parentum loco veneramur: Tertium Benefactores. Quartum Amici: Quintum alii, qui aut ætate, aut dignitate, aut Sapientia, aut virtute nobis majores sunt; hinc respectu Parentum *Pietas*, respectu Superiorum *Obedientia*, respectu Benefactorum *Gratitudo*, respectu Amicorum *Amicitia* seu mutua duorum benevolentia, respectu aliorum denique *Observantia* assignatur; quarum omnium officium est, debitum Personis sibi correspondentibus cultum, officiaque exhibere.

3. Quia,

3. Quia, si Homines præcisè considerentur, prout eandem vitam sive naturæ, sive gratiæ participant, varia iterum officia erga illos præstari possunt, hinc variæ iterum species Justitiæ exurgunt. Nam in quantum eis bona volumus, & bonum suum statum gratulamur, communi nomine *Caritas*; in quantum suaviter & jucundè cum iisdem conversamur, *affabilitas*: in quantum miserias eorum sublevamus, *Misericordia*, in quantum sincerè & absque dolo cum iis agimus, *Simplicitas*: in quantùm id, quod in mente habemus, apertè exponimus, *Veracitas*: in quantùm bonam Proximi Famam, aliaque illius bona intacta relinquimus, vel certè injustè ablata restituimus, *Justitia* strictè accepta, & in quantum denique bona nostra libenter & largè illis communicamus, *Liberalitas* appellatur.

II. Ex his virtutibus sequentia axiomata erui possunt. Primùm: *Melior est obedientia quam victima*: quia per victimas aliena caro immolatur, quod adeò difficilè non est; per obedientiam autem propria voluntas sacrificatur, quod sine magna violentia, & insigni sui victoria non contingit. Secundum; *Invitat ad magna, qui gratanter suscipit modica*. Cassiod. ep. 4. quia, ut S. Chrysostomus ho. 8. in epist. ad Colossenses testatur, *DEVS exigit à nobis gratitudinem, non quod nostræ celebratione opus habeat, sed ut, quidquid est lucri, iterum ad nos redeat, & dignos nos faciamus maioribus subsidiis*, sicut flumina intrant in mare, ut iterum fluant. Tertium; *Concordia res parvæ crescunt: discordia maximæ dilabuntur*: tum quia per mutuam caritatem benedictio & assistentia DEI copiosiùs obtinetur; tum quia per talem conjunctionem virtus unita fortior efficitur, tam ad ordinarias functiones, ritè perficiendas, quàm ad obstacula contraria, hostesque fortiter repellendos, nam Frater, qui adjuvatur à Fratre, quasi civitas firma, teste Salomone Prov. 18. Quartum: *Melius est parùm cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate*. Prov. 16. quia, quod justè acquisitum est, benedicet DEVS, quod autem contra ipsius voluntatem obtentum est, benedictione carebit, atque adeò radicem agere non poterit; hinc jam olim commune erat proverbium, malè parta malè dilabi. Quintum: *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis*, Luc. 6. quia DEVS, qui omnia, quæ uni ex minimis faci-

mus, sibi facta putat, à liberalitate Hominum se vinci non patitur, sed velut fertilis ager obsequia sibi exhibita decuplo fructu compensat; hinc rectè Apostolus 2. Cor. 9. ait; *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet.*

CAPVT V.

Quomodo Fortitudo Caritati subordinetur.

I. INter alia ad caritatis perfectionem requisita media meritò non postremum censeri debet, impedimentorum, quæ dictæ virtutis exercitio præcipuè obstant, efficax remotio. Quia verò teste S. Augustino in serm. de S. Vincentio, *duplicem aciem producit Mundus contra Milites Christi; blanditur enim, ut decipiat: terret, ut frangat. Non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena, & victus est Mundus. Ad utrosque aditus occurrat Christus, & non vincitur Christianus.* Ideo ad hæc duo impedimenta removenda pariter duas virtutes sapientissima DEI Providentia subministravit, quarum prima est fortitudo, *qua labores, motisque pericula constanter, suscipiuntur, & perferuntur*; variasque sub se species continet, prout scilicet varia difficultates sese offerre solent quæ ipsius adjutorio sunt superandæ; nam vel difficultas oritur ex ipsa substantia operum, & tum ad hanc superandam *Magnanimitas* ordinatur; vel ex sumptibus faciendis, & ad hanc difficultatem tollendam *Munificentia* datur; vel ex timore & anxietate de eventu operum, & pro his moderandis *Securitas*, qua pacatè & tranquillè magna opera virtutis aggredimur, servit; vel ex malorum, quæ perpetienda sunt, qualitate ac multitudine, & contra hæc *Patientia* munit, ac roborat; vel ex temporis diuturnitate, & pro hac vincenda *Longanimitas* juvat; vel ex continuatione Operis, & hanc difficultatem *Perseverantia* tollit, vel minuit. Vel denique ex ipsa cordis humani mobilitate ad opus deferendum, aliudque suscipiendum impellente, & pro hoc impedimento removendo *Constantia* præparata est.

II. Ex quibus virtutibus sequentia erui axiomata possunt. Primum: *Melior est patiens viro forti*: quia ad hostes exter-

externos vincendos robur corporis adhibetur; ad patiendum autem animi fortitudine opus est, quod utique præclarius est, cùm perfecta victoria sit, de semetipso triumphare. Secundum: *Perfectio maxima in minimis*; quia in his eligendis, perficiendis, & ad majorem DEI gloriam ordinandis major difficultas superanda est; hinc, ut rectè S. Valerianus advertit, semper virtus magna in minoribus experimentum capit; & ut, S. Chrysostomus ait, DEVS omnia facit, & satagit, ut ex minimis nos coronet, dicatque cum veritate: *quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*. Tertium; *Secura mens quasi juge convivium*. Prov. 15. quia nullum bonum cum delectatione percipitur, ubi malum ab hoste præsente inferendum formidatur; hinc teste Salomone Prov. 17. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena jurgiis*. Exemplum præbuit Damocles Dionysii Regis servus, cui ante Regiam mensam sedenti omnem ad Epulas appetitum suspensus ex seta Equina super caput nudus gladius extinxit. Quartum: *Finis coronat opus*: quia, ut rectè S. Gregorius l. 1. mor. advertit, *incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur: quia frustra velociter currit, qui prius, quàm ad metas venerit, deficit. Et quid mihi prodest*, inquit Eusebius, *si fata viridantia spem messis ostendant, & me sub ipso falcis tempore subita vel aeris intemperie, vel pluviarum inundationes decipiant?* Hinc meritò Christus dixit Luc. 9. neminem, qui mittit manum ad aratrum, & respicit retrò, aptum esse regno DEI, & S. Hieronymus l. 1. contra Iovin. *in Christianis non quæri initia, sed finem & perseverantiam.*

CAPVT VI.

Quomodo temperantia caritati subordinetur.

I. ALterum impedimentum perfectionis est inordinatus illicitarum delectationum amor, ut suprà dictum est, ad quem cohibendum Temperantia ordinatur; hinc à S. Augustino definitur, *affectio coercens & cohibens appetitum ab iis rebus, quæ turpiter appetuntur*. Quia verò variæ admodum res sunt, quæ inordinatè appeti possunt, ideò variæ quoque Temperantiæ species reperiuntur; nam si quidem appetitum

Universidad de Deusto
Biblioteca

titum à cibis inordinatè appetendis cohibeat, *Abstinentia*; si à potu, *Sobrietas*: si à Venereis Voluptatibus, *Castitas*: si ab aspectu, Verbo, aut tactu impudico, *Pudicitia*: si ab omni corporis voluntaria pollutione, *Virginitas*: si ab iræ motibus, *Mansuetudo*: si à nimio studendi, & cognoscendi desiderio, *Studiositas*: si à loquendi excessivo pruritu, *Taciturnitas*: si à ludis, jocis, & aliis inordinatis corporis motibus, *Modestia*: & tandem si ad obtinendam à sensualibus delectationibus continentiam variæ corporis afflictiones adhibeantur, *Macerario*: appellatur.

II. Ex dictis sequentia pro Ascesi axiomata erui possunt: Primum: *Qui abstinens est, adiiciet vitam*: Eccl. 37. non corporalem duntaxat, sed spiritualem etiam gratiæ, gloriæ, & famæ; quia tantùm virtuti & famæ adiicitur, quantùm cupiditati detrahitur. Secundum; *Prima virtus Monachi est, Hominum iudicia contemnere* quia, cùm hæc plerumque falsa & sibi adversantia existant, fieri non potest, ut rectè agat, & perfectè, qui perfectis æquè ac imperfectis placere appetit. hinc rectè dixit nonnemo: *Non quàm multis placeas, vide, sed quibus*. Tertium: *Qui se humiliat, exaltabitur*: quia quò fidelius quis omnia DEO, & non sibi attribuit, tantò plura accipere meretur. Quartum: *Vbi Christus est, ibi modestia est*: quia etiam, quando Palatia foris eleganter exornata aspicimus, magnum quendam Dominus in iis habitare credimus. Quintum: *Qui non offendit in verbo, perfectus est vir*: Iac. 2. quia ex abundantia cordis os loquitur, atque adeò perfecta locutio meritò magnam etiam in animo latentem virtutum apparatum, qualis ad perfectam locationibus requiritur, arguit. Sextum: *Rectè novit loqui, qui rectè novit tacere*: quia & tempus ad dicenda priùs considerandi, & ad artem loquendi ex aliorum sermonibus addiscendam habet. Hinc & aves auscultando cantum discunt.

CAPVT VII.

De tentationibus Specialibus viæ illuminativæ.

I. QVadruplicis generis tentationes huic viæ illuminativæ specialiter sunt infestæ. Prima est *Inconstantia*

tiæ tentatio; cum enim is, qui in hac via constitutus est, advertat se crevisse in perfectione, atque adeò majorem maturitatem, gravitatemque spiritualem assumere debere, verendum est, ne, dum exercitia aliqua viæ purgativæ propria dimittit, etiam alia proposita salubria, piasque exercitationes velut hunc statum & viam minus decentes omittat. Quare diligenter vigilandum erit, ne, ne dum ad majora bona appetenda impellit Adversarius, majoribus simul & minoribus privet. Nihil ergo sive de ordine diurno, sive de consuetis spontaneis exercitiis immutandum, nisi manifestè post DEI gratiam invocatam, & maturam deliberationem præmissam spes boni notabiliter majoris appareat; eoque potius vires & industria tota convertenda, ut non tam nova suscipiantur, quam novo fervore, & majori perfectione administrentur, eumque in finem tritum Ascetarum Axioma memoriæ obversetur, quo dicere solent, DEVM adverbia magis, quàm verba ab Hominibus expetere, id est, non tam attendere *quid*, quàm *qualiter* fiat.

II. Altera tentatio *Tepiditatis* est, quæ, si ulli alteri viæ aut statui, huic certè illuminativæ vel maximè infesta est, dum idem ferè his contingit, quod viatoribus solet evenire, ut scilicet magna alacritate iter auspicantes, tantò magis languere, atque de celeritate ambulationis remittere incipiant, quantò longius sunt progressi, id quod optimè advertit S. Bernardus ser. 3. de Annunc. sic loquens: *Tepescimus processu temporis à fervore Conversationis nostræ, paulatim refrigescit caritas, abundat iniquitas, ut consummemus carne, qui Spiritu cœperamus: inde enim est, ut minus ea sciamur, quæ a DEO donata sunt nobis, inde voti pariter, & ingrati. Timorem Domini relinquimus, religiosam omittimus solitudinem, verbosi, curiosi, faceti etiam Detractores & Murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ, quoties sine nota id licet quasi verò confestim sit etiam sine noxa*. Quare ut huic tentationi fortiter resistat Asceta, ante omnia gravitatem & periculum hujus Acediæ spiritualis benè perpendat, id quod ex sequentibus Cassiani coll. 4. c. 19. verbis colligere poterit: *Rectissimè pronunciatur esse deterior* (tepidus cum frigido Peccatore comparatus) *quia facilius ad salutarem conversationem, at perfectionis fastigium carnalis quis accedit, quam is*, qui

qui professus Monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens secundum regulam disciplinæ, ab illo semel spiritualis ignis fervore discessit. Ille namque corporalibus vitiis humiliatus, atque immundum se sentiens contagione carnali, ad fontem veræ purificationis, ac perfectionis culmen quandoque compunctus accurrit. Nam qui semel tepido exorsus initio, non ea humilitate ac fervore, quo debuit, iter professionis arripuit, infectus semel hac miserabili lue, & in ea quodammodo resolutus nec ex se ulterius perfecta sapere, nec alterius poterit monitis erudiri, dicit enim, quia dives sum, & ne scit, quia miser est, & miserabilis, in eo factus sæculari deterior, quòd nec miserum se, nec cæcum, nec monitis indigere agnoscat. Ad eundem finem non parùm etiam proderit, si apud se consideraverit, quantopere sibi displiceat tepida aliorum conversatio conspecta, quod remedium S. Gregorius sequentia S. Iobi verba explicans suasit: *Scribitur in Iobo Considerate semitas Theman, Austri, inquam, sive teporis, quia, quæ in nobis minùs discussa credimus, quam sint turpia, in aliorum actibus cognoscimus. Sicque fit, ut ad semetipsum mens redeat, & agere, quod reprehendit, erubescat: quasi enim à speculo fœda facies displiceat, cùm mens à simili vita, in seipsa, quod aversetur, videt.* Sequatur ergo, quisquis hac tentatione pulsatur, S. Augustini in Psal. 106. consilium dicentis, *Agnosce te in illa tentatione tædit, cùm adest, & clama ad Dominum, ut de necessitatibus tuis etiam hic liberet te. Et de hac tentatione liberatus cùm fueris, confitearis illi miserationes eius.*

III. Tertia tentatio *illusionis* est, qua per fallacem speciem alienæ salutis procurandæ in neglectum propriæ salutis Diabolus inducere conatur; quare specialiter hic vigilandum erit, rogandùsque DEVS, ut introducat cum Sponsa in cellam vinariam, & ordinet caritatem, ostendendo videlicet, quàm parùm prosit, imò quàm stultum, sit, ut mundum etiam universum quis lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, cùm utique quisque sibi proximus sit, atq; adeò caritas quoque à seipso incipere debeat.

IV. Quarta tentatio est *iudiciorum humanorum respectus & timor*: cùm enim ij, qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem sint passuri, teste S. Paulo 2. Tim. 3. ab iis maximè, quorum tepida conversatio à fervore taliter viventium repro-

reprobatur, meritò contra ejusmodi respectus maturè se armare debet is, qui vitam professioni suæ conformem instituere voluerit. Hinc non immeritò antiquiores Ascetæ pro solemni axiomatè habebant, primam virtutem esse Monachi (aut cujuscunque alterius piè vivere volentis) Hominum judicia contemnere exemplo scilicet S. Pauli 1. Cor. 4. dicentis: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die.* Et iterum ad Galat. c. 1. *An quæro Hominibus placere? si adhuc Hominibus placerem, Christi servus non essem,*

CAPVT VIII.

De termino Viæ illuminativæ.

I. TErminus iste in tribus præcipuè capitibus consistit, quorum primum est *facilitas in virtutibus exercendis*; cùm enim facilitas hæc non nisi ex habitu per frequentatos actus generato oriatur, meritò non modicum in virtutum studio profectum arguit, maximè si contraria vitia etiam vel omnino extincta, aut certè magna ex parte suppressa advertantur, cum juxta S. Augustinum & alios, *augmentum caritatis sit diminutio cupiditatis, & perfecta caritas nulla cupiditas*: & sic de aliis virtutibus loquendo.

II. Alterum caput in quo terminus viæ illuminativæ consistit, est *ablactatio spiritualis: & solidi cibi assumptio*: de quo termino locutus est Isaias c. 28. dum dixit: *Quem docebit scientiam?* (Asceticam nempè, seu scientiam Sanctorum, *& quem intelligere faciet auditum?* (solidiorum scilicet ac sublimiorum doctrinarum) *ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Et S. Paulo ad Hebr. 12. *Perfectorum autem solidus est cibus, eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensu ad discretionem boni ac mali.* Consistit autem hæc ablactatio in hoc, ut non tantum abstrahatur appetitus à sensibilibus bonis (qualia sunt munuscula sacra, recreationes, haustus extra mensam, somnus prolixior favores Superiorum laudationes de profectu, conniventiæ in erratis minutioribus) sed etiam à spiritualibus, ut sunt consolationes, lumina spiritualia, devotiones sensibiles, gustus in exercitatione sancta doctrina & alia talenta, quæ velut nuptialia ornamenta cautè & verecundè usurpanda sunt.

III. Ter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

III. Tertium denique caput est *morum ac judicii gravitas, maturitasque*: de quo termino S. Paulus 1. Cor. 13. locutus est dicens: *Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi ea quæ sunt parvuli*, omnem scilicet levitatem, tam in cogitationibus (puta inutilia ac vana desideria aut speculationes rerum nihil ad Spiritum proficientium) quam in verbis (uti sunt curiosarum ac facetarum rerum narratiunculæ, assentationes, auliciſmi, & similes) ac moribus (uti sunt leviculi risus, curiosi aspectus, jocosi tactus, festinus nimium incessus, effusa comestio, immodica potatio) studiosissimè vitando: ut verè impleat S. Augustini monitum in regulis datum, dum dixit: *In omnibus moribus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem*. Cum enim testes S. Gregorio Naz. ep. 193. *ubi Christus est, ibi modestia quoque sit*; viæ illuminativæ autem præcipuus scopus sit Christi in virtutibus imitatio, merito de hac via perinde ac de Monasterio dici debebit posse cum S. Hyeronimo in epist. ad Rusticum: *De ludo Monasteriorum huiusce modi volumus egredi Milites, quorum habitus, sermo, vultus, incessus doctrina virtutum est*.

PARS IV.

DE THEOLOGIA ASCETICA PER VIAM UNITIVAM DEDUCENTE.

TErtius ambulationis spiritualis terminus, nempe terminus *ad quem*, est ipsa caritas, quæ, ut supra dictum est, prima quidem in intentione, in executione tamen omnino postrema est. Quia verò Caritas in unione morali ac spirituali cum DEO velut supremo bono ac fine Hominis consistit, ideo via per quam ejusmodi caritas deducit, *unitiva* vocatur, de qua Christus Ioan. 17. locutus est, cùm oravit: *Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ut sint unum sicut & nos*.

CAPVT I.

In quo consistat unio perfecta cum Deo, quæ est terminus viæ unitivæ.

ETsi ex iis, quæ part. 1. de perfectione in communi dicta sunt, satis colligi possit, in quo hæc unio consistat, majoris tamen claritatis gratia proderit eam paulò amplius hoc loco velut proprio explicare. In genere autem recte hæc unio per illud DEI præceptum Deut. 6. indicata dicitur, dum mandavit, ut ex toto corde, anima, & virtute diligatur: nam dum ex toto corde, diligi se præcepit, generali termino indicavit, quod totum amorem Hominis sibi vendicet: dum vero ex tota anima, & viribus diligi se mandavit, in species magis explicare voluit, in quo amor iste consistat, ut scilicet omnibus animæ, corporisque potentiis illi quantum fieri potest, Homo uniatur. Id quod S. Augustinus l. 1. de doctrin. Christ. c. 22. indicavit, dum dixit: *Cùm dicit, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re frui velit: sed quidquid aliud diligendum occurrit, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit*. Vnde non malè colligunt nonnulli, quadruplicem esse unionem, per quam Homo perfectissimè cum DEO unitur, & eo, quantum in hac vita fieri potest, perfectè fruitur, de quibus in sequentibus §§. fusiùs nonnihil agendum.

§. I.

De prima unione per memoriam.

1. Hoc unio in eo consistit, ut jugiter DEVS in memoria, quantum humana fragilitas patitur habeatur, sicut enim beatitudo perfecta in cœlis in perpetua visione, & jugi memoria DEI consistit; ita beatitudo inchoata hujus vitæ tantò major censeri debet, quantò propius ad eorundem felicem statum per similem divinæ præsentiæ memoriam accesserit. Ita sanè Regius vates Psal. 15. de ipso fatetur: *Providebam Dominum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

minum in conspectu meo semper, quoniàm à dextris meis est mihi, ne commovear. Hinc & alios ad exemplum suum imitandum hortatur Ps.104. dicens: *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.* Quid autem est facies DEI, nisi præsentia DEI? inquit S. Augustinus in hunc Psalmum, *Quid est faciem DEI quærere, nisi in eius præsentia conversò in ipsum corde semper incedere*, sicque, ut S. Bonaventura & Hisichius apud Rodriquez p.1.tr.7. loquuntur, beatitudinem in hac vita inchoare? Neque hoc adeò difficile cuiquam accidere debere, vel ex ipso fervéter amantium exemplo satis liquet, quibus adeò proprium est hanc assiduam amati memoriam animo fovere, ut commune hinc exortum sit axioma, quo dicitur, animam magis, ubi amat, quàm ubi animat, habitare; quanto magis similem effectum amori divino longè perfectiori concedere oportebit? maximè cùm ipse DEVS indesinenti sua beneficientia & liberalitate ad talem memoriam invitet, quemadmodum S. Ambrosius advertit dicens lib. de condit.dign.hum. cap.2. *Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur DEI bonitate & misericordia, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria.*

II. Porro memoriæ hujus continuæ fovendæ varii assignantur modi ab Ascetis. Nam 1. ajunt per *imaginationem* fieri posse; quatenus scilicet quis DEVM ut sphœram, se verò velut centrum hujus sphœræ: vel ut atomum luce undique circumfusum; vel ut spongiam mari immersam imaginatur. 2. Per *elevationem*; quatenus scilicet mens humana ex ipsi creatis rebus ad Conditorem ascendit, quemadmodum Siracides Eccl. 43. hortatur dicens: *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo.* Et clariùs Sap. 13. *Quorum si specie delectati Deos putaverunt; sciant, quantò his Dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia constituit.* 3. Per *cordis inspectionem*; qua DEVS intra cor humanum præsens, nostri curam gerens, sua bona communicans, & intima quæque desideria intuens menti repræsentatur juxta illud Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipso mecum.* 4. Per *directionem* omnium actionum ad majorem gloriam DEI easdem non solùm clarissimè conspicientis, sed etiam multiplici titulo vendicantis: quem modum S. Paulus 1. Cor. 10. exegisse videtur dum dixit: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Et P. Alphonsus Rodriquez p.1. tr. 6. c. 4. ex omnibus aliis facillimum, suavissimum & utilissimum esse censet, ad memoriam DEI jugiter & fructuosè fovendam, modò hæc cautela adhibeatur, ut non in ipsa præsentia sola velut in termino pes figatur, sed eadem ulterius dirigatur ad actiones in conspectu tanti Regis ac Domini rectè, decenterque obeundas.

§. II.

De secunda unione per intellectum.

I. Celebre Philosophorum scitum est, objectum per se ipsum vel per speciem suam intellectui conjunctum, unum quodammodo fieri, quod usque adeò verum esse nonnulli credunt Theologi, ut ipsam etiam beatitudinem in solo actu intellectus, scilicet visione & contemplatione DEI consistere putent. Meritò ergo iterum tantò magis Homo censebitur unitus DEO, quantò propiùs ad felicitatem Beatorum per ipsius Divinitatis contemplationem accesserit. De qua quidem Contemplatione fusissimè passim Ascetæ tractant; quia tamen, quidquid de ea dici potest, magis experientia ipsa, quàm multa & operosa instructione addiscitur, ideo hoc loco breviter duntaxat natura; materia, instrumenta, & fructus illius breviter explicabuntur.

II. Naturam itaque Contemplationis quod attinet, Communis omnium, inquit P. Hugo Roth p. 3. c. 26. sect. 1. qui de contemplandi actu scribunt, sensus est, nomen hoc presse ac propriè indicare quandam rationem res sibi objectas fixè inspiciendi, quasi intimè velis penetrare; sic enim oculorum sensu perfectè aliquid cognoscimus, quando omnibus aliis relictis uni illi totam visus aciem intendimus. Habent quidem etiam liberales scientiæ suas contemplationes, sed à quibus hæc, de qua hìc agitur, contemplatio multùm distinguitur, cùm hæc sit verus actus Religionis, atque in modum Orationis ad DEVM, Cæliteseque dirigatur, quam proinde aliqui sic definiunt: *est liber, per spicax, & certus in-*

tuitus DEI ac rerum cœlestium admirationem afferens, in amorem desinens, atque ex amore procedens. Vnde rectè colligit S. Thomas 2. 2. q. 180. a 7. licet vita contemplativa principaliter in intellectu consistat, principium tamen in affectu habere, in quantum, videlicet aliquis ex caritate ad DEI contemplationem incitatur, iterumque desinere in amorem, dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, & ista delectatio rei visæ ampliùs excitat amorem. Quam ob causam contemplatio DEI omni virtuti & studiosæ actioni præponitur, eò quòd in vera caritate omnium virtutum forma, & meritorum origine terminetur; per quam terminationem etiam à Meditatione distinguitur, eò quòd Meditatio quærat duntaxat veritatem, Contemplatio verò in veritate reperta dulciter requiescat, & inhæreat. Vnde meditatio est velut pes ambulans ad veriratem, contemplatio autem velut oculus intuens eam. Meditatio videt DEVM velut in pictura, contemplatio velut vivam pulchritudinem intuetur, atque adeò longè celerius & efficaciùs mentem à rebus creatis abstrahit, atque in DEVM per pretiosam æstimationem convertit. Porro duplex communiter ab Ascetis Contemplatio assignatur, infusa scilicet, & acquisita, quarum illa à solo DEO ortum habet, ideoque non clariorem duntaxat intelligentiam rei contemplatæ tribuit, sed etiam ardentiorem amorem, majoremque suavitatem in voluntate excitat, quàm acquisita, utpote quæ, sicut humano labore ac industria comparatur, ita plerumque etiam non tam potenter & suaviter afficit, quemadmodum contemplatio infusa.

III. Materia Contemplationis multiplex assignatur, quæ tamen ad sex ferè capita revocatur, nempe 1. ad Deum ejusque attributa ac perfectiones. 2. Ad Christum, ejusque infinitas perfectiones, Vitam, Passionem ac Mortem. 3. Ad Patriam cœlestem, eiusque Incolas, & gaudia, quæ ibidem reperiuntur. 4. Ad Statum Ecclesiæ militantis, ejusque admirandam gubernationem, ac protectionem. 5. Ad Mundum visibilem, omnesque res creatas, in eo contentas, quatenus multitudine, magnitudine, & pulchritudine sua, magnificentiam, Majestatem, Sapientiam, aliaque attributa DEI manifestant. 6. Ad nos ipsos, tam secundùm supernaturalia, quàm naturalia dona & operationes spectatos. Ex quibus

bus omnibus objectis facilè patet, hanc viam non habere propriam Contéplationis materiam; sed omnibus reliquis viis cõmunem, atque adeò in solo modo considerandi differe, dum scilicet via purgativa reflexionem ad proprios defectus cum studio emendationis: illuminativa virtutum exercitium Christiq; imitationem: Vnitivam verò sapientiam ad Caritatis dulcedinem perducentem, ut loquitur S. Bonaventura de parv. bon., in prædictorum objectorum consideratione intendit.

IV. Instrumenta quoque contemplationis varia assignantur, sed duplicis præcipuè generis, remota scilicet, & propinqua, Remota censentur accuratior Materiæ contemplandæ præparatio cum prævisione fructus & affectuum inde eliciendorum, facilitas discurrendi & affectus eliciendi, lectio libellorum Asceticorum, silentium & solitudo strictior, corporis per pœnitentiæ opera castigatio, moderatio occupationum in studiis vel aliis laboribus, temperantia in victu & somno, sensuum diligens custodia, & reliqua terrenarum delectationum cautela. Propinqua instrumenta præcipuè censentur *puritas intentionis*, qua solum DEI beneplacitum semper quæratur: & *puritas affectionis*, qua totus amor in DEVM dirigatur. Ad quam puritatem non modicè conferet, inquit S. Aug. l.c. si gradatio, qua ad dilectionem pervenitur à S. Bonaventura p. 3. de bon. parv. assignata bene perpendatur, nempe quod 1. per meditationem acquiratur spiritualitas, & suavitas cognitionum, & affectuum. 2. Sequatur gaudium spirituale, 3. Nascatur aviditas seu sitis, qualem S. Scriptura per sitim cervorum exprimit. 4. Ex appetitu oriatur tœdium rerum terrenarum, aliorumque impedimentorum à progressu in perfectione retardantium. 5. Mentem invadat sancta amentia, qua mavult quis omnes molestias subire, quàm divinorum gustum deserere. 6. Crescat fiducia, favores & auxilia varia impetrãdi. 7. Optatissima mentis tranquilitas succedat, qua homo contra quaslibet perturbationes solidatur, ut neque cupiditate, neque timore in diversa rapiatur, velut olim in arca Noe inclusi. *Sic itur*, inquit D. Bonaventura l. c. *ad caritatem, cuius profectus omnis boni complementum inducit. In tranquillitate est pacis multitudo, & quasi finis quietis nostræ quam Dominus Discipulis promisit.*

V. Fructus denique Contemplationis idem S. Bonaventura

tura breviter sequentibus verbis in Itin. c. 24. expressit: *Summum in terris beneficium, quod animæ conferri possit, contemplatio est. Habet enim annexas perfectissimas & supremas delectationes: habet consequentes virtutes, dona, beatitudines, & fructus Spiritus Sancti: habet ultimam Spiritus creati cum increato, adeòque divino unionem, tantò feliciorem, quantò immediatiorem: Habet familiaritatem amicitiæ cum Cælitibus: habet pacem cordis, quæ per somni Metaphoram explicari solet, habet claritatem ex æternæ Sapientiæ participatione, sicut S. Benedictus ex unico solis radio totum ante oculos Mundum adductum vidit, ac simul animam S. Germani in Cœlum ferri. Habet mirè delectabilem refectionem, cuius abundantia ebrietati comparatur: habet cum Cæli Rege, & beatæ Hierusalem Habitatoribus conversationem, qualem cum DEO Moyses expertus est: habet semper florentia solatia ob affectuum à terrenis elevationem; habet semper novos caritatis stimulos sicut focus flabris cadescit; habet secreti fidem, quia audit verba, quæ nescit eloqui.* Alii eandem arbori, quam olim S. Ioannes vidit in Apocalypsi sua comparant duodecim fructus afferenti, qui sunt. 1. Defectuum correctio. 2. Vitiorum extirpatio. 3. Affectuum ordinatio. 4. Proprii judicii & voluntatis abnegatio. 5. Tentationum victoria, 6. Virtutum augmentatio: 7. Operum quotidianorum perfectio. 8. Intentionis rectificatio. 9. Sensuum internorum & externorum custodia. 10. Tribulationum generosa exantlatio. 11. Pacis & tranquillitatis fruitio. 12. Proximi per bona exempla & doctrinas ædificatio.

VI. Ex quibus omnibus hactenus dictis patet nunc Contemplationem, cùm sit clara & quieta intuitio divinorum voluntatem ad perfectum amorem inflammans, ut plurimum donum perfectorum esse, qui vitiis extinctis & virtutibus acquisitis atque amore DEI magno condecoratis, eam mentis tranquilitatem habent, qua possint mentis obtutum in DEO figere, & tanquam ligna arida suavissimè igne divini amoris ardere. Hoc tamen non obstante, neminem, ut notat. P. Hugo Roth. p. 3. cap. 26. sect. 1. tam simplicem esse ac rudem, quin ad contemplationis culmen emergere possit, modò ab initio per faciliores discursuum & affectuum vias incedat, &, sic impleat, quod Christus Matth. 7. dixit: *Quærite* (per discursum) *& invenietis. Petite* (ardentia suspiria eliciendo) *& accipietis pulsate* (per intensiores affectus instando) *& aperietur vobis.*

§. III.

De tertia unione voluntatis cum DEO:

I. Hæc unio in perfectissima voluntatis humanæ cum divina conformatione consistit, ad quam proinde tria requiruntur. 1. Vt quidquid divinæ voluntati conforme esse homo cognoverit, sive prosperum sit, sive adversum, cum magna reverentia, atque alacritate acceptet, & exequatur. 2. Vt non solùm velit voluntas humana, quod vult, aut non vult DEVS, sed etiam purissimo DEI amore allecta, solum in suis actionibus beneplacitum illius quærat. 3. Vt voluntas humana tam intimè conjugatur divinæ, ut nullum ei bonum potiùs sit, quàm DEVS, nihil scire, nihil cogitare, nihil velle, nihil esse, nihil vivere cupiat, nisi DEI voluntas id velit. Quod quidem est supremum vitæ spiritualis fastigium, ad quod omnia exercitia viæ unitivæ diriguntur, & in quo vera, intimaque cordis lætitia, beatitudo hujus vitæ, & summa totius Evangelicæ doctrinæ consistit.

II. Ex hac porro unione sequentes plerumque affectus non sine ingenti animæ emolumento ac solatio sequuntur. 1. *Admiratio* majestatis, aliarumque perfectionum divinarum. 2. *Gaudium* singulare de excellentia & operibus DEI. 3. *Laus & gratiarum actio* pro tot donis, cum desiderio cum videndi, possidendi, honorandi, & obediendi, optando, ut omnes illum agnoscant, ament, eique serviant. 4. *Zelus* fervens divinæ gloriæ & salutis animarum. 5. *Fiducia* specialis de bonitate & providentia DEI, cum timore filiali, ne quid committat, per quod tantam Majestatem offendat, aut omnino ab ejus amore separetur.

§. IV.

De quarta unione reliquarum potentiarum cum DEO.

I. Inter alia Ascetarum axiomata illud non postremum censeri debet, quo dicunt, amorem operibus magis, quàm ver-

verbis declarari, nam, ut sapienter S. Gregorius in hom. quadam advertit, *nunquam est amor DEI otiosus; operatur enim magna, si est: si autem operari renuit, amor non est*. Hinc & S. Ioannes 1. c. 3. hortatur: *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*; ut scilicet DEVM non tantùm ex toto corde & anima, sed ex totis viribus etiam diligamus, id est, quidquid per exteriores sensus & membra loquimur, & operamur, idipsum quoque ad purissimum DEI amorem ordinemus, sic enim in ipsis etiam moribus & virtutibus DEO assimilabimur, dum scilicet, sicut ipse omnia ad extra propter se perfectissimo modo operatur; ita nos quoque, quecunque opera ex ejus voluntate suscepta omni possibili diligentia ac perfectione propter ipsum suscipimus & exequimur. Et hoc nempe est, quod Cant. 8. Sponsæ indicavit, dum solùm ab eadem ut signaculum super cor, sed etiam super brachium poni voluit, ut scilicet ex hoc disceret Sponsa, amorem suum non tantùm affectivum, sed etiam effectivum esse, & in opus prodire debere.

II. Quare qui hanc quartam & perfectissimam unionem assequi cupit, tria in universis suis operibus præstare studeat. 1. Vt, sicut DEVS omnia opera sua *ordinatè* admodum peregit, sex diebus ea creando, cùm tamen unico momento totum Mundum condere potuisset; ita ipse quoque omnia opera sua bene ordinet, & illi soli operi, quod DEVM tunc velle, sive per Superiorum præceptum, sive per legum præscriptum, sive per occultas inspirationes cognoverit, totum animum, viresque magna cum libertate applicet; hoc enim est, teste Thoma Kemp. l. 3. de imit. c. 26. opus perfecti viri, nunquam ab intentione cœlestium animum relaxare, & inter multas curas quasi sine cura transire non more torpentis, sed prærogativa quadam liberæ mentis. 2. Vt, sicut DEVS pro universis operibus suis Ideam sibi perfectissimam in mente sua descriptam proposuit, & eidem opera sua sic conformavit, ut, dum eadem ipse examinavit, deprehenderit valde fuisse bona: ita & ipse Homo singularum suarum actionum Ideam sibi perfectissimam proponat, & eam, quàm studiosissimè potest, imitari studeat. Talem autem Ideam vel ipsa natura actionis, aut Regula Ordinis dictat, aut ipse Christus, qui fuit perfectissima Idea omnis sanctitatis ac perfectionis, exemplo suo docuit. Hinc & ipse Pater æternus eum velut Ideam Matt. 3. proposuit dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite*, Certè hæc potissima Incarnationis Christi causa fuit, teste S. Laurentio Iustiniano serm. de exalt. Cruc., quatenus per assumptum hominem documenta saluberrima tribueret DEVS, quibus peccator Homo amissa recuperaret dona, deformatam reformaret imaginem, & cœlestem, à qua elongaverat multùm, remearet ad Patriam. Hinc rectè S. Gregorius ep. 1. de perf. Christ. dixit. *Quisquis vitæ suæ Pictor est, & Artifex hujus voluntas, colores autem sunt virtutes, exemplar Christus esse debet*. Vnde omnis nostra virtus tam longè abest à vera virtute, quàm longè est ab ea forma, quam verbo & exemplo commendavit Christus præsens in carne, quemadmodum S. Bernardus serm. 4. de Adv. dixit, qui & sapienter advertit, Christi amorem & imitationem esse compendiosissimam viam ad perfectionem assequendam: *Summa* inquit, *felicitatis nostræ est divinæ similitudinis participatio, ad quam perveniemus, si DEVM coram intuebimur. Si ergo similis DEO fieri cupis, videndo DEVM, sicuti est, da operam, ut ei similis fias, videndo eum, sicut pro te factus est, ac ita per imitationem sacræ Humanitatis ad similitudinem venies summa Divinitatis*. Hinc ad eandem imitationem Fratres suos serm. 3. in natal. Dom. adhortans, novum argumentum ulurpat dicens; *Obsecro vos, dilectissimi, considerate diligentiùs, quantùm fecerit DEVS pro vestra exhortatione & salute, ne infructuosus in vobis inveniatur sermo tam vivus & efficax, sermæ fidelis, & omni acceptione dignus, sermo non tam oris quàm operis. Putatis, Fratres, parùm mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum, quod nunc loquor ad vos, vacuum, & sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? & quis sum ego; aut quis est sermo hic meus? si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret Homo pusillus, imò & nihil; quàm iustius indignabitur Dominus Maiestatis, si tantam eius operam nostra aut duritia, aut negligentia contingat evacuari? avertat hoc a servulis suis, qui pro eorum salute induere dignatus est formam servi. Simus* ergo *ut Christus*, inquit S. Gregorius Nazianz. Orat. 40. in Palch. *quoniam ipse quoque sicut nos, efficiamur Dii propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos Homo factus est*. 3. Vt, sicut DEVS statim post creationem

Mundi, examinavit opus suum, ita & Asceta frequenter se super Actiones suas reflectat, eumque in finem non tantùm post ipsam actionem, sed etiam in quotidianis suis examinibus, & hebdomodariis, menstruisque recollectionibus inquirat, quantùm ab Idea proposita recesserit, quomodo errorem à se commissum emendare velit.

CAPVT II.

De termino viæ unitivæ.

I. ETsi ex iis, quæ in prioribus SS. dicta sunt, satis colligi posset, quis sit terminus viæ unitivæ, scilicet quadruplex unio ibidem explicata. Vt tamen etiam hic terminus sub uno nomine compendiosiùs & clariùs proponatur, placet & hoc subsidio Ascetices studiosum non defraudare.

II. Aio itaque, Terminum supremæ viæ unitivæ esse *perfectam amicitiam cum DEO*: cujus typus erat amicitia inter Ionatham & Davidem contracta, de quibus 1. Reg. 18. dicitur, quòd Ionathas dilexit David quasi animam suam, quia anima illius erat agglutinata animæ David; hinc & expoliavit se Ionathas tunica sua, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua usque ad gladium & arcum suum, & usque ad balteum. Et verò perfectionem, quæ scopus est viæ unitivæ, in hac amicitia consistere, colligitur tum ex ipsa definitione Amicitiæ à D. Thoma 22. q. 23. 1. art. allata, ubi dicit eam esse amorem mutuæ benevolentiæ super aliqua communicatione fundatum; tum ex proprietatibus amicitiæ; uti enim amici perpetuo de se cogitant, & simul esse desiderant: unum volunt, ac nolunt (nam eadem velle & nolle firma amicitia est teste S. Hieronymo in ep. ad Demetr.) omnia sibi mutuò communicant (nam juxta commune proverbium, Amicorum omnia sunt communia) in moribus se mutuò assimilare conantur (nam, teste eadem S. Hieronymo sup. Mich. Amicitia aut parem facit, aut invenit) in adversis non se deferunt (nam, ut Cassander in epist. rectè advertit, *Qui verè amicus est, omni tempore diligit; non eum tormentum separat, non labor laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat*) ita hæc omnia in ipsa quoque caritatis divinæ perfectione suo modo reperiuntur, ut ex dictis patet, & pulchrè S. Ambrosius l. 5. de offic. c. ult. sequentibus verbis confirmat: *Quid est Amicus, nisi censor amoris, ad quem animum tuum adjungas atque applices: cui te tanquam alteri tibi committas: à quo nihil timeas, nihil ipse commodi tui inhonestum petas? non enim vectigalis amicitia, non quæstus, quia non pecunia quæritur, sed gratia; nec licitatione pretiorum, sed benevolentia.* Hinc & ipse Christus Apostolis ad perfectionis statum vocatis Ioan. 15. dixit: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi Amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

III. Ex quibus colligitur 1. illum tandem omnes veræ amicitiæ cum DEO partes impleviſſe, qui ita erga Deum se gerit, ut DEVS verè de eo, perinde ac de Davide dicere possit illud Act. 13. *Inveni David virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Vnde & triplicem illum fructum participare merebitur, quem DEVS Psal. 88. promisit dicens: *Oleo sancto meo unxi eum* (id est, tali lætitia complevi, quæ sicut oleum omnibus aliis liquoribus supernatat, ita omnes alias lætitias superat juxta illud S. Pauli Philipp. 4. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum &c.*) *manus enim mea auxiliabitur ei* (id est, non exigua gratia, quæ digiti tantùm auxilio sit similis, sed copiosa, per potentem DEI manum significata; hinc perinde ut David 1. Reg. 18. in omnibus viis prudenter se geret, quia Dominus erit cum illo) *& brachium meum confortabit eum*: si enim præcepit DEVS per Salomonem Prov. 4. *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit*; quantò magis ipse custodiet virum secundum cor suum, ex quo vita spiritualis, scilicet amor perfectus procedit.

IV. Colligitur 2. Hanc solam amicitiam esse veram amicitiam, atque adeò præ aliis quærendam, uti præclarè S. Augustinus l. 5. hom. 38. indicavit dicens: *Nihil delectabilius DEO; nam in Homine sunt, quæ te offendunt, toleras tamen propter amicitiam. DEI amicitia, quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur, à te, non invenies.* Vnde meritò exclamat S. Gregorius apud Engelgr. emb. 13. *O mira divinæ bonitatis dignatio! Servi digni non fumus, & amici vocamur: quanta dignitas est hominum esse amicos DEI!* Itaque audiat Asceta

Tho-

Thomam Kemp. l.2.c.8. monentem : *Sine amico non potes bene vivere , & si IESVS non fuerit tibi præ omnibus Amicus , eris nimis tristis , & desolatus.* Alloquatur ergo animam suam illis S. Augustini verbis c.24. manual. *O anima mea , dilige eum, à quo tantùm dilecta es. Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui, cùm omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem seruabit.*

V. Colligitur 3. Quibus mediis hæc amicitia conservanda sit, illis nempe , quæ pius Asceta l.2.c 8. indicavit his verbis : *Magna ars est , scire cum IESV conversari : & scire IESVM tenere magna Prudentia: Esto humilis & pacificus , & erit tecum IESVS. Sis devotus & quietus, & manebit tecum IESVS. Potes citò fugare IESVM , & gratiam eius perdere, si volueris ad exteriora declinare. Et si illum effugaveris , & teràideris, ad quem fugies ? & quem tunc quæres Amicum? Nonne hoc est majus damnum , quàm si totum perderes Mundum ? quid potest tibi Mundus conferre sine IESV.*

CAPVT III.

De tentationibus viæ unitivæ.

I. PRæter eas , quæ in via illuminativa enumeratæ,& huic etiam viæ interdum adhuc infestæ sunt , sequentes magis viæ unitivæ sunt propriæ , & periculosæ . Prima est *Superbia* ex bonis operibus orta ; cui tentationi , etsi ipse DEVS frequenter medeatur , varias infirmitates corporis & animæ immittendo , ne magnitudo revelationum & bonorum operum extollat illos ; nihilominus tamen etiam ex sua parte cooperari debent ii , qui in hac via sunt constituti , firmissimè scilicet illam Christi Luc.17. datam doctrinam credentes : *Cùm feceritis omnia , quæ præcepta sunt vobis , dicite servi inutiles sumus* . Tanta certè Homo quantumcunque perfectus , apud DEVM debita contraxit propter innumera beneficia , ut etiamsi omnes possibiles virtutum actus solus elicuisset , nè minimam quidem debiti partem solvisse condignè dici queat ; quis autem non stultum diceret illum qui , cùm multos milliones talentorum deberet , superbiret ex eo, quòd aliquando obolum solvisset ?

II. Secunda tentatio *Curiositas* est in rebus divinis experiendis, puta solatiis, raptibus, visionibus, revelationibus &c. cui occurrendum , per scutum divini beneplaciti oppositum, cogitando scilicet,quòd Homo perfectus,hoc ipso, quod nihil nisi beneplacitum divinum quærere debeat,non deberet, etsi sine fine ejusmodi gratias experiretur,in his sibi propter se, sed propter solum beneplacitum DEI complacere,quidni ergo propter idem beneplacitum æquè libenter careat illis ?

III. Tertia tentatio est *inanis de propriis viribus fiducia* cui occurrendum recordatione tum alienorum lapsuum , tum propriorum , si vel minimùm DEVS manum subtrahat . Vnde præclara illa pii Ascetæ l.3. de imit.cap.14. doctrina ob oculos semper habenda : *Ceciderunt stellæ de cœlo , & ego pulvis quid præsumo ? Nulla est ergo sanctitas , si manum tuam, Domine , subtrahas . Nulla juvat fortitudo , si conservare desinas . Nulla propria prodest custodia , si non adsit tua sacra vigilantia . Nam relicti mergimur, & perimus , visitati verò erigimur , & vivimus.O quàm humiliter & abiectè de meipso sentiendum est! O quàm profunde submittere me debeo sub abyssalibus judiciis tuis, Domine, ubi nihil aliud me esse invenio, quàm nihil , & nihil!*

IV. Quarta tentatio est *Iudicium temerarium* de aliorum factis & dictis: *Libertas* alios increpandi, & de Superioribus etiã conquerendi. *Impatientia ob aliorum defectus &c.* quæ omnes tẽtationes , si , aut ex una radice , scilicet nimia sui æstimatione oriuntur, ita per eandem humilitatis virtutem occurrẽdum est, beneque illud verissimum Thomę Kemp.l.3.c.7.pronunciatum perpendendum,quòd scilicet merita non sint ex hoc æstimanda,si quis plures visiones aut consolationes habeat,vel peritus sit in Scripturis,aut in altiori ponatur gradu,sed si vera fuerit humilitate fundatus , & divina caritate repletus,si DEI honorem purè & integrè semper quærat:si seipsum nihil reputet, & in veritate despiciat.Sed & illa Cassiani coll.11.c.10. sententia consideranda : *Evidens indicium est anima necdum vitiorum fœcibus eliquatæ , in criminibus alienis non effectu misericordiæ condolere , sed rigidam judicantis adhibere censuram .*

V. Quinta tentatio est *Præsumptio* , qua multa supra vires tentatur : cui resistendum firmissimo facto decreto , nihil tentandi,nisi quod vel obedientia præscripserit : vel certè post maturam deliberationem , & orationem præmissam divino beneplacito conforme quis judicaverit . Stultorum namque est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, teste Salomone Prov. 29. totum suum Spiritum proferre ; ut qui seipsis majores videri appetunt ; Sapientes autem differunt, & reservant in posterum, ne penitus evacuentur.

VI. Sexta tandem tentatio est *desolatio* animi, aliæque adversitates, quæ copiosæ non rarò perfectis Hominibus eveniunt : contra quam tentationem pariter scuto, bonæ voluntatis divinæ pugnandum, dicendumque cum pio Asceta l. 4. c. 16. *Adesto mihi, Domine IESV, in omni loco, & tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas, & justa probatio pro summo solatio ; non enim in perpetuum irascaris, neque in æternum comminaberis.*

CAPVT IV.

Quæ axiomata in via unitiua præcipue obseruanda sint.

I. PRimum est : *Summa hominis perfectio est, communia status sui opera perfectè facere* : cùm enim omnes in hoc Mundo velut theatro maximo Spectaculum DEO, Angelis, & Hominibus facti simus, non aliud à nobis exigitur, quàm ut personam à DEO attributam bene sustineamus ; hæc autem Persona nil aliud requirit, quàm ut communia : quæque & statui suo conformia opera quisque sedulò & accurratè perficiat ; unde ex variis historiis compertum est, sæculares quandoque personas, & Opificio vel alteri humili statui addictas Macariis, aliisque sanctissimis viris in merito ac sanctitate æquales à Deo fuisse declaratas.

II. Alterum est *summa Christiani perfectio, Christi imitatio* : Nam cùm Christus sit Idea perfectissima omnis perfectionis ac sanctitatis, meritò tantò quisque perfectior censendus est, quantò perfectiùs huic Ideæ se conformare conabitur. Hinc S. Bernardus serm. 22. in Cant. verè dixit : *Incassum laborat in acquisitione virtutum, qui eas alibi, quàm in Christo quærit.* Et S. Bonaventura in quodlib. serm. merito hortatur : *Hæc sit Sapientia & meditatio tua & studium, semper aliquid de ipso* (Christo) *cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel ad amandum ipsum excitèris. Quantò enim se quisque ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tantò ei in*

ei in prima gloria & claritate appropinquabit, & similior erit.

III. Tertium : *Vnus Vni* : ut olim pijssimus Frater Ægidius Franciscanus dicebat : Vnde non immeritò S. Augustinus super Psal. 45. *Ecce*, inquit, *viam vitæ : à multis ad unum. Ecce viam mortis : ab uno ad multa.* Sed & famosus quidam ex Eremi cultoribus dicere erat solitus, Nunquam fore hominem quietum, nec in re quapiam contentum in hac vita, nisi hoc sibi persuadeat, præter DEVM & ipsum esse neminem.

IV. Quartum : *Non vivitur in amore sine dolore* : quia amare DEVM non potest, nisi qui sibi, & cupiditatibus mortuus est, hoc autem contingere non potest sine grandi violentia, atque adeò etiam dolore ; unde meritò quidam amorem rosis inter spinas crescentibus comparat. Hinc S. Teresia semper dicere erat solita : aut pati, aut mori. Et S. Maria Magdalena de Pazzis purissimum semper fel desiderabat. Sed & S. Ignatius lignum crucis aptissimum esse dicebat ad amoris ignem fovendum.

V. Quintum : *Non affectus, sed effectus probat amorem* : quia affectus solitariè sumptus fallere potest, non item effectus ; hic enim ostendit, amorem non otiosum esse, atque adeò verum amorem judicandum. Hinc & S. Ioannes monebat 1. c. 3. *Filioli, non diligamur verbo aut lingua, sed opere & veritate.*

VI. Sextum : *Summa Hominis gloria est solam DEI gloriam quærere* : quia summa cuique rei gloria est, finem suum possidere ; atqui hunc solus ille & unicus possidet, qui solam DEI gloriam quærit ; ad hoc enim conditus est homo, ut cognoscat & amet DEVM, in quo vera DEI gloria consistit.

PARS V.

DE MODO ET MEDIIS PROFICIENDI IN SCIENTIA ASCETICA, DEQVE PRAESTANTIA EIVSDEM.

HActenus de natura & essentia Scientiæ Asceticæ dictum est ; superest, ut nunc de modo quoque in eadem proficiendi ; &, quod non parùm industriam, & alacritatem dicendi

Universidad de Deusto
Biblioteca

cendi acuit, etiam de præstantia illius breviter agatur, quod quidem per sequentia duo capita præstabitur.

CAPVT I.

De modo proficiendi in scientia Ascetica

MOdum hunc egregiè sapientissimus Salomon exemplo suo docuit, dum Sap. 7. dixit: *Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus &c.* per hæc enim verba satis clarè ostendit, se tria præcipuè media adhibuisse ad Sapientiam comparandam, nempe desiderium, orationé, & propriam cooperationem; quæ proinde ab iis quoq; qui Scientiam Asceticam bene addiscere cupiunt, adhibenda erunt; qua ratione autem ea in praxi usurpanda sint, jam nunc ostendetur.

§. I.

De desiderio ad Scientiam Asceticam addiscendam necessario.

I. Quantopere desiderium, conducat ad Scientiam Asceticam, ipsamque adeò perfectionem consequendam, clarè iterum Salomon Sap. 6. ostendit dicens: *Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam. Clara est, & quæ nunquam marcescit Sapientia: & facilè videtur ab his, qui diligunt eam: & invenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Initium enim illius est verissima disciplinæ concupiscentia.* Quod quidem S. Bernardus adeò verum putavit, ut ep. 123. dicere non dubitarit: *Indefessum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.* Hinc S. Thomas, ut videre est p. 1. l. 3. c. 17. hist. Prædicatorum. Sorori quærenti, quâ ratione salvari posset? respondit: *Si volueris, salva bere.* Hoc sanè desiderium, inquit S. Augustinus tr. 4. in ep. 1 Ioann. *Sinus est, hic faceus, & quia angustus est, extendendo facis capaciorem.*

II. Porro ad desiderium hoc excitandum tria potissimum excitare jure merito possunt, & debent. 1. Ipsius Magistri

gistri dignitas & Nobilitas; nam ut rectè S. Ambrosius dixit, *Primus discendi ardor Nobilitas est Magistri? quid autem præstantius Christo DEI Filio?* Qui ipse S. Brigittæ l. 6. revel. c. 27. dixit: *Quid te delectat audire opera mundanorum & bella Procerum? & cur tali auditu inani occuparis? cùm ego sim omnium Dominus, nullaque delectatio sine me in pretio habenda sit. Si cupis audire facta magni Domini: si considerare opera magnalia, debes utique audire & considerare facta mea, quæ intellectu incomprehensibilia sunt, cogitatu stupenda, & auditu admiranda.* 2. Ipsius etiam Scientiæ præstantia quæ sequenti capite fusiùs demonstrabitur. 3. Auxiliorum ad eandem addiscendam paratorum copia & efficacia; cùm enim Deus ardentissimè desideret, hanc scientiam ab Hominibus addisci, & practicari, hoc ipso etiam paratissimus est ad copiosa auxilia (sine quibus nihil nos posse cognovit) pro hoc fine offerenda.

§. II.

De Oratione ad scientiam Asceticam addiscendam necessaria.

I. Quàm necessaria sit oratio ad hanc scientiam addiscendam, vel ex eo colligitur, quod, teste S. Iacobo c. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum:* cùm ergo Scientia Ascetica utique inter data optima, & dona perfecta numerari mereatur, meritò etiam illa desursum à Patre luminum descendere adeòque per orationem instanter peti, & efficaciter impetrari debet: Quamobrem idem Apostolus tam sollicitè monet: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Id quod egregiè confirmans S. Chrysostomus l. 1. de orando DEO, *arbitror*, inquit, *cunctis esse manifestum, quòd simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cum virtute degere, cùmque hac vitæ huius cursum peragere. Etenim qui fiat ut virtutem quis exerceat, nisi continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur Homini.* Quam doctrinam adeò certam esse credidit S. Augustinus, ut hom. 40. dicere ausus sit: *rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* Et

verò

verò ipsa experientia id ipsum copiosè quoque confirmat, qua habetur, quamplurimos licet minus litteratos per orationis medium summos in hac scientia progressus fecisse, ut adeò verè pius Asceta l. 3. c. 43. in Persona Christi dixerit: *Ego sum, qui doceo hominem scientiam* (Asceticam videlicet, ut ex contextu patet) *& clariorem intelligentiam parvulis tribuo, quàm ab Homine possit doceri. Cui ego loquor, citò sapiens erit, & multùm in Spiritu proficiet. Ego sum, qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm si quis decem annis studuisset in scholis.*

II. Porro qualis hæc oratio esse debeat, memoratus Apostolus l. c. sat clarè indicavit, dum dixit: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Nam, ut ipse quoque servator Matth. 11. monuit, *omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis.* Certè qui sic à DEO scientiam Asceticam postulant, meritò sibi illam S. Bernardi S. 5. de quadr. sententiam applicare possunt: *Nemo nostrum parvipendat orationem suam: dico enim vobis, quòd ipse, ad quem oramus, non parvipendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo, & unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus; aut quod novit utilius.* Cùm ergo nihil utilius dilectione atque adeò etiam ipsa scientia Ascetica dilectionem docente reperiatur, meritò sperare potest, se eam certò impetraturum, quisquis eam instanter, & ardenter à DEO petierit.

§. III.

De Cooperatione ad scientiam Asceticam obtinendam necessaria.

I. Quantopere hæc cooperatio necessaria sit, clarissimè jam olim Sponsa Cant. 1. indicavit, dum ingens quidem desiderium conjunctionis cum sponso per illa verba: *Osculetur me osculo oris sui*: indicatum: & orationem per verba illa: *trahe me*: insinuatam atque à se adhibitam ostendit, sed tamen etiam suam cooperationem addidit dicens: *Curremus in odorem unguentorum tuorum*: Quod ipsum etiam S. Paulus 1. Cor. 15. confirmavit dicens: *Gratia autem DEI sum*

sum id, quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi. Porro hæc cooperatio in sequentibus ferè industriis consistit.

II. Prima industria est generosa vitiorum & passionum inordinatarum mortificatio: sic pius Asceta l. 3. cap. 43. suasit dicens: *Stude mortificationi vitiorum, quia hoc amplius tibi proderit, quàm notitia multarum difficilium quæstionum.* Id quod per ipsam experientiam confirmat dicens: *Quidam amando me intimè didicit divina, & loquebatur mirabilia: plùs profecit in relinquendo omnia, quàm in studendo subtilia.* Vt adeò hic quoque vel maximè locum habeat notum illud axioma: *Tantùm proficies* (in scientia Ascetica) *quantùm tibi vim attuleris.*)

III. Altera industria lectio spiritualis est, per quam addisci faciliùs potest, quod ad hanc scientiam Asceticam pertinet, quàm per vivos Instructores, cùm plerumque ea, quæ in libris traduntur, præcepta majori cum consideratione excogitata, ac meliorem in ordinem digesta, pluriùmque Censorum judicio approbata sint. Hinc S. Isidorus l. 3. de summo bono c. 8. ait: *Qui vult cum DEO esse, frequenter debet orare, & legere. Nam, cùm oramus, ipsi cum DEO loquimur: cùm verò legimus, DEVS nobiscum loquitur. Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit.* Porro duplicis generis libri Ascetici sunt, qui de hac materia scribunt; aliqui enim ex Instituto totam Asceseos bono ordine digestam tradunt, & tales sunt P. Iacobus Alvarez, P. Hugo Roth in via regia P. Bernardinus Rosignolius, & similes, alii sparsim & sine ordine potiores Asceseos doctrinas pertractant, uti P. Alphonsus Rodriquez, P. Petrus Pennequin in Inagoge ad amorem divinum, P. Eusebius Nierenbergius de adoratione in Spiritu & veritate, P. Lucas Pinellus de Perfectione Religiosa; Theophilus Bernardinus de Perseverantia Religiosa; item varii tractatus S. Francisci Salesii, opera varia R. D. Ludovici Blosii & similes, ex quibus omnibus magnus in scientia Ascetica profectus hauriri potest, si lectio illorum utili fine suscepta, constanter & fructuosè peragatur.

IV. Tertia industria est frequens cum Asceseos Magistris collatio, de cujus necessitate Sapienter Cassianus Collat. 24. c. 16. sic discurrit: *Etenim cum omnes artes & disciplinæ humano*

mano ingenio repertæ (quæ & nihil ampliùs quàm vitæ huius commodis prosunt) licet manu palpari queant , & oculis pervideri , rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina nequeunt comprehendi , quàm ineptum est credere , hanc solam non egere Doctore , quæ & invisibilis , & occulta est , & , quæ non nisi corde purissimo pervidetur : cuius error non temporale damnum , nec quod facile reparetur , sed animæ perditionem parit, mortemque perpetuam . Meritò ergo Ascæseos Discipulus sibi applicat, quod olim Tobias Senior Iuniori dixit , dum is a Parente in Rages proficisci jussus diceret : *Viam per quam pergatur illuc , non cognosco .* Cui Pater: *Perge , & inquire tibi aliquem virum fidelem , qui eat tecum .* Nam ut sapienter notavit S. Vincentius Ferrerius in tr. de vita Spir. *Christus (sine quo nihil possumus) nunquam suam gratiam ministrabit illi, qui, cùm habeat, qui eum deducat in via perfectionis , negligit ductum eius , credens sibi , sufficere , & per seipsum investigare, & invenire , quæ sunt utilia ad salutem .* Ipsum certè Gentium Doctorem , & totius Ecclesiæ Patrem S. Paulum DEVS ad Ananiam instruendum misit , ut nemo præsumeret, Magisterium perfectionis assequendæ sibi ipsi arrogare , sed potiùs ab alio cum debita subjectione & humilitate addiscere conaretur.

V. Quarta industria est *Exemplorum à sanctis relictorum consideratio* : nam , ut rectè S. Basilius opusc. 49. c. 7. dixit, *Vitæ beatorum Hominum literis traditæ sunt velut imagines quædam vivæ divinæ republicæ ad bonorum operum imitationem propositæ . Vnde quemadmodum Pictores , quando imaginem ex imagine pingunt , identidem ad exemplar respicientes, characterem ad suum Opificium inde transferre conantur , ita oportet eum , qui studet seipsum omnibus virtutum partibus perfectum reddere, sanctorum vitas velut simulachra quædam viva & efficacia respicere , illorumque bona opera per imitationem sua facere .*

CAPVT II.

De præstantia Theologiæ Ascæticæ .

ET hanc breviter Salomon Sap. 7. indicavit , dum dixit : *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa , & innumerabilis honestas per manus illius , & lætatus sum , quoniam*

viam antecedebat me ista sapientia . & ignorabam , quoniam horum omnium Mater est . Quæ verba licet secundùm literalem sensum de ipsa sapientia dicta sint , ut ex verbis patet ; secundum Mysticum tamen sensum multò verius scientiæ Ascæticæ applicari possunt , uti clarè patebit ex sequentibus §§. in quibus ostendetur , quàm copiosè triplex bonum communiter à Philosophis, Ethicisque assignatum, nempe bonum utile, honestum,& delectabile cum hac scientia obveniat.

§. I.

De Vtilitate Scientiæ Ascæticæ .

I. Quod S. Paulus 1. ad Tim. 4. Timotheo scripsit: *Exerce autem teipsum ad pietatem : nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est , & futuræ .* Hoc totum de Scientia Ascetica jure meritissimo dici potest ; quid enim Homo magis optare potest, quàm ut in hoc exilio vitam longam, pacatam,& omnibus rebus necessariis instructam vivere,& in altero orbe vitam beatam & æternam feliciter obtinere queat ; quod autem aptius, efficacius,& faciliùs medium excogitari potest ad utramque hanc vitam obtinendam , quàm Scientia Ascetica ad perfectionem & perfectam DEI caritatem impellens ?

II. Et 1. quidem vitam corporalem quod attinet , quis eam pacatam , & longam justiùs sperare potest , quàm homo Scientia Ascetica instructus eamque legitimè usurpans ; Ita sanè DEVS ipse Lev. 26. promisit dicens : *Si in præceptis meis ambulaveritis , & mandata mea custodieritis , & feceritis ea , dabo vobis pluvias temporibus suis , & terra gignet germen suum , & pomis arbores replebuntur : Apprehendet messum tritura vindemiam , & vindemia occupabit sementem , & comedetis panem vestrum in saturitate , & absque pavore habitabitis in terra vestra . Dabo pacem in finibus vestris , dormietis , & non erit , qui exterreat .* Sed & Psalmista Ps. 33 idipsum indicavit dicens . *Quis est homo , qui vult vitam , diligit dies videre bonos ? diverte à malo , & fac bonum , inquire pacem , & persequere eam .* Quis autem magis & perfectiùs servat mandata DEI ? aut divertit à malo , & facit bonum ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

num, quàm qui secundùm præcepta Ascéticæ scientiæ operans perfectionem caritatis totis viribus obtinere conatur? Si idem S. Propheta Ps. cit. dixit : *Timete Dominum omnes sancti eius quoniam non est inopia timentibus eum*, quantò minùs amantibus eum inopiam obvenire patietur? Si Christus, regnum DEI, & justitiam ejus quærentibus omnia necessaria adjectum iri, promisit, quis magis hoc sperare poterit, quàm qui hoc unicum studet, ut DEVS in ipso per caritatem regnet, atque adeò jure cum Davide Ps. 22. dicere possit: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit*. Si denique Salamon Prov. 3. hortatus est : *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi* : quis justiùs iterum vitam *longam* & *pacatam* sperare potest, quàm Ascéta perfectionis Studiosus, atque adeò præcepta Dei perfectissimo modo observans? Vt adeò meritò sibi illa Deut. 30. verba applicare queat: *Elige ergo vitam* (id est, charitatem) *ut & tu vivas* (vita corporali) *& semen tuum & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci illius, & illi adhæreas; ipse enim est vita tua, & longitudo dierum tuorum*.

III. Non minùs verò ad vitam quoque futuram & æternam obtinendam est utilis, cùm verè de scientia Ascética dici suo modo queat, quod Christus Io. 10. de se dixit : *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*. Cùm enim sola caritas jus ad vitam æternam tribuat; Scientia Ascética verò sola caritatem perfectissimo modo exercere doceat, meritò concluditur quòd etiam ad vitam æterna abundantiùs consequendam specialiter conducat. Vt adeò rectè cum S. Bernardo S. de dilig. Deo exclamare liceat: *O iugum Sancti amoris; quàm dulciter capis, gloriosè illaqueas, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis? O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fecunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas*.

§. II.

De dignitate Scientiæ Ascéticæ.

I. Etiam hæc dignitas facilè ex objecto Scientiæ Ascéticæ colligitur; si enim tantò quævis scientia dignior est, quantò

quantò honestius, digniusque objectum habet, summam profectò dignitatem Scientiæ Ascéticæ inesse oportet, quæ eam docet virtutem, à qua omnis dignitas & honor velut radice ortum habet; verè enim *quantitas cuiusque animæ de mensura caritatis, quam quisque habet, æstimatur*, teste S. Bernardo S. 27. in Cant. Et idipsum confirmans S. Augustinus in Ps. 83. Beatus vir, inquit, *qui ascensiones in corde suo disposuit; non gressibus corporis, sed affectibus mentis; amando ascende, quantò plùs amaveris, tantò plùs ascendes*.

II. Et verò ex ipsa natura caritatis non obscurè eadem veritas facilè probatur; cùm enim proprium caritatis sit unum facere amantem cum amato, necessariò consequitur, ut eandem quoque cum amato dignitatem participet. Vnde meritò S. Augustinus dicere solebat : *Hoc quisque est, quod amat. Si terram diligis, terra es. Si DEVM diligis, quid vis, ut dicam? DEVS es*. Sicut enim Humanitas Christi per unionem hypostaticam cum verbo eandem cum ipso Deitatem, atque adeò summam etiam dignitatem sortita est; ita id ipsum suo modo de unione morali, quæ per caritatem fit, dici potest. Hinc præclarè Hugo de laude caritatis discurrens, *nescio*, inquit, *quo maius in laude tua dicere possum, quàm ut DEVM de cælo traheres, & hominem de terra ad cælum elevares; magna virtus tua, ut per te ad hoc usque humiliaretur Deus, & usque ad hoc exaltaretur Homo*.

§. III.

De Iucunditate Scientiæ Ascéticæ.

I. Sapienter olim S. Augustinus tr. 24. in Ioann. dixit : *Scimus, Fratres, quòd omnis Homo gaudere desiderat, sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri; nam cùm ea diliguntur, quæ possumus contra voluntatem amittere, necesse est, ut pro iis miserrimè laboremus*. Vnde clariùs ostendens, ubi verum gaudium inquiri oporteat, S. 30. de Sanctis sic loquitur : *Qui vult gaudere de se, semper tristis est : qui autem de Deo gaudere vult, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est*. Vnde ulterius hortatur : *Si quæris, quære : sed non ubi quæris; quære in fonte, quia ibi omnia vivunt : quod factum est, in ipso vita erat*.

II. Quanta autem & qualia sint, hæc gaudia, patet tum ex ipsa natura hujus gaudii, quod ex possessione summi boni & ultimi finis oritur, qua possessione nihil Homini melius & jucundius accidere potest; tum ex S. Thomæ sententia dicentis: *Meliora sunt ubera tua vino, id est, amores tui vino consolationis terrenæ; quia universalior afficiens totum Hominem: intimior penetrans intima cordis: durabilior, quia in æternum durat.*

III. Neque obstat, quòd per multas tribulationes oporteat nos introire in regnum DEI; nam hæ ipsæ tribulationes in bonum & gaudium cooperantur diligentibus DEVM, uti præclarè S. Bernardus in Ps. dum dixit? *Duæ lectiones sunt amoris & dulcoris; o adesse, o abesse? primum ad maius solatium, secundum ad maius meritum. Præsentia iucundior, absentia utilior. In præsentia delectatur anima cum DEO; in absentia delectatur DEVS in anima.* Et hoc ipso etiam magis delectatur anima, utpote quæ plùs diligit DEVM, quàm se, atque adeò magis de DEI, quàm suo gaudet gaudio. Vnde S. Augustinus, *unima animans*, inquit, *debet continuò stare in præsentia DEI, & habitare intra DEVM, sicut intra favum mellis habitat apis, quæ ita se includit, ut non aliud nisi mel videat, gustet, & tangat; sic illa non aliud, nisi divinam suavitatem aut in ipso DEO tanquam fonte, aut in Creaturis instillatam gustet, fuge, fuge, & bibe dulcedinis divinæ suavitatem inenarrabilem, immergere, & replere, adhære, fume, & fruere.*

IV. Audiat ergo Asceta Idiotam c. 17. dicentem: *Vera dilectio, benignissime Domine IESV Christe, qui es merces amoris, & via rectissima veniendi ad te; nec opus est alia virtute, sed solùm amore & dilectione. Via rectissima absque devio, via brevis absque tædio, via plana absque tumulo, via secura absquè periculo, via iucunda cum bone socio.*

§. IV.

De facilitate Scientiæ Asceticæ.

I. Ne autem fortè scientiam hanc, cujus præstantiam hactenus descripsi, propter commune axioma, quo omne pulchrum difficile esse dicitur, arduam nimis atque difficilem esse arbitretur, non modicum ad illius æstimationem augen-

augendam conducet, si eandem etiam facillimam esse ostendam, id quod triplici potissìùm argumento præstabo.

II. Primò *ex ipso naturali impulsu*: quid enim facilius cuiquam accidere solet, quàm id, ad quod agendum ipsemet toto desiderii impetu fertur? ad quid autem magis inclinatur, & impellitur homo, quàm ut finem suum ultimum, in cujus possessione, tota felicitas sua consistit, assequatur, atque adeò magis ac magis semper eidem conjungi satagens, majores quotidie in perfectionis studio progressus faciat? Ita sanè S. Laurentius Iustin. in prooem. de grad. perfect. testatur dicens: *Hominis proprium est, ut semper proficere appetat, & nunquam ab inquisitione torpescat, & ad huiusmodi solicitudinem proficiendi naturali impulsu ducitur, & ad hoc est conditus, ut potiora semper concupiscens perveniat aliquando ad id, quo nihil est melius, quod est ipse DEVS.*

III. Secundò id ipsum probatur ex objecto scientiæ Ascenticæ, quod est ipsa perfectio seu caritas DEI, quæ per mandatorum DEI observationem & amoris inordinati erga res creatas abnegationem præcipuè demonstratur: quid autem in hoc difficilè censeri potest? Fingatur Iuvenis, qui inordinato fœdissimæ & leprosæ AEthyopissæ amore accensus innumeros ex ejus consuetudine morbos contraxerit, simulque jacturam opum, famæ, sanitatis, & ipsius propemodum vitæ fecerit; cujus proinde Rex aliquis potentissimus misertus Filiam suam nobilissimam & pulcherrimam in Sponsam offerat, cum certissimo promisso, quòd eidem sanitatem, opes, famam cum notabili augmento restituere, æternumque felicem efficere velit, modo amori AEthyopissæ renunciet; quis huic Iuveni difficile futurum crederet, amorem suum ab AEthyopissa fœdissima in Virginem pulcherrimam transferre; quidni ergo & Homini cuivis facilimum credatur, amorem suum à vilissimis & falsam speciem pulchritudinis referentibus creaturis in ipsam pulcherrimam, & omnia bona secum afferentem Deitatem transferre? ut adeò meritò VVido de tranquill. animi c. 2. dixerit: *Facile est iter ad DEVM, quoniam exonerando itur; esset autem grave, si onerando iretur.* Sed nec ipsa mandata ejus gravia sunt, teste S. Ioanne 1. c 5. quin potiùs jugum ejus suave & leve tam ob auxiliantis gratiæ efficaciam; tum ob promissi præmii magnitudinem; tum ob consiliorum Evangelicorum impedimenta removentium

cooperationem ; sicut enim volucris , cùm utramque habet alam , faciſe ſe per aerem librat ; quæ tamen ſi unam tantùm haberet , difficulter ſe à terra elevaret , cùm ſola ſit onus potiùs , quàm ſubſidium ; ita qui ſola ſtatuit ſervare præcepta , cum magna difficultate ſe , ſuamque mentem ad cœleſtia attollet , atque in perpetuo labendi periculo verſabitur ; ſecus verò , qui & præcepta & conſilia Evangelica ſervare decrevit.

IV. Tertiò idipſum exemplum ſæcularium profanas & parum interdum profuturas ſcientias cum magna voluptate addiſcentium, aut vanas voluptates, honoreſque ſectantium probat : *quem enim ambitioſum*, ait S. Bernardus epiſt. 341. ad Monach. *vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus ad alias non anhelare ? ſic & curioſi cuiuſque non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu . Quid ? eorum , qui avaritiæ ſerviunt, aut amatores ſunt voluptatum , ſeu vanas ſectantur Hominum laudes, nonne & ipſorum inſatiabilia deſideria arguunt nos negligentiæ ac tepiditatis? Pudeat certè Spiritualium nos bonorum minùs cupidos inveniri . Erubeſcat anima converſa ad Dominum, minori affectu ſectari iuſtitiam, quàm iniquitatem antea ſectaretur . Eſt enim cauſa valde diſſimilis . Stipendium quippe peccati mors, fructus autem iuſtitiæ vita æterna: Pudeat proinde negligentiùs nunc in vitam, quàm priùs in mortem ire, & minore ſtudio ſalutis inquirere , quàm perditionis augmentum .*

V. Neque terrere debent tot præcepta ab Aſcetica ſcientia præſcribi ſolita ; nam ut prudenter quidam illuminatiſſimus Aſceta dixit, quæcunque artes, cùm docentur, multo obſervationum apparatu indigent, ut ab humano ingenio percipiantur ; poſtea autem cùm in praxin venerint , pulcherrimè rareſcunt , ut præter diligentiam & conſtantiam vix aliquid poſt DEI faventis clementiam deſiderare poſſis . Fortis animi in certum opus reſolutio brevi tempore omnia abſolvit , & perrumpit . Quæ non capit intellectus , experientia certificat .

TRACTATVS III.

INSTITVTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ, COMPLECTENS.

Proœmium.

ETiam hujus Theologiæ notitiam non parùm Sacerdotibus Animarum curam gerentibus neceſſariam eſſe, ex iis, quę in ſequenti prima parte dicentur, abunde patebit . Quia verò ſtudium hoc per ſe nimis amplum eſt, ſi quis omnes Hæreſes, omneſque Hæreſiarcharum doctrinas, & objectiones, modoſque refutandi diſcere vellet, ideo ut ſaltem generaliora quędam principia modique communiores doctrinam Apoſtolicam & Catholicam defendendi ſciantur , eoſdem hoc Tractatu breviter complecti placuit , qui proinde in quatuor partes dividetur , quarum prima de Theologia Polemica in communi . Secunda de Theologia Polemica offenſiva. Tertia de Theologia Polemica defenſiva , Quarta de mediis ad hanc Scientiam rectè addiſcendam conducentibus tractabit .

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS I.

DE THEOLOGIA POLEMICA IN COMMVNI.

TRia capita Pars hæc complectetur. Primum de Definitione & objecto Theologiæ Polemicæ; alterum de Divisione ejusdem: postremum de necessitate, utilitate, dignitate ac jucunditate illius aget.

CAPVT I.

De Definitione & objecto Theologiæ Polemicæ.

I. DEfinitionem Theologiæ Polemicæ quod attinet, ea sic rectè definiri videtur posse; *Est scientia, quâ Catholicas doctrinas à variis Sectis oppugnari solitas roboramus, & contra earundem Sectarum errores & objectiones solidè, efficaciterque defendimus.*

II. Ex qua definitione patet, objectum materiale proximum esse partim Catholicas doctrinas, partim Sectas contrarias, quarum quatuor præcipuè à P. Petro Canisio in suo Cathechismo & aliis numerantur, videlicet *Ethnica*, quæ DEVM, quem nos Catholici agnoscimus penitius negat: *Iudaica*, quæ DEVM quidem, non tamen Christum profitetur: *Mahometica*, quę quidem DEVM & Christum credit, non tamen hunc Deitati unitum, ac Mundi Redemptorem, sed potiùs seductorem fuisse affirmat: *Hæretica*, quæ quidem & DEVM existere, & Christum sua morte & sanguine humanum genus redemisse fatetur, varias tamen utrique falsitates affingit. Objectum verò materiale remotum esse doctrinas particulares, quas tum Religio Catholica, tum quadruplex hæc secta profitentur. Objectum denique formale esse ipsam propugnationem eorundem doctrinarum; per hanc enim velut propriam rationem formalem differt Theologia Polemica ab aliis Theologiis, quia licet v. g. Theologia tam speculativa quàm moralis easdem etiam doctrinas explicandas sibi

sibi assumant, non tamen eas sub hac formalitate propugnationis contra contrarias sectas tractant. Vnde si nulla unquam Hæresis aut alia Secta Acatholica exorta fuisset, illæ nihilominus suum finem obtinuissent, non tamen perinde tunc Theologia Polemica extitisset.

CAPVT II.

De Divisione Theologiæ Polemicæ.

I. QVemadmodum quivis Miles aut Propugnator alicujus loci duplici modo gerere se potest, *offensivè* nempe, idest, ita ut ipse Hostem prior invadat: & *defensivè*, id est: ita ut ipse priùs oppugnationem sui ab Hoste exspectet, & tunc se ejus conatibus, armisque fortiter opponat; ita idipsum etiam in Theologia Polemica videre est, quæ proinde & ipsa rectè in Offensivam & defensivam dividitur, quarum prior claritate & efficacia suorum argumentorum, quibus Doctrinas Catholicas probat & confirmat, Sectarios expugnare, atque in suam sententiam trahere nititur; posterior verò argumenta à Sectariis pro sua falsa doctrina afferri solita soljdè refutare consuevit.

II. Vtraque verò hæc Polemica Theologia in generalem & particularem subdividi potest. Generalis est, quæ circa errores & hereses omnibus aut plerisq; Sectariis communes versatur, quales sunt controversiæ de Ecclesia, de Capite illius, de Iudice Controversiarum, & similes. Particularis est, quæ in particularibus Hæresibus refellendis occupatur, unde hæc juxta multitudinem & varietatem errorum in varia iterum membra multipliciter subdividi potest; nam, ut Bellarminus in Præfat, notat, ab ipso Fidei Christianæ exortu novæ singulis ferè sæculis Hæreses, & quidem secundùm Ordinem articulorum in Symbolo Apostolico propositorum sunt suscitatæ. Hinc primis ducentis annis Gnostici negarunt esse unum DEVM Patrem Omnipotentem. Tertio sæculo Sabelliani secundùm articulum impugnarunt, & Christi Divinitatem negarunt: quod idem subsequentibus Sæculis Ariani, Nestoriani, Eutychiani, & alii fecerunt, qui partim Naturam, partim Personalitatem Christi, aut certè posteriores

arti-

articulos de Narivitate, Passione, & Resurrectione illius evertere conati sunt. Inde circa annum 860. Schisma Græcorum exortum est. qui pertinacissimè Spiritum Sanctum à Filio procedere negarunt. Tandem verò omissa Divinitatis, & Humanitatis Christi impugnatione, omnes ferè posteriores Hæretici in articulo nono & decimo, qui de Ecclesia & Remissione Peccatorum tractant, oppugnando totas vires suas exercuerunt. Vnde Bellarminus in citata præfatione ita controversiarum suarum Tractatum dividit, ut omnes ferè doctrinas ad hos articulos stabiliendos referat; hinc generali præmisso principio de Verbo DEI, mox agerè incipit de Ecclesia in genere, & inde ad particulares Ecclesias, militantem scilicet, Purgantem, & Triumphantem transgreditur. Quibus omnibus expediris, ad Sanctorum Communionem, id est, Sacramentorum tractationem accedit, & hac finita tandem ad ea, quæ ad decimum articulum seu remissionem peccatorum spectant, puta gratiam, peccata, justificationem, liberum arbitrium, & merita explicanda progreditur. Quem ipsum ordinem & nunc servare placet. dum circa singulos titulos à Bellarmino propositos inprimis quidem quid Catholica Fides doceat, breviter explicabitur; postea verò, quæ Hæreses circa eundem Arriculum vel doctrinam exortæ sint, succinctè indicabitur; hæc enim notitia non minima pars est Theologiæ Polemicæ, atque adeò ab iis, qui in eadem solidè instrui cupiant, minimè ignoranda.

§. I.

De verbo DEI.

I. De hoc sequentia Catholica dogmata habentur Primum est, Scripturam Sacram, quam in manibus habemus, esse verum Verbum DEI. Fundamentum est, quia regula Fidei debet esse notissima & certissima; talem autem esse Scripturam nostram, probatur tum ex veritate vaticiniorum tum ex incredibili consensu tot virorum, qui diversis locis, linguis, temporibus, occasionibus sacra volumina conscripserunt; tum ex pœnis, quibus DEVS punivit eos, qui Sacram Scripturam vel contemnere, vel ad jocos & fabulas abu-

abuti sunt ausi; tum ex ipsa Scriptura, quæ dicit, omnem Scripturam divinitus esse inspiratam; tum ex miraculis, quibus DEVS dogmata in Sacris Literis contenta probavit. Contra quam doctrinam pugnat Hæresis Sehvvenckfeldii, & Libertinorum, qui Verbum scriptum tanquam literam occidentem respuunt, soloque Spiritu interno contentos nos esse jubent, uti fusè apud Bellarminum l. 1. c. 1. videre est: Fundamentum horum potissimum est, quòd S. Paulus 2. Cor. 3. dicat: *Litera enim occidit, Spiritus autem vivificat*: qui tamen textus non de Spiritu privato, sed de gratia DEI intelligeudus est, sine qua gratia litera sola impleri non potest, & occasionem potiùs transgressionis præbet, atque adeò hoc sensu meritò occidere dicitur.

II. Secundum dogma est, omnes & solos libros, qui de facto in S. Scriptura numerantur, excepto libro tertio & quarto Esdeæ, verè Canonicos, id idest, pro verò DEI Verbo habendos esse. Fundamentum præcipuum est authoritas Ecclesiæ sic in Concilio Florentino Laodiceno, Carthaginensi, tertio, & novissimè etiam Tridentino Sess. 4. decidentis, uti & Summorum Pontificum, & SS. Patrum omnes & solos hos libros pro Canonicis agnoscentium. Contra quam doctrinam pugnat 1. Hæresis Simonianorum, Basilidianorum, & Marcionitarum omnes libros Veteris Testamenti tanquam à malo Deo dictatos reijcientium. 2. Hæresis aliorum, qui unum duntaxat librum Veteris Testamenti reijciunt, nempe vel Psalmos, vt Nicolaitæ, & Gnonisti: Vel librum Iob, Ecclesiastis, & Cantica, ut Lutherus: Vel Prophetiam Baruch, ut Calvinus & kemnitius: Vel libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici & Machabæorum, ut Calvinus, Zuvinglius, & Lutherus 3. Hæresis Manicheorum omnes libros Novi Testamenti velut multa falsa continentes reijcientiunt. 4. Hæresis aliorum, qui aliquas tantùm partes Novi Testamenti reijciunt, videlicet vel Evangelium S. Ioannis, ut Alogiani: vel omnia præter Matthæi, ut Ebio: præter Lucæ, ut Marcion: præter Marci, ut Cherinthus: præter Ioannis, ut Valentinus: vel Acta Apostolorum, ut Manicheus & Credo: vel omnes Pauli epistolas, ut Ebionitæ. vel Epistolam ad Hebræos, ut Arrius, Marcion, & Lutherus: vel epistolas Iacobi Iudæ Secundam Petri, & secundam & tertiam Ioannis,

ut ite-

ut iterum Lutherus, Brentius, & Kemnitius: vel Apocalipsin, ut Marcion, Alogiani, Theodosiani, & Lutherus cum plerisque Asseclis, de quibus proin omnibus rectè S. Augustini sententia in lib. de bono persev. c. 11. pronuntiari potest: *Scripturas sic accipiunt, ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, quod volunt, sumant: quod nolunt, reiiciant.*

III. Tertium dogma est, veterem ac vulgatam editionem seu versionem esse verè pro authentica habendam, utpote quæ tot seculis in Ecclesia viguerit, & communi Christianorum consensu recepta, & novissimè à Concilio Tridentino approbata sit. Contra quam doctrinam inprimis pugnat Hæresis Calvini, Zvuinglii, & Anbaptistarum nullam versionem pro legitima agnoscentium; deinde Lutheranorum solam Lutheri versionem approbantium.

IV. Quartum dogma est, vulgarem (id est, ab Hebræa, Latina, & Græca distinctam) versionem non esse in publico Ecclesiæ usu adhibendam, nec ejus lectionem omnibus sine discrimine concedendam, uti Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 8. definivit. Contra quam doctrinam pugnat Hæresis Lutheranorum, & Calvinistarum omnibus illius usum permittentium, & publicè etiam in materna lingua eam usurpantium.

V. Quintum dogma est, Scripturam quoad sensuum literalem non esse tam claram, ut sine explicatione sufficiat ad veritates Fidei terminandas. Fundamentum sumitur tum ex S. Scripturæ variis testimoniis; tum ex consensu SS. Patrum tum ex difficilibus locis S. Scripturæ: tum ex ipsa praxi Adversariorum tam multas Interpretationes adhibentium. Cui doctrinæ contraria est Hæresis Lutheranorum Scripturam tam claram esse contendentium, ut à quolibet intelligi queat.

VI. Sextum dogma est, Scripturæ infallibilem Interpretationem soli Ecclesiæ, seu Pontifici cum Concilio convenire. Fundamentum est, tum quia Christus S. Petro dixit Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum.* Et Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*: tum quia communis semper consuetudo Ecclesiæ fuit, ut exorta dissidia circa intellectum Scripturarum ab Ecclesia terminarentur; tum quia sic Pontifices, Imperatores & SS. Patres à Bellarmino citati senserunt tum quia neque Scriptura ipsa;

ipsa, utpote pariter Interpretatione indigens: nec Spiritus privatus, utpote invisibilis, & vim coactivam non habens: nec Principes seculares Iudicis officium subire possint, utpote qui humanam tantùm authoritatem habent. Huic doctrinæ contraria est Hæresis Lutheranorum & Calvinistarum cuivis Interpretationem permittentium.

VII. Septimum dogma est, præter scriptum Dei verbum etiam non scriptum, seu Traditiones Ecclesiasticas, admittendas esse. Fundamentum est: tum quia S. Scriptura 2. Thessal. 2. sic docet dicens: *Itaque state, Fratres, & tenete Traditiones, quas didicistis*: tum quia Concilium Tridentinum Sess. 4. sic definivit: tum quia multi sunt articuli fidei, qui non possunt aliunde, quàm per Traditionem probari, quales v. g. sunt, quòd tota scriptura sit verbum DEI, sit incorrupta, & verum sensum illius habeamus: quòd Symbolum fidei sit verè canonicum & Apostolicum: quòd Infantes sint baptizandi: quòd baptizati ab Hæreticis non sint rebaptizandi: quòd Mater Christi semper manserit virgo: quòd in Baptismo debeat pronunciari hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*: & nisi pronuncietur, baptismus non sit validus; de quibus omnibus illud Tertulliani l. de coron. Milit. cap. 4. rectè usurpatur: *Harum & aliarum eiusmodi Disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix & Fides observatrix.* Huic doctrinæ hæresis Lutheranorum, & Calvinistarum opponitur, quorum hoc decretum est: Non alia doctrina in Ecclesia tradi, & audiri debet. quàm purum verbum Dei, hoc est, S. Scriptura. Doctores vel Auditores alii cum sua doctrina anathema sunto.

§. I.

De Christo.

I. De hoc sequentia dogmata Catholica Fides proponit Primum est Christum esse verum Deum. Quæ veritas fusè à Bellarmino tr. 1, contr. 2, l. 1. c. 4. tum ex scriptura; tum ex Christi nominibus, attributis, operibus, miraculis: tum ex SS. Patrum, & Sybillarum testimonio probatur Quod

dogma

dogma negant Iudæi; Machomettani, novi Arrriani, & Samosateni, teste Bellarmino l. c.

II. Secundum dogma est, Christum esse eundem Deum cum Patre & Spiritu Sancto. Fundamentum est, quia unus tantùm Deus, velut unum principium à se dari potest, uti fusè tam Theologi, quàm Philosophi, probant, à quo dogmate, recedunt inprimis Valentinus Gentilis, & cum eo inter Catholicos, etiam teste Bellarmino, Ioachimus Abbas & Raymundus Lullus tres essentias distinctas admittentes; quo proin in articulo non Catholicè senserunt.

III. Tertium dogma est, Christum esse Personam realiter distinctam à Persona Patris & Spiritus Sancti. Fundamentum est, tum quia generatur à Patre, & Spiritus sanctus ab ipso procedit: tum quia sæpe alius à Patre & Spiritu vocatur in S. Scriptura; tum quia per particolas alias distinctionem significantes tres Personæ exprimuntur, ut cùm dicitur; *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Matth. ult. Et 1. Io. 5. *Tres sunt, qui Testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Cui doctrinæ repugnant Valentinus Gentilis nullam Personarum distinctionem agnoscens; item Transiluani qui saltem ante Incarnationem nullam in Deo distinctionem reperiri docent, sed ubi mentio Patris, Verbi, & Spiritus sancti deprehenditur, potentias seu virtutes Patris; non distinctas ab ea Persona, ralatione, ac proprietate significari volunt, ut Bellarminus l. 2. cap. 1. testatur.

IV. Quartum dogma est, Christum quatenus est DEI Filius, simul cum Patre Spiritum Sanctum spirare, uti fusè probat Bellarminus l. 2. cap. 22. tum ex S. Scriptura passim dicente, quòd omnia, quæ habet Pater, Filio sint communia, & quod Christus miserit, insufflaverit Spiritum sanctum &c. tum ex Conciliis variis, & SS. Patribus tam Græcis, quàm Latinis: tum ratione, quòd scilicet alioquin Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, atque adeò dualitas duntaxat, non Trinitas Personarum haberetur. Cui dogmati acriter se opponunt Græci Schismatici, Ductore Michaele Patriarcha Constantinopolitano, qui volebat Romanum Pontificem, & alios omnes Latinos excommunicatos esse, ab quòd contra decretum Concilii Ephesini aliquid addidissent, deje-

jecto autem Pontifice, primatum ad se velut primarium Patriarcham jure pertinere.

V. Quintum dogma est, Christum quatenus est verbum Patrie verè incarnatum esse, atque adeò, ut Symbolo S. Athanasi dicitur, verè Deum & Hominem esse, Deum ex substantia Patris ante sæcula genitum, Hominem est substantia matris in sæculo natum, perfectum Deum, perfectum Hominem, ex anima rationali & humana carne subsistentem, æqualem Patri secundùm divinitatem, minorem Patre secundùm Humanitatem, qui, licet Deus sit & Homo, non duo tamen, sed unus sit Christus, unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate Personę. Cui articulo repugnat inprimis Hæresis Anabaptistarum disertè docentium, Christum non habuisse veram carnem à Virgine acceptam, sed ex cęlo allatam, atque adeò verè divinam. Deinde Lutherani volentes, Christi carnem habere verò attributa divinitatis, ac præcipuè ubiquitatem, atque adeò unionem hypostaticam in communicatione horum attributorum consistere.

Præterea Eutyches duas in Christo naturas negans, atque adeò divinitatem in carnem conversam fuisse docens Valentini quoque & Manichæi veram Christo Humanitatem negantes, & denique Nestorius, qui docuit, B. Virginem purum Hominem peperisse, qui non solum naturam, sed etiam Personam humanam habebat, ac proinde B. Virginem non esse Dei, sed Christi genitricem, ac Nativitatem, Passionem, Resurrectionem & similia Soli Homini convenire, esse verò Dei Filium, & unum Humanitate, non unitate Personæ, sed habitationis, voluntatis, operationis, participationis &c. quas omnes Hæreses Bellarminus l. 3. cit. fusè refutat.

VI. Sextum dogma est, Christi animam ab ipsa sua creatione adeò repletam scientia & gratia fuisse, ut nihil postea didicerit, quod antea nesciverit: nec ullam actionem fecerit, aut facere potuerit, quæ emendatione eguerit, Fundamentum est, quod passim in S. Scriptura, plenus Sapientia, plenus caritate &, veritate dicatur; & meritò, cùm ab initio Incarnationis jam fuerit Filius Dei, caputque om-

nium Hominum & Angelorum atq; adeò omni sapientia & gratia repleri debuerit. Cui dogmati jam olim se opposuerunt Agnoitæ docentes, Christum diem judicii ignorasse. Et hodie pertinaciùs se opponunt Lutherus, Zuvinglius, Calvinos, & omnes feri hujus temporis Hæretici, teste Bellarmino l. 4. c. 1. asserentes Christi animam & didicisse, quæ ignorabat: & egisse, quod corrigi debuerit.

VII. Septimum dogma est. Christum post mortem quoad animam verè ad Inferos descendisse, & animabus in limbo existentibus beatitudinem communicasse, easque secum ex limbo eduxisse. Ita enim Symbolo Apostolorum, & S. Athanasii, & communi consensu SS. Patrum colligitur. Cui dogmati, primis contraria est sententia Calvini asserentis, Christum non aliter descendisse ad Inferos, nisi quatenus apprehendit Deum sibi iratũ propter nos, & ex metu salutis propriæ amittendæ incredibilem anxietatem est passus, qualem pateretur, qui sciret, se in æternum esse periturum. Vnde etiam verba desperationis, protulisse, & hanc quidem pœnam jam in horto oliveti inchoatam fuisse, semperque magis crevisse; & per eandem pœnam, & non per passionem ipsum Homines redemisse. Deinde eidem dogmati etiam contraria est doctrina & hæresis Buceri & Bezæ, qui per infernum sepulchrum duntaxat, intelligunt; atque adeò Christum ad inferos descendisse, idem significare; ac sepultum esse. Quibus addi posset explicatio Durandi docentis apud Bellarminum, c. 15. Christum non quoad substantiam, sed quoad effectus duntaxat in infernum descendisse.

VIII. Octavum dogma est, Christum fuisse verum mediatorem inter Homines & Deum, non secundum unam duntaxat, sed secundùm utramque naturam ita tamen, ut principium, quo opera illa ab ipso tanquam mediatore fiebant, humana esset Natura, non divina. Fundamentum desumitur ex S. Paulo 1. Tim. 2. dicente: *Vnus Mediator DEI & Hominum, Homo Christus IESVS, qui dedit semetipsum Redemptionem pro multis.* Hinc S. Leo S. 1. de natal. Dom. ait: *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium, nisi esset verus Homo: non præberet exemplum.* Cui dogma repugnant inprimis hæresis Stancari, qui soli naturæ humanæ totum Mediatoris officium tribuit. Deinde Calviniſtarum, & Kemnitii

mnitiis ac Melanchtonis, qui soli divinæ naturæ idem officium attribuunt.

IX. Nonum dogma est, Christum operibus ac laboribus suis non solùm nobis omnibus gratiam & gloriam, sed sibi etiam omnia, quæ post passionem accepit, meruisse. Ita enim ex S. Paulo ad Philipp. 2. habetur, ubi dicit: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod exaltavit illum DEVS.* Cui dogmati contrariam hæresin tradidit Calvinus nullum Christo respectu sui meritum concedens, eò quòd passim nobis natus, & propter nos egenus factus dicatur.

X. Decimum denique dogma est, Christum pro omnibus omnino Hominibus mortuum esse juxta testimonium D. Pauli 2. Cor. 5. dicentis: *pro omnibus mortuus est Christus* & 1. Tom. 2. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Cui tamen doctrinæ Calvinus iterum se opponi docens. Christum pro solis prædestinatis mortuum esse eò quòd reprobi nullam ex morte Christi gratiam acceperint ad bene vivendum.

§. III.

De Romano Pontifice.

I. De hoc sequentia dogmata proponit Catholica Fides. Primum est, S. Petrum verè caput totius Ecclesiæ, & vicarium Christi ab ipso Christo fuisse constitutum. Ita enim tum ex ipsis Christi verbis Matt. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves regni cœlorum &c.* tum ex illis Ioannis 21. *Pasce oves meas &c.* colligitur. Cui dogmati se inprimis opposuerunt Vualdenses circa annum 1120. qui primi ex Latinis se obedientiæ Pontificis subtraxerunt. Post hoc circa annum 1300. quidam Fraticelli dicti docuerunt, primatum Petri pridem cessasse, & ad ipsos fuisse translatum. Post hos Marsilius Paduanus & Ioannes de Ianduno Pontifici Romano omnes Presbyteros pares fecerunt. Deinde circiter annum 1390. Ioannes Vuiclef, & Ioannes Huss Apostolicæ sedi se opposuerunt. Et tandem priori sæculo Lutherus, Calvinus, aliique illorum

Assecłæ toto impetu jugum Pontificum velut vivi Antichristi excusserunt.

II. Secundum dogma est, S. Petrum verè Romanum Episcopum fuisse, & ibidem ad mortem usque permansisse. Hinc enim Romana Ecclesia semper communi consensu pro primaria est cognita. Quod negarunt Guilielmus Vurclesi Præceptor, & Velenus Lutheranus, negantes S. Petrum Romæ fuisse, sed Ierosolymis esse occisum, asserentes. Quibus etiam Calvinus eatenus assentitur, quatenus negat Episcopum fuisse.

III. Tertium dogma est, Romanum Pontificem D. Petro succedere in Episcopatu Romano, & Ecclesiastica Monarchia. Fundamentum est, quia Ecclesia æquè indiget nunc Vicario Christi, ac tempore Apostolorum, & sicut olim in Veteri Testamento sibi, mutuò succedebant summi Pontifices, ita & de novo testamento idem jure meritò dicitur. Contra hoc dogma omnes ferè moderni Hæretici cum Antesignanis suis Luthero & Calvino pertinaciter contendunt, Romanum Pontificem non modò Vicarium Christi non esse, sed potiùs Antichristi loco habendum; sed falsò, quia Antichristus non veniet, nisi everso Romano imperio, præmissa Prædicatione Henoch & Eliæ, & non nisi per tres annos cum medio regnabit: uti fusè demonstrat Bellarminus l. 3. c. 4. hæc autem omnia non habent locum in Pontifice.

IV. Quartum dogma est, Pontificem esse summum Iudicem in Controversiis Fidei & morum dijudicandis Fundamentum sumitur tum ex officio Iudicis, cujus sententia clara esse debet, qualis non semper est Scriptura: tum ex parte controversiarum, quæ sæpe non continentur in Scriptura: tum ex praxi veteris ac novi testamenti, in quibus ad Pontifices remittebatur ejusmodi decisio; tum ex Analogia Iudicum civilium, qui, licet secundùm lege judicare debeant adhuc tamen ipsis, & non legibus Iudicis officium competere dicitur. Cui dogmati contraria est hæresis omnium ferè Hæreticorum Modernorum Scripturam pro Iudice agnoscentium.

V. Quintum dogma communiter receptum est, Pontificem, cùm totam Ecclesiam docet, errare non posse, hoc enim indicat promissio à Christo facta D. Petro, dum Luc. 22. dixit:

dixit: *Ego pro te rogavi: ut non deficiat fides tua*: Cui doctrinæ iterùm repugnant Moderni Hæretici, asserentes Pontificem, hoc ipso, quòd sit homo ex natura sua mendax, infallibilis Iudicis munus gerere non posse.

VI. Sextum dogma est, eundem Pontificem habere jurisdictionem verè coactivam ad leges, quæ in conscientia obligent, condendas, posseque judicare, ac punire transgressores. Fundamentum desumitur ex pluribus S. Scripturæ locis, maximè ex verbis Christi Matth. 16. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*. Cui dogmati acriter se opposuerunt, VValdenses, VViclef, Ioannes Huss. omnesque Lutherani & Calvinistæ, negantes ullam similem potestatem Pontifici competere.

§. IV.

De Conciliis.

I. Conciliorum nomine hoc loco idem significatur in Ecclesia, quod nomine comitiorum in Regnis, inquit Bellarminus l. 1. ca. 3. sicut enim, cùm oritur controversia in Republica conveniunt in unum Principes regni, vel Magistratus, ac statuunt, quid facto opus sit; ita in Ecclesia, cùm oritur controversia aliqua de Religione, conveniunt Præsules Ecclesiarum, & simul collatis sententiis statuunt, quod bonum videtur. Vnde citatus Bellarminus probabilius judicat, ea non humanum esse inventum, sed planè divinum, ab ipso Ecclesiæ exordio Apostolis inspiratum. Porro hæc Concilia communiter quadrupliciter dividuntur, nam alia dicuntur *Generalia* seu *Oecumenica*, ad quæ omnes Episcopi totius orbis convenire debent, nisi legitimè impediantur, quibus nemo, nisi Pontifex, vel ejus Legatus præsidet. Alia *Nationalia* vocantur, quibus Episcopi unius regni vel nationis intersunt, & Patriarcha aliquis vel Primas præest. Alia *Provincialia* nominantur, in quibus tantùm Episcopi unius Provinciæ cum suo Archiepiscopo, qui præsidet, conveniunt. Alia denique *Diœcesana* vocantur, in quibus Episcopus Presbyteris Diœcesis convocatis præest. Porro hoc loco de Conciliis generalibus potissimùm sermo est, de quibus Catholica fides sequentia dogmata proponit.

II. Primum dogma est, ad solum Pontificem spectat Concilia œcumenica per se, vel alium cum ejus facultate convocare. Fundamentum est, quia Concilium legitimum in nomine, id est, authoritate Christi, seu ab eo, qui congregandi potestatem habet, convocari debet: talis autem fuit S. Petrus (cui Christus ante Ascensionem Ecclesiam suam gubernandam commisit) & successores illius. Huic dogmati contraria est hæresis Lutheri, Calvini, & Magdeburgensium Centuriatorum docentium hanc potestatem Soli Imperatori convenire.

III. Secundum dogma est, ad Concilium per se solos Prælatos majores, id est, Episcopos cum jure suffragii decisivi convocandos esse; ex privilegio tamen & consuetudine etiam Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum cum eodem jure suffragii vocari posse. Fundamentum est, quia definire, quæ sunt credenda vel agenda, officium Pastoris est, uti colligitur ex D. Paulo ad Eph. 4. dicente: *Alios autem Pastores & Doctores*. Huic dogmati opponit se inprimis Brentius volens: solos electos & sanctos vocandos. Item Lutherus contendens, omnis generis eruditos admittendos, ex quibus tamen nemo jus quidquam decidendi, præter Scripturam, habeat, sed inquirendi duntaxat.

IV. Tertium dogma est, Concilia generalia à summo Pontifice approbata nec in fide, nec in moribus, errare posse. Fundamentum desumitur ex primo Concilio dicente: *Visum est spiritui Sancto, & nobis*: & præterea quia Concilium tale approbatum repræsentat Ecclesiam universam, quæ est columna veritatis. Cui dogmati iterum contradicunt Calvinus, Lutherus, & eorum Asseclæ, volentes Concilia generalia non tantùm ante confirmationem (quod plures etiam Catholici fatentur, nisi Legati sequentes Instructionem Pontificis consentiant) sed etiam post approbationem errare posse.

V. Quartum dogma apud plerosque receptum est, Concilium generale non esse supra, sed sub Pontifice, ita ut hic neminem Superiorem agnoscat. Sic enim olim in Concilio Sinvessano dicebant Patres S. Marcellino: *Prima sedes à nemine judicatur*. Cui tamen dogmati præter aliquos Catholicos volentes Concilium supra Papam esse etiam Hæretici

tici moderni se opponunt, volentes Papam non habere ullam specialem potestatem, sed potius esse de sede sua velut Antichristum deturbandum.

§. V.

De Ecclesia.

I. De hac sequentia dogmata habentur. Primum est, Ecclesiam unicam duntaxat esse, eamque rectè definiri cœtum Hominum ejusdem fidei Christianæ professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorũ Pastorum, ac præcipuè unius in terris Christi Vicarii Romani Pontificis. Cui dogmati variæ hæreses contradicunt; nam aliqui solos prædestinatos ad Ecclesiam pertinere volunt, ut Vviclef. Vvaldenses, & Ioannes Huss: alii solos perfectos nullum peccatum habentes, ut Pelagiani aliis solos justos, qui nunquam contra fidem peccarunt, ut Novatiani & Donatistæ: alii solos Sanctos, qui verè credunt & obediunt DEO, ut Confessionistæ: alii denique solos justos predestinatos includi volunt, ut Calvinus.

II. Secundum dogma est, Ecclesiam Catholicam esse verè visibilem; eò quòd ubicunque reperitur nomen Ecclesiæ in S. Scriptura, tribuatur id Congregationi visibili: & præterea, cùm Ecclesia sit Societas, quædam Hominum visibilibus & externis signis duci cupientium: & eandem etiam omnes sequi teneantur; quomodo autem sequentur, si visibilis non existat? Huic dogmati hæresis communis pluribus hæreticorum se opponit ac pertinaciter contendit Ecclesiam invisibilem, Solique DEO cognitam esse.

III. Tertium dogma est, Ecclesiam deficere non posse, cùm Christus Matth. ult. promiserit, se cum illa usque ad consummationem sæculi permansurum, &, ut Matth. 16. prædixit, portas Inferi non prævalituras adversus eam. Huic doctrinæ contraria est hæresis Calvini docentis apud Bellarminũ l. 3. c. 11. Ecclesiam visibilem omnino deficere posse, non autem invisibilem.

IV. Quartum dogma est, Ecclesiam nullo modo errare posse: quia, teste S. Paulo 1. Tim. 3. Ecclesia est columna &

firmamentum veritatis, ac quam proinde semper SS. Patres, velut ad Iudicem controversiarum provocant in rebus ad fidem spectantibus. Contraria huic dogmati est hæresis Lutheranorum docentium totam Ecclesiam posse errare in fide.

V. Quintum dogma est, geminas notas Ecclesiæ esse, quòd sit una, sancta, Catholica, Apostolica. Has quippe Symbolum Constantinopolitanum enumerat, quia reliquæ ad has revocari possunt. Bellarminus tamen l. 4. c. 4. & seqq. claritatis gratia quindecim assignat, videlicet 1. Catholicæ & Christianorum nomen. 2. Antiquitatem. 3. Durationem diuturnam & interruptam. 4 Multitudinem & varietatem credentium. 5. Successionem Episcoporum in Romana Ecclesia. 6. Conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua. 7. Vnionem membrorum inter se, & cum Capite. 8. Sanctitatem doctrinæ. 9. Efficaciam doctrinæ convertentis animas. 10. Sanctitatem Auctorum. 11. Gloriam miraculorum. 12. Lumen Propheticum. 13. Confessionem Adversariorum. 14. Infelicem exitum eorum, qui eam oppugnarunt. 15. Felicitatem temporalem collatam iis, qui eam defenderunt. Huic dogmati se opponunt Hæretici duas tantum notas admittentes, nempe prædicationem sinceram Evangelii, & sincerum usum Sacramentorum. Ita Calvinus, Brentius, Confessio Augustana & alii, quibus Lutherus etiam legitimam electionem Ministrorum, Orationem publicam in vernacula lingua, & Catechismum, & mysterium Crucis, id est, tribulationes intus & foris adjungit.

VI. Sextum dogma est, extra hanc Ecclesiam neminem salvari posse: cùm Christus, qui est Sponsus Ecclesiæ, non sit adulter, atque adeò nullos pro Filiis suis agnoscat, nisi ex hac Sponsa sua natos; unde rectè S. Cipriannus in lib. de unit. Eccl. ait: *Non habet DEVM Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.* Et ut S. Augustinus lib. de unit. Eccl. c. 19. ait, *ad ipsam salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum; habere autem caput Christum neme poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.* Huic doctrinæ omnes hodie se Hæretici opponunt, sed illi maximè, qui quemvis in sua fide salvari posse concedunt.

§. VI.

§. VI.

De Clericis.

I. Sub Clericorum nomine intelliguntur hoc loco ij Homines, qui quasi Domini sors & hæreditas Divino cultui consecrati; procurandæ religionis ac rerum sacrarum providentiam ac sollicitudinem, DEO ipso jubente, susceperunt; de quibus sequentia dogmata Fides Catholica proponit.

II. Primum est, rectè & sapienter Clericorum ordinem à Laicis distinctum in Ecclesia introductum esse; sic enim & vetustissima praxis, & ratio corporis mystici varietatem membrorum & officiorum exigens suadet. Cui doctrinæ contraria est hæresis Lutheranorum, qui cum suo Antesignano Luthero, Christianorum Populum simplicem esse volunt, in quo nulla differentia Personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus Monachus esse debeat.

III. Secundum dogma est, Ordinationem (quæ nihil aliud est, quàm sacra Cæremonia, qua Clerici certo ritu inunguntur, ac consecrantur) Ministrorum Ecclesiæ ad solos Episcopos pertinere. Sic enim passim Divinæ Scripturæ, Conciliorum decreta, veteres Patres, mos Populi DEI, & exempla Majorum testantur, ut fusè Bellarminus to. 1. contr. 5. l. 1. c. 3. ostendit. Huic dogmati se Lutherus ac Calvinus cum Asseclis opponunt contendentes, ordinationem ejus modi ad solos Pastores pertinere, ut illi nomine Populi manus imponant.

IV. Tertium dogma est, Vocationem seu Missionem (quæ nihil aliud est, quàm Iurisdictionis collatio, & actualis Pastoris constitutio) non ad Populum, sed ad Episcopos, & potissimum ad summum Pontificem pertinere; uti iterum tum ex S. Scriptura, tum ex Apostolica consuetudine probatur. Cui dogmati contraria iterum est Hæresis Lutheranorum & Calvinistarum docentium ejusmodi vocationem ad solum Populum pertinere.

V. Quartum dogma est, etiam Ius electionis Iure Divino non competere Populo, sed si quid aliquando hac in re Populus potuit, id totum ex conniventia & concessione Pontificum habuisse. Fundamentum desumitur ex epistola S. Pauli

Pauli ad Hebr. cap. 5 ubi ait, Neminem sibi assumere debere honorem, nisi vocetur à DEO tanquam Aaron, qui à solo Moyse in Pontificem, absque Populi consensu electus est. Huic dogmati Lutheranorum & Calvinistarum iterum Hæresis contraria est, qui etiam Electionis jus solit Populo concedunt. Item Ioannis VVicleſ, & Ioannis Huſs, qui contendunt solus DEI munus esse, Pastores eligere, eò quòd soli pij & prædestinati Pastores esse possint.

VI. Quintum dogma est, septem Ordines Ecclesiasticos rectè partim à Christo, partim ab Ecclesia institutos fuisse, videlicet Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Ostiarios, Lectores. Exorcistas, Acolythos, uti tum Concilia Florentinum & Tridentinum serm. 23. cap. 2. tum Ecclesiæ usus probat. Huic dogmati contraria est Calvini & Kemnitii hæresis, qui tres duntaxat Ordines, Episcoporum (quos ipsi Pastores vocant) Presbyterorum (quos seniores, vel Verbi Ministros appellant) & Diacònorum admittunt.

VII. Sextum dogma est, Cælibarum Ordinibus Sacris rectè fuisse ex constitutione Apostolica annexum; sic enim tum ex S. Paulo ad Tit. c. 1. dicente, Episcopum debere sobrium, continentem &c. esse; tum ex ipsa muneris qualitate colligitur; si enim Veteris Testamenti Sacerdotes eo tempore, quo ministrabant an tabernaculo, debebant ab uxoribus abstinere, Sacedotes Novi Testamenti, qui semper ministrant, rectè dicuntur semper abstinere debere, ut probabiliter discurrit Ven. Beda in c. 1. Luc. Huic dogmati contradicit in primis hæresis Vigilantii docentis, nullum ordinari debere Subdiaconum aut Diaconum, nisi priùs Vxorem ducat, eò quòd post Ordines sacros id facere ampliùs non liceat; & nimis magno periculo se exponat, qui sine uxore vivit. Deinde eidem magis contradicit hæresis VVicleſi, Lutheri, Calvini, Bezæ, & aliorum, qui contendunt, etiam post ordinationem uxores duci ab Ordinatis posse.

VIII. Septimum dogma est, rectè etiam ab Ecclesia constitutum esse, ut bigamos ordinare non liceat; sic enim tum ex Scriptura ad Tit. c. 1. dicente: *Diaconi sint unius uxoris vir*: tum ex communi consensu SS Patrum, & antiqua Ecclesiæ consuetudine colligitur. Cui dogmati contradicit Hæresis Lutheri & Calvini ac aliorum liberè tales ad Ordinationem admittentium, & dicentium; quòd textu S. Scripturæ cit. solummodo fornicatio, aut adulterium prohibeatur, vel certè ne plures uxores simul accipiantur.

IX. Octavum dogma est, decimas saltem indeterminate, id est, quatenus aliquam partem fructuum significant, Sacerdotibus justè tam divino, quàm Ecclesiastico jure persolvi; sic enim jam olim lex antiqua (quæ in moralibus etiam nunc observari debet) & Ecclesiastica quoque lex ordinavit. Cui tamen dogmati se opponunt inprimis VVicleſ, volens decimas nullo jure deberi Sacerdotibus, sed curas esse eleemosynas, ideoque malis Sacerdotibus omnino dandas non esse. Deinde Fraticelli seu Pseudo-Apostoli, docentes, neminem posse recipere decimas, nisi qui in paupertate more Apostolorum viveret.

X. Nonum dogma est, non esse prohibitum Clericis, ut certas possessiones habeant; alioqui enim frustra Concilia, & Canones prohiberent bona Ecclesiastica abalienari. Vnde hæresis est VVicleſi putantis, non licere Clericis ejusmodi possessiones habere.

XI. Decimum dogma est, Clericos in causis Ecclesiasticis Iure Divino exemptos esse, non tamen ab obligatione legum civilium (si quidem Sacris Canonibus & officio Clericali non repugnent) quamvis etiam ob harum transgressionem à Iudice sæculari puniri possint: bona verò ipsorum tam Ecclesiastica, quàm sæcularia jure humano libera esse, à tributi Principum sæcularium (nisi alio titulo speciali talibus tributis obnoxia sint) quæ omnia tum ex Conciliis variis, tum ex SS. Patrum testimoniis, tum ex Apostolorum exèplo probat Bellarminus c. 28. Huic tamen dogmati contrarium docent Calvinus. Brentius & alii asserentes, Clericos in omnibus, præterquam causis Ecclesiasticis, subjectos esse debere Magistratui politico.

§. VII.

De Monachis.

I. Monachorum nomine hoc loco non tantum intelliguntur Monachi strictè accepti, qui soli vitæ contemplativæ dant ope-

operam, ut Cassinenses, Carthusienses, & similes, sed etiam alii Regulares, & Religiosi, qui vel solam activam vitam, vel simul etiam contemplativam profitentur, de quibus habentur sequentia dogmata.

II. Primum dogma est, Monachatum non esse novum inventum; cùm, uti Bellarminus l.2.c.5. ostendit ex Cassiano collat.18.cap.9 & SS. Patribus, Cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ inceperit; imò, ut ipse ait, ipsi Apostoli fuerint primi Monachi Christiani. Vt qui & votum continentiæ, obedientiæque fecerant,& omnia communia habebant. Huic dogmati contrarium docet Philippus Melanchton à Bellarm.cit c.6.

III. Secundum dogma est, multa esse verè & propriè dicta Consilia Evangelica, sed præcipuè Continentiam, Obedientiam, & Paupertatem, quæ nec sint præcepta, nec indifferentia, sed DEO grata, & ab eo commendata. Ita enim tum S. Scriptura varii in locis, tum primævæ Ecclesiæ exempla, tum SS. Patrum testimonia probant. Cui doctrinæ contraria inprimis est Hæresis Encratitarum volentium, neminem salvari posse, qui cælibem vitam non duceret; aut, nisi omnibus renunciaret, ut Pelagiani dicebant. Deinde hæresis Iovviniani consilium continentiæ negantis,sicut Vigilantius paupertatis, & Lampetiani obedientiæ rejecerunt consilium. Et tandem hæresis Lutheranorum & Calviniſtarum cum Vvicleffo dicentium, non modò prohibita esse à DEO ejusmodi consilia, sed etiam stulta & inania.

IV. Tertium dogma, prædicta consilia laudabiliter voto firmari, & per eadem DEVM verè & propriè coli, uti tum exemplis S. Scripturæ, tum SS. Patrum testimonio, tum ipsa voti, quæ verè est actus Religionis, natura probari potest. Cui tamen dogmati contrarius est error Lutheri & Calvini docentium, vota de rebus non præceptis non posse fieri ad colendum DEVM.

V. Quartum dogma est, ad vota obedientiæ, castitatis & paupertatis licitè admitti quamcunque ætatem liberi arbitrii usu præditam, uti testimonio S. Scripturæ Thren.3. dicentis; bonum esse viro, cùm portaverit jugum ab Adolescentia sua: tum S. Ioannis Baptistæ exemplo: tum testimoniis SS. Patrum probari potest. Cui tamen dogmati se opponunt

ponunt Lutherus & Calvinus volentes non nisi ante sexagesimum aut septuagesimum annum quemquam ad talia vota admittendum esse.

VI. Quintum dogma est, Filios invitis Parentibus talia vota edere posse; si ad annos pubertatis pervenerint, & Parentes sine illorum auxilio sustentare se possint; si enim in tali casu licet Maritum eligere, cur non liceat DEVM præferre? inquit S. Ambrosius. Contrariam tamen huic dogmati doctrinam tradidit Lutherus, Magdeburgenses & alii apud Bellarminum.

VII. Sextum dogma est, etiam Conjugatis licitum esse. continentiam ex consensu mutuo vovere. Vti exemplo B. Virginis & S. Iosephi, plurimumque aliorum apud Bellarminum c.37. cit. probatur. Contra hoc tamen dogma exurgit Petrus Martyr cum Magdeburgensibus asserens, S. Paulum tantùm ad tempus ejusmodi continentiam 1. Cor. 7. concessisse.

VIII. Septimum dogma est, etiam Matrimonium ratum, & non consummatum per talia vota solvi; uti ex Concilio Tridentino Sess. 24. c. 6. & Iure Canonico habetur. Negant tamen ea dissolvi posse Erasmus,& Magdeburgenses, eò quòd Matrimonium ratum sit verum Sacramentum, atquè adeò indissolubile esse debeat.

IX. Octavum dogma est, Eremiticam vitam non modò licitam, sed etiam sanctam, perfectam, Deoque gratam esse; alioqui enim S. Scriptura Matth. 1. & Luc. 1. malè S. Ioannem Baptistam laudaret, & SS. Patres idem institutum commendarent, utpote per quod norunt, viros perfectissimos & miraculis clarissimos evasisse. Huic dogmati contradicunt Calvinus & Magdeburgenses negantes licitam esse hanc vitam, tum propter solitudinem, quam ex odio generis humani oriri putant: tum propter nimiam vitæ severitatem, qua eos in se peccare, vitam abbreviando, periculisque sese exponendo, & stulto labore vexando censent.

X. Nonum dogma est, habitum quoque & tonsuram Monachorum licitam & laudabilem esse, cum & antiquissimus sit, & significationem admodum honestam & piam habeat, scilicet agendæ pœnitentiæ & contemptus Mundi, & Spineæ coronæ Christi. Vnde immeritò Calvinus, & Magdeburgenses apud Bellarminum c. 40. habitum & tonsuram

ut res superstitiosas, & S. Scripturæ, usuique purioris Ecclesiæ non conformes damnant.

XI. Decimum Dogma est, laudabile esse, licitumque, ut Monachi labore proprio vivant vendentes opera sua: vel ex bonis communibus: ex bonis relictis aut donatis: vel ex mendicatione se sustentent: hos omnes quippe modos se alendi tum multi Pontifices, tum continuus SS. PP. & Fidelium sensus; tum multa miracula per ejusmodi Mendicantes patrata ostendunt. Contrarium tamen docent inprimis Messaliani sive Euchitæ negantes posse Religiosos se labore suo sustentare, sed potiùs debere in DEO confidere, & alienis laboribus vivere. Deinde Vvicleſus, & Calvinus volentes debere Regulares ex proprio labore vivere, atque adeò non posse licitè mendicare, ne se periculo fame moriendi exponant, & legem Divinam ac humanam, quæ talem mendicitatem voluntariam vetat, violent.

§. VIII.

De Laicis.

I. Per Laicos hoc loco nihil aliud intelligitur, quàm illi Homines, quibus nulla pars Ecclesiasticæ ac Spiritualis functionis commendata eo, de quibus sequentia dogmata proponit Catholica nostra fides.

II. Primum dogma est, licitum esse Christianis, Magistratus gerere, & tribunalia, ac jus gladii possidere; uti tum testimoniis S. Scripturæ in utroque testamento: tum exemplis Sanctorum, tum ex fine Principatus, qui est dirigere & defendere alios, colligitur; nec enim hic finis obtineri faciliè posset, si quivis Christianus seorsim vivere deberet. Huic dogmati cõtrarius est error Anabaptistarum & Trinitariorum negantium tales Magistratus & judicia ullo modo Christianis à Christo permissa esse.

III. Secundum dogma est, ejusmodi potestatem etiam impiis gratias DEI carentibus convenire posse; cum fundamentum Dominii non sit gratia sed natura; & ideo innumera exempla afferri possint, quibus probetur, similem potestatem etiam impiis concessam fuisse. Contrarium tamen dogma

gma tradiderunt Armacanus, Ioan. VViclef, & Ioannes Hussius volentes, præcipuum titulum Dominii esse caritatem & justitiam acgratiam DEI.

IV. Tertium dogma est, posse Magistratum condere leges in conscientia obligantes: quia sicut Magistratui proprium est leges condere juxta illud S. Scripturæ Prov. 8. *Per me Reges regnant, & Legum Conditores justa decernunt*. Ita legi proprium est in conscientia obligare, certè pleræque rationes, quæ probant legem Divinam obligare in conscientia, etiam de humana idem evincunt, uti fusè ostendit Bellarminus l. 3. c. 11. Huic tamen dogmati se oppoluerunt inprimis VValdenses & Anabaptistæ, qui utrumque negant; deinde Calvinus, qui concedit quidem, leges à Magistratu ferri posse, sed eas in conscientia non obligare.

V. Quartum dogma est, licitum esse Christianis bella justa gerere, uti tum testimoniis S. Scripturæ & SS. Patrum; tum exemplis plurimorum Sanctorum; tum auxiliis, quibus DEVS juvit talia bella gerentes; tum ex ipsa conservandæ reipublicæ necessitate fusè probat Bellarminus c. 14. contra Manichæos & Anabaptistas negantes ejusmodi bella licite esse, sed potiùs à Christo & Apostolis interdicta. Item contra Lutherum, qui saltem contra Turcas illicitum esse bellum contendit.

VI. Quintum dogma est, ad Magistratum quidem pertinere defensionem Religionis, non autem judicium; quia Ecclesiam gubernandam non Magistratui politico, sed S. Petro & Successoribus commisit, defendere tamen eandem debent, quia unum corpus cum Ecclesiastico Magistratu constituunt, atque adeò ea omnia, quæ Religionem velut animam corporis politici destruere possunt (qualis vel maximè foret libertas quidlibet credendi) removere tenentur. Oppositum tamen docent Brentius & Melanchton Magistratui politico, non tantùm defensionis, sed etiam judicis officium committentes. Item Themistius Philosophus, qui Valenti Imperatori persuadere conatus est, ut omnes sectas admitteret, utpote gratissimum DEO opus, si pluribus modis colatur, quam libertatem etiam Germani aliqui Principes anno 1524. Spiræ petierunt.

VII. Sextum dogma est, posse hæreticos ab Ecclesia damna-

damnatos publicis pœnis affici, eorumque libros penitus aboleri; quia sic exigit mandatum DEI & Christi jubentium falsos Prophetas & quoscunque alios pacem publicam turbantes occidi; atqui Hæretici & falsi Prophetæ sunt, & pacem magis, quàm fures, adulteri, & latrones turbant. Contrarium tamen docuit Ioannes Huss, & post ipsum Lutherus volentes, ut potiùs juxta Christi monitum utraque crescere sinantur.

§. IX.

De Purgatorio.

I. Per Purgatorium hìc intelligitur locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac vita purgatæ satis non fuerunt, ut nimirum sic purgatæ in cœlum ingredi valeant, quò nihil coinquinatum introibit, de quo Catholica fides sequentia proponit dogmata.

II. Primum dogma est, verè tale Purgatorium existere, in quo animæ necdum penitus expiatæ ad tempus torqueantur; hoc enim probari potest tum testimoniis utriusque testamenti & SS. Patrum, & Conciliorum; tum ex ipsa natura venialium peccatorum, cum quibus aliquis mori potest, atque adeò pœnæ obnoxius manere. Contrarium tamen Vvaldenses, Apostolici, Albigenses, Huss & Vviclefus. Lutherus: Calvinus, & Zuvinglius tenent.

III. Secundum dogma est, solos Homines justos cum peccato veniali, aut certè absque adæquata satisfactione pro peccato mortali morientes, hoc purgatorio purgari & cruciari; quia damnati pœnæ æternæ sunt obnoxii; qui verò sine omni peccato & reatu moriuntur, non sunt ampliùs digni pœna. Contra hoc dogma tamen docùit Origenes etiam eorum, qui in mortalibus peccatis mortui sunt, penam duntaxat temporalem esse. Item alii à S. Augustino lib. 21. de civ. Dei c. 18. & seq. citati, qui eos solos, qui aliquando Christiani fuerunt, pœna purgatorii ob quæcunque peccata puniri docent.

IV. Tertium dogma est, animas in purgatorio nihil amplius

pliùs mereri posse; quia sic passim Scriptura testatur dicens apud Inferos non esse scientiam, non esse invenire cibum, non mercedem, & similia. Contrarium tamen olim docuerat Lutherus, quando Purgatorium confitebatur.

V. Quartum dogma est, animas in purgatorio de sua salute certas esse; cùm judicium particulare jam sit peractum, atque adeò sciant, se ad pœnas æternas damnatas non esse. Contrarium tamen idem Lutherus olim & Michael Bajus censuerunt.

VI. Quintum dogma est, Purgatorii pœnas tantum usque ad diem judicii duraturas; quia Christus Matth. 25. duos tantùm Ordines Hominum post extremum judicium futuros dicit, scilicet Beatos & Damnatos. Contrarium tamen docuit Origenes ho. 14. in Lucam, dum etiam ultra resurrectionem eas pœnas duraturas contendit, ut, sicut corpora cum anima peccaverunt, ita cum eadem suas etiam pœnas sustineant.

VII. Sextum dogma est, animas defunctorum piè viventium suffragiis recreari, & liberari; sic enim expressè in lib. 2. Machab. c. 12. dicitur, Sanctam & salubrem esse cogitationem, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Oppositum tamen docent hæretici moderni penè universi.

VIII. Septimum dogma est, Sepulturam Catholico more & ritu fieri non solitam, non modò sanctam, sed etiam meritoriam esse; sic enim 2. Reg. 2. expressè dicitur: *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum, & nunc retribuet vobis Dominus.* Vnde malè Hæretici hujus temporis rident morem Catholicam, quo defunctorum corpore in locis sacris, cum usu cereorum sepeliuntur, negantque hoc opus esse meritorium, eò quòd Christus ipse enumerans Matth. 25. alia opera misericordiæ de hoc nullam mentionem fecerit.

§. X.

De Cultu Sanctorum.

I. De hoc sequentia dogmata proponit Ecclesia Catholica. Primum est Animas Sanctorum jam nunc frui visione beatifi-

ca, uti constat tum ex variis S. Scripturæ & SS. Patrum testimoniis; tum continua Ecclesiæ praxi; tum ex variis visionibus; tum ex ipsa DEI liberalitate, quæ non minor est ad præmiandum, quam sit Iustitia ad puniendum, ergo si damnati jam nunc puniuntur, etiam Sanctos nunc præmiari concedendum est. Contrarium tamen docuere Tertullianus, Vigilantius, Calvinus & alii volentes, post Resurrectionem universalem primùm eos sua gloria fruituros.

II. Secundum dogma est, Sanctos rectè ab Ecclesia canonizari, ut eos honorare, laudare, & imitari possimus; atque in hac Canonizatione Pontificem, ad quem solum ea pertinet, errare non posse; sic enim præparatio & cautela, quæ in Canonizatione tali adhibentur, & complura miracula à talibus Sanctis edita, meritò credere jubent. Quidquid in oppositum Vviclef cum Luthero & Calvino dixerit.

III. Tertium dogma est, Sanctos legitimè per cultum aliquem Divino cultu minorem, & majorem cultu civili coli à Fidelibus; sic enim & S. Scripturæ, & SS. Patrum testimoniis, & communi Ecclesiæ praxi hactenus probatum fuit contra Lutherum, & alios constanter negantes hunc cultum permitti posse.

IV. Quartum dogma est, eosdem Sanctos etiam piè & fructuosè invocari à Fidelibus posse; verèque pro his orare, & intercedere; sic enim ex S. Scriptura, Conciliis, SS. Patribus, & communi Ecclesiæ praxi colligitur. Negant tamen hoc pertinaciter moderni Hæretici, & ante illos tempore S. Bernardi, Henriciani, Petrobrusiani & Apostolici ac Taboritæ.

V. Quintum dogma est, etiam reliquias Sanctorum pio cultu venerandas esse; uti iterum tum ex S. Scriptura, tum ex Conciliis & SS. Patribus, tum ex miraculis, quę ad earundem pium contactum & venerationem patrata sunt; tum ex miraculosis inventionibus, tum ex eo, quod fuerint organa ad tam præclara Sanctorum opera & miracula, pignora Patronorum, exuviæ carissimorum Amicorum, trophæa triumphantium, incitamenta virtutum, & designata membra ad incredibilem splendorem & gloriam. Huic tamen dogmati vehementer se opposuerunt Eunomius & Vigilantius, Constantinus Copronymus Imperator, & tandem novissimè Vviclefitæ, Lutherani & Calvinistæ, qui cultum istum superstitiosum & impium damnare sunt ausi.

VI. Sextum dogma est, Imagines DEI, Christi, & Sanctorum non esse duntaxat publicè proponendas (ut quæ ad caritatem erga DEVM & Sanctos fovendam, excitandam imitationem, confessionem fidei faciendam, ipsius Christi & Sanctorum memoriam conservandam conducunt) sed etiam pio & religioso cultu venerandas esse, uti tum DEVS ipse indicavit, dum imagines Cherubin super arcam existentes, & Serpentem æneum in deserto venerandum proposuit, unde S. Augustinus concludit, si licuit venerari imaginem Christi in forma serpentis, cur non potiùs erit venerabilis imago Christi in forma Hominis? sed & tot miraculis eundem cultum confirmavit: tum beneficia plurima, quæ cultoribus imaginum sunt collata; tum pœnæ & infelices exitus, quos Iconomachi, & earundem imaginum contemptores sunt experti. Huic dogmati contraria est hæresis Mahumetanorum, qui primi fuisse Iconomachi dicuntur; quos postea varii Imperatores, Leo Isauricus, Constantinus Copronymus, & Leo Armenius secuti sunt; & tandem Ioan. Vviclef, Andreas Carolstadius Zvvinglius, & Calvinus in eorum vestigia successerunt.

VII. Septimum dogma est, etiam templa in DEI & Sanctorum honorem laudabiliter erigi; uti ex Christi, Apostolorũ, & primorum Christianorum exemplo, & ex ipso fine, propter quem eriguntur, scilicet propter orationem, sacrificium, reliquiarum asservationem, & populum DEI Verbo & Sacramentis pascendum, colligitur. Cui tamen dogmati contradicit hæresis Manichæorum & Petrosianorum, Anabaptistarum, Lutheranorum, & Calvinistarum, quorum priores omnino non erigenda dicebant; posteriores verò saltem non splendidè ornanda aut consecranda, sed præcisè ad conciones & Sacramentorum administrationem adhibenda asserebant.

VIII. Octavum dogma est, rectè & salubriter in Ecclesiis aquam, oleum, panem cereos, cineres, ramos palmarum, & similia benedici; tum quia ipse Christus Matth. 14. & Luc. 9. panes antè quàm distribueret, benedixit: tum quia D. Paulus 1. Tim. 4. dixit: *Omnis creatura DEI bona est, & nihil abiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per Verbum DEI & orationem*: tum quia vetus

est traditio ab ipso tempore Apostolorum (saltem quoad aquæ benedictionem) ad nos usque deducta: tum quia finis est optimus & honestissimus; benedicuntur enim 1. ad significandos effectus spirituales, nam cineris aspersio significat pœnitentiam: Cerei Paschales gloriam resurrectionis: palmæ victoriam &c. 2. Ad delectionem venialium peccatorum. 3. Ad fugandos Dœmones, morbosque curandos, ut ex precibus, quibus consecrantur, patet; licet hos effectus non infallibiliter, ut Sacramenta, causent, cum vim suam non habeant ex pacto expresso DEI, sed Ecclesiæ duntaxat precibus, utentiumque devotione habeant. Huic dogmati se opposuerunt in primis Vvaldenses, & Flagellantes, qui omnem pietatem constituebant in sanguine per flagellationem sponte effuso, atque adeò omnia alia Sacramenta & Sacramentalia contemnebant, & aspergillum, quo aqua aspergitur, clavum mortis, ipsas verò guttas disperiæ aquæ scintillas infernales vocabant. Vviclefus verò practicam Necromantiæ vocabat. Lutherus denique & Calvinus non Apostolicum, sed Pontificium & inutile inventum esse asserebant.

IX. Nonum dogma est, etiam peregrinationes ad loca & templa sacra piè ac utiliter institui; tum quia jam olim etiam in Veteri Testamento ter in anno in Ierusalem peregrinari debebant, & hanc legem ipse Christus cum Parentibus observavit; tum quia SS. Patres eas vehementer commendant, tum quia triplicem utilitatem afferunt, nempe honorem Sanctis & DEO, satisfactionem verò, & devotionem suscipientium augent, Huic dogmati contraria est hæresis Petrobrusianorum, Vviclefistarum (qui idololatriam eas vocabant) & Calviniſtarum, qui cum suo Authore eas inanes & plenas omni impietate esse asserunt.

X. Decimum dogma est, Vota quoque, quæ Sanctis nuncupantur, licita, pia, & honesta esse: sic enim & Antiquorum Patrum à Bellarmino l. 3. c. 9. citatorum sensus & communis Fidelium usus ab Ecclesia approbatus docet. Hæc tamen vota miris modis irridet Erasmus, & cum eo plerique moderni Hæretici.

XI. Vndecimum dogma est, dies Festos in honorem DEI & Sanctorum institutos, verè aliis diebus esse sanctiores, & sacratiores, & partem quandam divini cultus; tum quia SS. Patres

Patres passim eos Sanctos, & omni veneratione dignos vocant, tum quia non apparet ratio, cur loca & res variæ consecrari queant, & non etiam tempus simili modo sacrari possit: tum quia finis est optimus, scilicet repræsentatio variorum Mysteriorum, memoria Sanctorum, & major ad opera pietatis occasio. Huic tamen dogmati contrarium non pauci Hæretici docuerunt: nam 1. Ebionitæ etiam Iudaica Festa observari volebant, deinde Petrobrusiani & Vvaldenses omnia Festa tollebant; Lutherus tandem & Calvinus ea tantùm disciplinæ, ordinis ac politiæ causa, non autem ratione mysterii admittebant, ideòque nullam diem altero sanctiorem esse, aut in conscientia ad observationem obligare dicebant.

XII. Duodecimum dogma est, rectè ab Ecclesia pro Paschate celebrando tempus certum à tempore, quo Iudæi id celebrant, distinctum fuisse constitutum nempe Dominica proxima Lunæ decimæquartæ post vernum æquinoctium, sic enim varia consilia decreverunt, ne cum Iudæis interfectoribus Christi concurreret Ecclesia, & ut uniformitas in servando Paschate servaretur. Cui tamen dogmati repugnant inprimis AErii, qui Pascha omnino dicebant non esse celebrandum, eò quòd Iudaismum saperet. Deinde Blasti, qui volebant, illud eodem cum Iudeis tempore celebrandum. Post hos Cappadoces, qui semper vigesimo quinto Martii celebrari id putabant debere. Britones verò & Scoti post Lunam decimam tertiam celebrabant. Et tandem Novatiani cuique liberam esse debere temporis Paschalis electionem contendebant.

§. XI.

De Sacramentis in genere.

I. De his sequentia dogmata proponit Catholica Fides. Primum, dari Sacramenta, eaque rectè a Concilii Tridentini Cathechismo sic definiri: *Est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione, Sanctitatis & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet*. Contra hoc dogma variæ exortæ sunt Hæreses. Nam 1. Archontici, Fraticelli seu Beguini, Pauliciani, Schvvenckfeldiani solis verbis loco Sacramentorum utebantur. 2. Messaliani, Armeni Lutherani, Calviniſtæ

admittunt quidem Sacramenta, sed nuda signa, eaque non necessaria esse contendunt.

II. Secundum dogma est, omnia Sacramenta rebus & verbis constare à Christo Domino institutis, uti ex Concilio Florentino, & perpetua Traditione constat. Cui tamen dogmati contraria est Calvini hæresis docentis in solo baptismo verba, & quidem concionatoria duntaxat requiri: item Brentii & aliorum Lutheranorum, qui volunt verba in Sacramentis ad instruendum tantùm Populum esse necessaria.

III. Tertium dogma est, verum Ministrum Sacramentorum esse quemlibet hominem baptizatum & ratione præditum, sed solum in Ecclesia ritè ordinatum, baptismo tamen & Matrimonio exceptis, si enim in lege veteri non omnes poterant Sacramenta ministrare, meritò hoc ipsum etiam de Sacramentis novæ legis dicitur. Huic dogmati contradicit Lutherus, qui non Homines duntaxat omnes baptizatos, sed etiam Dæmones Ministros esse posse concedit.

IV. Quartum dogma est, non solùm bonos, sed etiam malos Ministros validè administrare Sacramenta posse; tum quia sic antiquissima habet traditio ab ipso tempore Apostolorum: tum quia Minister non sua, sed Christi authoritate & nomine administrat Sacramenta, & ideo etiam Circumcisio olim à Samaritanis ministrata legitima putabatur. Contraria huic dogmati est hæresis Donatistarum, Vvaldensium, & Albigensium, ac Vvicleſi, Hussii, & aliorum.

V. Quintum dogma est, invalidum esse Sacramentum, si desit legitima intentio faciendi, quod Christus instituit; quia per hanc intentionem determinari debet indifferentia formæ. Vnde hæresis est opinio Lutheri, Calvini, & Kemnitii docentium, Sacramentum perfici, si res adsint & verba, licet fictè vel irrisoriè Minister actionem illam peragat.

VI. Sextum dogma est, Sacramenta non ex opere operantis, sed ex opere operato conferre gratiam; quia passim in S. Scriptura ipsis Sacramentis vis tribuitur; & alioqui si nuda essent signa, etiam ab hominibus institui possent. Contrarium sentiunt Messaliani, Lutherani, & Calvinistæ totam efficaciam Sacramentorum fidei tribuentes.

VII. Septimum dogma est, nullum Sacramentum veteris legis gratiam ex opere operato per modum causæ contulisse;

lisse; uti tum ex S. Scriptura & SS Patribus; tum verò etiam ex eo colligitur, quòd nullibi talis virtus Sacramentis illis collata legatur. Huic dogmati contraria est hæresis Lutheri; qui saltem ea Sacramenta veteris legis, quę promissionem annexam habebant, ut iris, & ros in vellere, justificare hominem contendebat. Calvinus tamen omnia illa Sacramenta justificasse docebat, licet non tam copiosè, ut novæ legis Sacramenta.

VIII. Octavum dogma est, per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem præter gratiæ collationem, etiam Characterem spiritualem animæ imprimi: per quem homo fiat aptus ad cultum divinum, configuretur Christo, & ab aliis distinguatur. Fundamentum est, quia hęc sola Sacramenta iterari non possunt, cujus alia ratio commodior reddi non potest, quàm quia Character ex Christi institutione imprimitur. Contraria tamen est hæresis Vvicleſi, Calvini, Kemnitii, & aliorum asserentium, talem Characterem probari non posse, sed ab Innocentio tertio, qui multa mala decreverit, & fecerit, fuisse excogitatum.

IX. Nonum dogma est, septem duntaxat esse Sacramenta novæ legis, videlicet Baptismum, Confirmationem, Evchariſtiam, Pœnitentiam, Ordinem, Vnctionem, Matrimonium, uti tum ex Conciliis, tum unanimi sensu Theologorum, & variis congruentiis probat Bellarminus to. 2. l. 2. à c. 23 Contrariæ hæreſes sunt inprimis Lutheri, qui alicubi unum duntaxat, alibi duo assignat, Baptismum scilicet, & Evchariſtiam; alibi verò etiam Pœnitentiam adjungit. Zuvinglii, qui Baptismum, Cęnam, & Matrimonium. Calvini, qui Baptismum, Cœnam, & Ordinationem, Melanchtonis, qui Baptismum, Cœnam, Pœnitentiam, Ordinationem admittit.

X. Decimum dogma est, rectè etiam Cæremonias sacras in Sacramentorum institutione adhiberi; tum quia ab ipso Christo & Apostolis aliquæ sunt institutæ: tum quia ejusmodi cæremoniæ sunt utiles ad memoriam, intelligentiam, & voluntatem juvandam, & excitandam, ipsamque religionem conservandam: & præterea sunt meritoriæ, utpote exterior fidei & religionis professio: & sunt pars cultus divini dum faciunt, ut DEVS non tantùm animo, sed etiam corpore colatur. Cui tamen dogmati se unanimiter opponunt Lutherani, Cal-

ni, Calviniſtæ, & alii Hæretici, has cæremonias velut ſuperſtitioſas & inutiles damnantes.

§. XII.

De Sacramentis in ſpecie, & præcipuè de Baptiſmo & Confirmatione.

I. De his ſequentia dogmata tradit Catholica fides, Primum eſt, Baptiſmum, quem omnes pro Sacramento agnoſcunt, etiam Hæretici, in vera & naturali aqua adminiſtrandum eſſe: cùm aquæ ſolius Scriptura meminerit. Huic tamen dogmati varii ſe oppoſuerunt: nam Manichæi omnino aquam rejiciebant. à Diabolo, ut putabant, productam. Seleucus & Hermias eam non admittebant, quia ad Ioannis baptiſmum ſpectabat, Chriſti autem baptiſmus potiùs in igne adminiſtrandus videbatur. Iacobitæ loco aquæ ferro candente figuram Crucis in frontibus exprimebant. Pauliciani pro aqua ſubſtituebant Verba: *Ego ſum aqua viva.* Lutherus omnem liquorem balnei nomine nuncupabilem, atque adeò etiam vinum, lac, & cerviſiam pro materia baptiſmi admittebat.

II Secundum dogma eſt formam baptiſmi legitimam eſſe, vel eam, quam Latini adhibent dicentes: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: vel eam, quam Græci uſurpant dicentes: *Baptizetur N. in nomine Patris &c.* hæc enim forma eſt conformis illius Chriſti verbis Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filiis, & Spiritus Sancti*: Et antiquæ traditioni Pontificùmque Pelagii & Zachariæ definitioni. Contra hoc dogma pugnant in primis Gnoſtici in nomine ignoti Patris, in veritate Matris omnium, & in nomine deſcendentis IESV baptizantes. Arriani in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto baptiſmum conferentes. Brentius legitimam quidem hanc formam agnoſcens, ſed non neceſſariam.

III. Tertium dogma eſt, baptiſmum non tantùm neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate medii neceſſarium eſſe ad ſalutem: quia ſic colligitur ex c. 3. Ioan. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum*

gnum cœlorum. Contraria huic dogmati eſt hæreſis Pelagianorum negantium Baptiſmum neceſſarium eſſe ad remiſſionem peccati originalis, licet ad aſſecutionem gloriæ neceſſariam putent. Item modernorum Hæreticorum, abſolutè negantium eſſe neceſſitate medii neceſſarium.

IV. Quartum dogma, Miniſtrum baptiſmi ſolemnis eſſe ſolos Presbyteros vel Diaconos, non ſolemnis verò etiam Laicos ratione præditos, ſic enim ex Concilis, & communi ſenſu SS. Patrum habetur. Vnde hæreſis eſt doctrina Calvini docentis etiam in caſu neceſſitatis nemini licitum eſſe baptizare, niſi ordinato Miniſtro.

V. Quintum dogma eſt, infantes licitè & validè baptizari: tum quia circumciſio, quæ erat figura baptiſmi, etiam Infantibus adminiſtrabatur; tum quia etiam Infantes indigent remedio ſalutis, ſi hoc tempore mori eos contingeret. Contrarium tamen pertinaciter docuerunt Anabaptiſtæ, & nonnulli alii.

VI. Sextum dogma eſt, Infantibus per baptiſmum verè infundi habitum fidei, ſpei, & caritatis; nullam tamen actualem fidem eſſe neceſſariam, niſi quatenus ipſe baptiſmus eſt profeſſio fidei, & quatenus pro ipſis Patrini fidem profitentur; quæ doctrina habetur tum ex Conciliis, tum ex communi ſenſu SS. PP. & Theologorum. Contra quam tamen pugnant inprimis Lutherani docentes, actualem fidem & inclinationem ad diligendum Deum requiri in Infantibus, ſicut S. Ioannes Baptiſta in utero exultavit. Deinde Sacramentarii negantes ullam fidem etiam habitualem eſſe neceſſariam.

VII. Septimum dogma eſt, Baptiſmum ex opere operato delere omnem culpam & pœnam, gratiamq; & alios habitus virtutum annexos conferre, ac characterem imprimere, uti ex Scriptura, Conciliis, & communi ſenſu Theologorum habetur. Contra quod dogma Hæretici apud Bellarminum l. c. c. 12. docent, baptizatum non poſſe damnari, niſi nollet credere, liberari quoque ab omni divinæ & humanæ legis, obligatione, ac omnibus votis; imò ſolam etiam memoriam Baptiſmi juſtificare à peccatis poſt Baptiſma patratis.

VIII. Octavum dogma eſt, Baptiſmum Ioannis non fuiſſe Sacramentum ex opere operato juſtificans; quia conſtat

stat illo, qui olim à S. Ioanne baptizati fuerant, iterum fuisse baptizatos, quod fieri non debuisset, si ille baptismus fuisset verum Sacramentum. Contrarium tamen Lutherus secutus Petilianum Donatistam docuit.

IX. Nonum dogma est, Confirmationem esse verum Sacramentum à Christo institutum. Vti tum ex S. Scriptura Luc. ult. *Sedet in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.* Tum ex Conciliis, & SS. Patribus probari potest contra hoc dogma pugnant Novatiani, Donatistæ, VValdenses, & multi ex Lutheranis & Calvinistis.

X. Decimum dogma est, Ministrum Sacramenti hujus ordinarium esse solum Episcopum, uti Concilia & SS. Patres communi consensu docent, & vel ex eo etiam probatur, quòd confirmatio sit complementum Baptismi, & adscriptio in militiam Christianam, atque adeò à primario Ministro, & duce peragi debeat. Contrarius tamen error est VVicleſi, Calvini, Kemnitii & aliorum, hoc officium etiam Presbyteris simplicibus concedentium.

§. XIII.

De Sacramento Evchariſtiæ.

I. Primum dogma est, in almo SS. Evchariſtiæ Sacramento post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum IESVM Christum, verum Deum ac Hominem, verè realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri absque substantia panis & vini remanente uti Concilium Trid. S. 13. can. 1. definivit & colligitur ex illo Io. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et ex ipsis formæ consecrationis verbis: *Hoc est corpus meum.* Huic dogmati se opponunt Simoniani & Mendicani, Gnostici, Arcontici, Donatistæ, Albigenses, negantes adesse corpus Christi. Deinde Calvinus & Zvvinglius, qui nudum duntaxat signum ibidem contineri dicebant. Et tandem Lutherus cum asseclis, qui panem cum corpore Christi manere contendit.

II. Secundum dogma est, sub qualibet specierum parte quantumcunque parva totum Christum contineri; sic enim Con-

Concilium Tridentinum can. 3. traditio, & Scriptura Rom. 6. docent. Contrarium tamen sentiunt Calvinus, Beza, VVicleſ, & alii, negantes, Christum posse in Evchariſtia existere, nisi occupet locum.

III. Tertium dogma est, corpus Christi in Evchariſtia adesse per veram conversionem substantiæ panis in corpus Christi, & vini in sanguinem Christi; quæ conversio postea Transsubstantiatio appellata est quia; sic Concilia & SS. PP. ex veritate verborum consecrationis colligunt. Contrarium docent Berengarius & Lutherani volentes panem cum corpore manere, & vere etiam hypostaticè Christo uniri, ita ut dici possit: *Panis est corpus Christi.*

IV. Quartum dogma est, corpus Christi etiam peracta consecratione permanere sub speciebus, nec Sacramentum hoc in usu duntaxat consistere. Ita Tridentinum Sess. 13. can. 4. Contra hoc tamen dogma Bucerus, Calvinus, Petrus Martyr, & Illyricus contendunt, panem & vinum tunc tantùm esse Sacramentum, quando bibuntur, aut comeduntur.

V. Quintum dogma est, pro Calicis materia vinum aqua mixtum esse offerendum, uti ex constanti traditione SS. Patrum habetur. Huic dogmati contrariam hæresin docuerunt inprimis Ebionitæ, Tatiani, & Aquarii solam aquam sob ietatis prætextu consecrari debere asserentes. Item Armeni & Lutherus solum vinum sine aqua consecrandum dicentes.

VI. Sextum dogma est, ministrum Evchariſtiæ conficiendæ solum Presbyterum, sive bonum, sive malum, esse; uti habetur ex recepta traditione & consensu Ecclesiæ. Contra hoc dogma pugnant Lutherus, asserens etiam Diabolum valide consecrare posse; & VViclefus dubitans, an possit malus Sacerdos consecrare, & id non possit bonus Laicus.

VII. Septimum dogma est, effectum Evchariſtiæ esse spiritualiter pascere & nutrire sumentem, non autem peccata mortalia per se remittere; quia semper Evchariſtia negabatur indignis, seu peccatoribus notoriis, quod signum est, remissionem peccatorum non esse primarium effectum Evchariſtiæ. Huic tamen dogmati se opponit Lutherus, docens primarium effectum illius esse peccatorum remissionem, atque adeò, quò plura quis peccata habet, tantò aptiorem esse ad communionem, modò credat, sibi peccata remitti.

VIII. Octa-

VIII. Octavum dogma est, Eucharistiam sub una specie æquè legitimè, ac si sub duabus speciebus sumeretur, accipi; cùm sub bina specie totus Christus non magis, quàm sub una reperiatur. Contrarium tamen docent passim Sacramentarii & Lutherani dicentes sub pane solum corpus, sub vino solum sanguinem reperiri.

IX. Nonum dogma est, Christum in Eucharistia existentem verè cultu Latriæ esse adorandum; uti Concilium Tridentinum Sess. 13. can. 6. definivit, & meritò, cùm verè etiam Deitas ob unionem cum corpore Christi reperiatur. Huic tamen dogmati pertinaciter contradicunt Lutherani, & Calvinistæ asserentes, Christum in usu duntaxat seu sumptione Sactamenti adesse.

X. Decimum dogma est, Missam à Catholicis celebrari solitam esse verum sacrificium, uti Bellarminus l. 5. à c. 5. fusè probat tum ex variis S. Scripturæ textibus: tum ex figura Agni Paschalis & veterum Sacrificiorum: tum ex vaticiniis Prophetarum: tum ex verbis institutionis Evchariſtiæ: tum ex traditione Patrum: tum ex Altaribus & nomine Sacerdotis: tum ex Liturgiis, & fructu Missæ: tum ex conjunctione Religionis cum Sacrificio: tum ex comparatione legis Christianæ cum Mosaica: tum ex differentia Sacramenti & Sacrificii: tum ex Ecclesiæ consensu. Negant tamen hoc Sacrificium omnes Hæretici Neoterici, teste Bellarmino l. c. c. 5.

XI. Undecimum dogma est, Sacrificium hoc Missæ verè propitiatorium esse, cùm non minùs, ac antiqua Sacrificia, contineat hostiam DEO gratissimam, & præterea passionis Christi commemorativum sit, imò & præcipuum Sacerdotis officium sit pro peccatis hostiam offerre. Contrarium docent Lutherus & Calvinus cum omnibus Asseclis, volentes Eucharistiam largo duntaxat modò Sacrificium dici posse, in quantùm scilicet distributio & manducatio sit in honorem DEI, & in gratiarum actionem passionis Christi.

XII. Duodecimum dogma est, Sacrificium hoc pro mortuis etiam licitè & utiliter offerri; cùm sit verum Sacrificium atque adeò non minùs pro defunctis offerri queat, quàm Iudas Machabæus olim 2. Mach. 12. Sacrificium pro defunctis offerri jussit. Contrarium tamen hodie passim affirmant Hæretici.

XIII. De-

XIII. Decimum tertium dogma est, missas privatas, in quibus solus sacerdos communicat, licitè & laudabiliter à pluribus Sacerdotibus eodem die celebrari; sic enim ex veteri Ecclesiæ usu, & ipsa ratione Sacrificii probatur, si enim antiqua Sacrificia plura eodem die & loco offerre licebat, quidni multò magis Sacrificium hoc à Solis Sacerdotibus sæpius in die celebrari queat? Negant tamen eas licitas esse Kemnitius, & passim moderni Hæretici.

XIV. Decimum quartum dogma est, Missam neque in vulgari lingua celebrandam, neque quoad omnia clara voce pronunciandam; cum non sit primariò ad Populum instruendam, sed ad Deum colendum, variaque dona ab eo impetranda instituta; atque adeò necesse non sit, ut Populus omnia verba intelligat; sed potiùs reverentiam Mysterii deceat aliqua submissè dici, & non sæpiùs ad aures vulgi efferri, ut S. Basilius l. de Spir. S. c. 27. monet. Contradicunt tamen constanter Lutherani, passim in vulgari lingua totam missam clara voce legentes.

XV. Decimum Sextum dogma est, Cæremonias in Sacrificio missæ adhiberi solitas, & pias, & utiles, ac laudabiles esse, uti fusè de singulis tum ex antiqua consuetudine, tum ex variis testimoniis probat Bellarminus l. 6. c. 14. & seq. Execrantur tamen has ferè omnes Cæremonias Calvinistæ cum suo Authore. Lutherus verò missam tantò magis Christianam esse ait, quò simpliciorem, id est, similiorem missæ Christi, carentem vestium, gestuum, cantuum &c. apparatu.

§. XIV.

De Pœnitentiæ Sacramento.

I. De hac Catholica fides sequentia proponit dogmata. Primum est, Pœnitentiam in lege gratiæ signis externis manifestatam, accedente verbo Absolutionis esse verum & propriè dictum Sacramentum; uti tum ex illis Christi verbis Io. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &, quarum retinueritis, retenta sunt*: tum ex SS. Patrum baptismo cum conferentium testimonio: tum ex Concilio Tridentino Sess. 14. can. 1. & universalis Ecclesiæ sensu colligitur

Nega-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Negarunt tamen hoc Sacramentum primi Montaniſtæ, de in Novatiani, & tandem Zvvinglius, & Calvinus.

II. Secundum dogma eſt, Sacramentum Pœnitentiæ à Sacramento Baptismi verè diſtinctum eſſe; uti tum ex circumciſione, quæ erat figura baptiſmi noſtri, & non erat remedium pro peccatis poſt circumciſionem commiſſis: tum ex ſcriptura & SS. Patribus hoc ſacramentum ſecundam poſt naufragium tabulam vocantibus: tum ex Concilii Tridentini definitione Seſſ. 14. can. 2. colligitur. Huic tamen dogmati contraria eſt hæreſis Lutheri, Melanchtonis, Calvini, negantium id eſſe diſtinctum.

III. Tertium dogma eſt, tres duntaxat eſſe partes materiales pœnitentiæ, ſcilicet, Contritionem, Confeſſionem, Satisfactionem, uti tum ex Concilio Tridentino Seſſ. 14. can. 4. tum ex communi SS. PP. ſenſu habetur. Repugnant tamen inprimis Calviniſtæ terrorem à lege incuſſum ad abſolutionis beneficium requirentes; deindè Lutherani fiduciam, qua quis credat, peccata ſibi ex Evangelii pollicitatione remitti, exigentes.

IV. Quartum dogma eſt, Contritionem, quæ eſt dolor animi de peccato commiſſo, conjunctus cum propoſito de cætero non peccandi, eſſe neceſſariam ad ſacramentum pœnitentiæ, vereque remittere peccata cum confeſſione, etiamſi tantùm ex timore pœnæ infernalis, aut æterni præmii ſpe procedat: ſi verò caritate formatus ſit, etiam ante confeſſionem peccata remittere; uti tum ex Scriptura & SS. Patribus, tum ex Concilio Tridentino Seſſ. 14. cap. 4. colligitur. Contra hanc tamen doctrinam pugnant Lutherus, Kemnitius, & Calvinus negantes contritionem eſſe cauſam remiſſionis peccatorum.

V. Quintum dogma, Confeſſionem Sacramentalem à Chriſto Inſtitutam, verè ad ſalutem jure divino neceſſariam eſſe, uti fuſiſſimè Bellarminus l. 3. ex Evangelio, figuris, Conciliis & SS. Patribus per duodecim ſæcula probat. Negant tamen hujus confeſſionis neceſſitatem Montaniſtæ, & Novatiani, Audiani, VVicleſus, & noviſſimè Calviniſtæ & Lutherani, aſſerentes, non eſſe neceſſariam omnium peccatorum gravium, & circumſtantiarum explicationem.

VI. Sextum dogma eſt, remiſſa culpa, non ſemper ſimul

mul etiam omnem pœnam remitti, atque adeò meritò à Sacerdotibus Sacramentalem pœnitentiam imponi; uti tum ex Concilio Tridentino can. 13. 14. & 15. tum ex SS. Patribus fusè à Bellarmino can. 9. cc. probatur. Negant tamen hanc partem Sacramenti Pœnitentiæ eſſe neceſſariam Lutherus, Calvinus, & paſſim moderni Hæretici, aſſerentes ejuſmodi ſatisfactiones inventum Pontificium eſſe, per quas Evangelium obſcuretur, & doctrina traditionum humanarum amplificetur.

VII. Septimum dogma eſt, dari in Eccleſia theſaurum indulgentiarum, cujus diſpenſatio ſummo Pontifici ſit conceſſa; uti tum ex Conciliis, tum ex natura Reipublicæ Chriſtianæ, in qua ſemper diſpenſatio bonorum communium ad ſuperiorem pertinet. Oppugnarunt autem has indulgentias VValdenſes, VViclef, Huſſitæ, Lutherus, Calvinus, & alii.

§. XV.

De Sacramentis Extremæ Vnctionis, Ordinis, & Matrimonii.

I. De his ſequentia dogmata proponit Catholica fides. Primum eſt, extremam unctionem eſſe verum Sacramentum novæ legis: ſic enim ex Iacobi c. 5. Concilio Tridentino Seſſ. 14. can. 1. colligitur. Reiiciunt tamen hoc Sacramentum VValdenſes, Albigenſes, VViclef, Lutherus, Calvinus, & eorum Aſſeclæ.

II. Secundum dogma eſt, etiam Ordinationem eſſe verum Sacramentum, uti S. Paulus indicavit, dum Timotheum 1. c. 4 adhortans ait: *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum*. Negant hoc Sacramentum Lutherus Illyricus, Kemnitius, & alii.

III. Tertim dogma eſt, Sacramentum Matrimonii pariter verum eſſe Sacramentum, uti colligitur tum ex S. Scriptura Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*: tum ex SS. PP. teſtimonio: tum ex ipſa inſolubilitate Matrimonii, cujus nulla alia efficax cauſa reddi poteſt, niſi quia Sacramentum eſt. Negarunt tamen Sacramentum hoc Simon Magus, Manichæi, Adamiani, Euſtatiani, Apoſtolici,

ſtolici, Albigenſes, Lutherus, Calvinus, & alii moderni hæretici plerique.

IV. Quartum dogma eſt, Sacramentum Matrimonii conſummatum quoad vinculum eſſe indiſſolubile; uti colligitur ex S. Scriptura Matth. 5. *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat*; tum ex Conciliis & SS. Patribus; tum ex ratione, quia alioqui aditus patefieret infinitis adulteriis, & repudiis, maleque Filiis ex priore Matrimonio natis conſuleretur; tum denique ex ipſa natura Matrimonii Sacramentalis, quod Chriſti & Eccleſiæ conjunctionem, non ſolubilem, ſed inſolubilem ſignificat. Contra hoc dogma tamen pugnant inprimis Græci, & Calvinus docentes ob fornicationem alterius Conjugis diſſolvi etiam vinculum Matrimonii. Item Lutherus volens id ſolui etiam propter rixas conſtantes, diuturnam abſentiam alterius conjugis, inductionem ad peccatum, imò quoties uxor non eſt commoda viro vel è contra.

V. Quintum dogma eſt, Matrimonium inter Conſanguineos & Affines ſecundùm computationem Iuris Canonici, & non civilis legis, aut Levitici libri faciendum eſſe: Fundamentum deſumitur ex eo, quòd cognatio ſit vinculum eorum, qui ab uno propagantur, atque adeò non poſſit melior ſupputatio, quàm per diſtantiam ab illo haberi; alioqui ſecundus gradus ſine primo daretur. Huic tamen dogmati contradicunt, inprimus Vviclefus, docens matrimonium in ſolo primo gradu dirimi, deinde Lutherus, ſolos gradus in Levitico prohibitos obſervandos eſſe aſſerens; & tandem Beza volens ſupputationem juris civilis, & gradus in Levitico prohibitos obſervari, ita tamen, ut non dirimant matrimonia contracta.

VI. Sextum dogma eſt, judicium circa cauſas Matrimoniales ad valorem contractus, benedictionemque Sacerdotalem pertinentes ad Eccleſiaſticum Magiſtratum ſpectare; uti colligitur tum ex Concilio Tridentino Seſſ. 24 can. 12. tum ex praxi Eccleſiæ; tum ex ipſa natura Matrimonii, quod, cùm ſit Sacramentum, & res à divinis legibus pendens, meritò de ejusdem valore & adminiſtratione judicium ad Eccleſiaſticum Magiſtratum pertinere dicitur. Huic dogmati contrarius

trarius eſt error Melanchtonis volentis ejuſmodi cauſas ad politicum Magiſtratum pertinere debere. Kemnitius verò eos tantùm caſus ad Eccleſiaſticum Magiſtratum pertinere dicit, qui ex verbo Dei pendent.

§. XVI.

De Gratia primi Hominis.

I. Cùm Sacramenta, ut dictum eſt hactenus, ad juſtificationem hominis gratiamque ei conferendam ordinentur, meritò ad naturam ejuſdem gratiæ rectiùs intelligendam, de gratia primo Homini collata, ejuſque amiſſione & reparatione agitur, de qua quidem ſequentia dogmata proponit Catholica fides.

II. Primum dogma eſt, Hominem primum non fuiſſe conditum, qualis nunc naſcitur, pronum ad malum, infirmum, ignorantem, ſed rectum, juſtum, Sapientem, ſine concupiſcentia & difficultate, quam modò experimur, gratia & juſtitia originali ornatum, nec ſpeciali auxilio, quo ad bene operandum excitaretur, egentem, ſic enim tum Scriptura Gen. 1. dicens, hominem ad imaginem (per quam intelligentia & voluntas intelliguntur) & ſimilitudinem (per quam ſapientia & juſtitia innuuntur) Dei conditum: tum communis. SS. Patrum ſenſus probat. Huic tamen dogmati contrarium docent partim Pelagiani aſſerentes, Adamum fuiſſe tali modo conditum, quales de facto alii Homines naſcuntur: partim Lutherus & Calvinus aſſerentes Adamum quidem ſine omni dono ſupernaturali creatum fuiſſe, nunc tamen poſt ipſius lapſum in eo deteriores naſci, quòd libero arbitrio, quo ipſe primus homo in prima creatione præditus fuerat, careat.

III. Secundum dogma eſt, Adamum, ejuſque poſteros, ſi non peccaſſent, nunquam morituros fuiſſe, & hanc immortalitatem tunc verè donum ſupernaturale futuram fuiſſe: ſic enim priorem partem paſſim S. Scriptura indicat, dum ait, per unum Hominem peccatum in hunc mundum intraſſe, & per peccatum mortem. Rom. 5. & præterea ex eo etiam colligitur, quòd primus homo ante peccatum ſapientiſſimus fuerit, atque adeò noxia facilè vitare: & per lignum vi-

tæ & arborum fructus facilè reſtaurare vires potuiſſet : ne verò violenter moreretur , DEVS providentia ſua ſpeciali effeciſſet . Quod autem hoc donum immortalitatis ſupernaturale futurum fuiſſet , colligitur tum ex unanimi SS. Patrum ſenſu , ut apud Bellarminum to. 3. l. de gratia . c. 9. videre eſt : tum ex S. Scripturæ Gen. can. 1. teſtimoniò, ubi dicitur homini : *Pulvis es , & in pulverem reverteris* : quibus verbis clarè indicatur , eum natura ſua immortalem non fuiſſe futurum . Huic tamen dogmati duplex error eſt contrarius . Primus Pelagianorum aſſerentium , hominem fuiſſe moriturum , etiamſi non peccaſſet . Alter Lutheri & Calvini docentium , abſque peccato hominem primum moriturum quidem non fuiſſe , ſed illam immortalitatem naturalem duntaxat futuram fuiſſe .

IV. Tertium dogma eſt , Paradiſum , in quo primus homo habitavit, verè terreſtrem, corporalemque , & non ſpiritualem ac allegoricum duntaxat fuiſſe ; ſic enim tum Scriptura Gen. 2. indicet , dicens , plantaviſſe Deum paradiſum , fluvium egreſſum de illo , & Adamum ab eo ejectum fuiſſet , quæ omnia utique Paradiſo corporali potiùs conveniunt , quàm ſpirituali ; tum SS. Patres paſſim docent . Contrarium tamen jam olim Philo Iudæus , Valentinus Hæreſiarcha , & Origenes à Bellarmino c. 10. citati docuerunt .

V. Quartum dogma eſt , Cherubinum ad Paradiſi cuſtodiam collocatum , verum Angelum fuiſſe ; ſub hoc enim nomine ſemper Angeli in Scriptura intelliguntur . Vnde inepta meritò ac ridicula cenſetur Iacobi Chii , novi Hæreſiarchæ ſententia dicentis, Cherubin illum fuiſſe ſimulachrum hominis horribili forma, larvaque contectum , atque in Paradiſi foribus à Deo conſtitutum, ſicut Agricolæ in ſatis & hortis palos laceris veſtium pannis obductos defigere ſolent ad aves arcendas .

VI. Quintum dogma eſt , lignum ſcientiæ boni & mali ſic appellatum , quòd guſtatum ob inobedientiæ culpam multa mala adferret, ac per hoc homines experiendo diſcerent diſcrimen boni & mali, quod antea per ſolam contemplationem didicerant . Ita Bellarminus c. 17. cum SS. PP. Contra tamen hoc dogma Ioſephus Iudæus, & Ophitæ hæretici docent, eam arborem ſic appellatam fuiſſe, eò quòd vim habuerit ingenium acuendi , & prudentiam augendi .

§. XVII.

§. XVII.

De amiſſione gratiæ & Statu peccati .

I. De hac materia ſequentia dogmata tradit Catholica fides . Primum eſt , peccata quædam ex natura ſua , nulla habita ratione ad prædeſtinationem vel reprobationem , aut ad ſtatum renatorum vel non renatorum , eſſe mortalia , quædam venialia , & prioribus quidem indignum reddi hominem amicitia Dei , & mortis æternæ reum ; poſterioribus autem tantùm paternæ caſtigationis reum conſtitui ; ſic enim colligitur tum ex S. Scriptura Matt. 5. dicente : *Qui iraſcitur Fratri ſuo , reus erit iudicio : qui dixerit racha , reus erit concilio : qui dixerit , fatue , reus erit gehennæ ignis* : tum ex traditione Eccleſiæ & SS. Patrum : tum quia peccata venialia ex natura ſua non ponunt in homine averſionem à Deo , ob quam ſolam æternæ mortis reus conſtituitur; & per ſe notum eſt, inter amicos illa peccata , quæ leviora ſunt , amicitiam non diſſolvere , ſed facilè condonari . Huic dogmati contraria inprimis eſt hæreſis Pelagii & Iouiniani docentium omnia peccata mortalia eſſe . Deinde Vviclefi & Calvini , qui peccata prædeſtinatorum venialia , reproborum verò omnia mortalia eſſe aſſerunt . Denique Lutheri , Melanchtonis . Illyrici docentium ea tantùm peccata eſſe venialia , quæ à Deo non imputantur . qualia ſunt quæ cum fide ſeu fiducia miſericordiæ conſiſtunt , & omnino involuntaria ſunt :

II. Secundum dogma eſt , Deum non ſolùm non eſſe , ſed nec eſſe poſſe cauſam peccati ; ſic enim colligitur ex S. Scripturæ variis locis , in quibus dicitur , in Deo non eſſe peccatum, eum non velle , odiſſe iniquitatem &c. item ex teſtimoniis SS Patrum ; & ex ipſa natura Dei , quæ eſt ſumma ſapientia & ratio , & lex æterna , atque adeò nihil his contrarium admittere poteſt . Cui tamen dogmati varii Hæretici ſe opponunt ; inter quos primus Simon Magus dicebat Deum eſſe cauſam peccati , quia naturam dedit , quæ non poſſit non peccare . Deinde Cerdoniſtæ , Marcioniſtæ, Manichæi , Priſcillianiſtæ , Albigenſes duo principia ac veluti duos Deos, bonum & malum , & hunc cauſam eſſe peccati

dixerunt. Tandem verò primus Florinus Montani discipulus apertè Deum verum peccati Authorem facere ausus est, quem postea etiam Zvvinglius, Calvinus, & Beza secuti sunt, dum docuerunt, DEVM ab æterno decreviſſe, ut peccata fierent, & ad ea impellere, hortari, imperare, imò etiam per eos tanquam instrumenta operari peccata.

III. Tertium dogma est, Adamum verè fuisse à Diabolo, qui per verum & naturalem serpentem loquebatur, tentatum, & in culpam inductum; uti tum ex S. Scriptura, si propriè, ut potest, & debet, accipiatur: tum ex SS. Patrum communi sensu colligitur. Cui dogmati contrarii sunt inprimis, qui, teste Bellarmino l. 3. can. 1. docuerunt, primos homines nec peccare, nec tentari potuisse: Deinde Ophitæ, qui Sapientiam Dei dicebant fuisse serpentem illum, eamque in odium creatoris, cui ipsa contraria esset, primorum hominum oculos aperuisse, ut bonum ac malum dignoscerent.

IV. Quartum dogma est, peccatum primorum Parentum præcipuum Superbiam fuisse; uti tum ex S Scriptura, tum ex SS. Patribus probant Theologi. Contraria tamen huic dogmati est hæresis Lutheri docentis peccatum illud infidelitatem fuisse, quòd scilicet non crediderint se morituros, si fructum vetitum degustassent.

V. Quintum dogma est, Primos Parentes verè de peccato suo pœnitentiam egisse, ac salvatos esse, uti communis Ecclesiæ & SS. Patrum sensus probat. Cui dogmati unus ferè contrarius est Tatianus hæreticus apud Bellarminum l. 3. c. 12. dicere ausus, ipsos post mortem damnationi æternæ addictos fuisse.

VI. Sextum dogma est, dari verè aliquod peccatum originale ab Adamo velut capite in posteros derivatum; ita enim clarè S. Paulus ad Rom. 5. indicavit dicens: *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*. atque idipsum traditione SS. Patrum & Conciliorum confirmatur; alioqui certè non appareret ulla ratio, cur Infantes statim post nativitatem baptizarentur. Contra hoc dogma pugnat inprimis Pelagius asserens peccatum Adami soli ipsi, non posteris nocuisse, mortemque hominum naturaliter contingere, non autem ex peccato Adami originem trahere; quod tamen posterius, tandem ipsius Assectæ argumentis convicti concedere debuerunt.

VII. Septi-

VII. Septimum dogma est, peccatum originale, prout actionem cum lege pugnantem significat, nihil aliud esse, quàm primam inobedientiam ab ipso Adamo, non, ut erat singularis persona, sed prout Personam totius generis humani referebat, commissam; sic enim faciliùs cum SS. PP. explicatur, quomodo juxta Scripturæ testimonium peccatum illud in posteros fuerit derivatum. Huic dogmati contraria inprimis est hæresis Illyrici docentis, peccatum originale esse veram substantiam, & substantialem imaginem Diaboli. Deinde hæresis quorundam Lutheranorum originale à peccato actuali non distinguentium, aut certè vulnera (qualia sunt ignorantia, difficultas, concupiscentia, morbi &c.) pro peccato originali agnoscentium, uti Lutherus & Assectæ faciunt.

VIII. Octavum dogma est, Parvulos sine baptismo decedentes ob idem peccatum originale verè morti æternæ obnoxios esse; uti probatur tum ex S. Scriptura absolutè ad Rom: 5. dicente, per unius delictum in omnes homines condemnationem fuisse propagatam: tum ex Conciliis & SS. Patribus apud Bellarminum l. 6. c. 2. cit. tum quia Parvuli illi absolutè sunt in potestate Diaboli, atque adeò nec supernaturali, nec naturali beatitudine digni. Huic dogmati contraria inprimis est hæresis Zvvinglii docens, per Christum universam naturam humanam ita esse restitutam, ut etiam Filii infidelium sine baptismo decedentes salventur. Deinde hæresis Pelagianorum, qui saltem naturali beatitudine Parvulos tales fruituros, & sine ulla molestia, procul à carcere damnatorum, vitam æternam victuros asserunt.

IX. Nonum dogma est, omnes humanæ vitæ calamitates (quæ à Bellarmino can. 15. ad decem genera revocantur, videlicet ad ignorantiam in mente; malitiam in voluntate; concupiscentiam in parte inferiore; calamitatem, laborem, & dolorem in corpore: mortem omnibus obeundam: iram DEI: captivitatem sub Diabolo: crudelitatem hominum in alios homines: inimicitiam & rebellionem bestiarum: & omnia denique mala à cœlo, terra, mari provenientia) esse pœnam & effectum peccati originalis: uti tum ex communi SS. Patrum & Theologorum, imò & Ethnicorum multorum sensu probat Bellarminus l. c. c. 14. Contraria est hæresis Pelagianorum docentium concupiscentiam neutiquam ma-

lam, sed bonum quoddam naturale esse ; Item sectariorum nostri temporis, qui eriam amissionem liberi arbitrii, necessitatem ad peccandum, dubitationem aut desperationem de salute inter effectus peccati originalis numerant.

§. XVIII.

De Gratia.

I. Pro meliori intelligentia eorum, quæ dicentur in toto hoc paragrapho, notandum est 1. Gratiæ (quæ juxta S. Augustinum ex eo, quòd gratis detur, nomen accepit) tres esse notiones seu significationes ; nam 1. in amplissima significatione sumitur pro quocunque beneficio, sive naturali, sive supernaturali; quo sensu eam S. Augustinus in ep. 15. accepit, dum dixit: *Quadam non improbanda ratione dicitur gratia DEI, qua creati sumus, & de hoc tanto beneficio gratias agere debemus. Vnde meritò & ista gratia dici debet, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita DEI bonitate donata est.* 2. Accipitur in strictiori significatione pro solis beneficiis supernaturalibus, sive ex meritis Christi, sive ex sola liberalitate DEI collatis, qualis est ea, quæ tum primo Adamo, tum secundo, id est, Christo collata est. 3. Tandem strictissimè & propriè accipitur pro beneficiis supernaturalibus ex merito Christi collatis, de qua S. Paulus ad Rom. 3. locutus est, dum dixit: *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo IESV.*

II. Notandum 2. Gratiam posterioribus modis acceptam præter alias divisiones, de quibus ex instituto Theologi in materia de gratia agunt, dividi præcipuè in habitualem, & actualem. Illa est habitus quidem permanens & animæ infusus, per quem homo DEO gratus efficitur; ista est motio quædam & auxilium DEI, quo homo ad Operationes, quæ naturam ipsius aliquo modo superant, eliciendas adjuvatur ; & subdividitur in *excitans* (quod nihil aliud est, quàm illustrationes divinæ ad bene operandum excitantes) & *adiuvans*, cujus nomine cooperatio ac protectio divina intelligitur. Et præterea etiam in *efficacem*, quæ infallibiliter est habitura effectum ; & *sufficientem*, qua possit homo bene agere, licet re-

ipsa

ipsa id non facturus sit. His notatis de Gratia sic accepta & divisa sequentia dogmata tradit Catholica fides.

III. Primum dogma est, verè dari habitum aliquem supernaturalem à DEO infusum, quo anima exornetur, & perficiatur, atque adeò justa, Deòque grata & accepta reddiatur. Sic enim & Concilium Tridentinum Sess. 6. can. 6. & communiter Theologi docent. Ipsaque S. Scriptura ad Rom. c. 5. satis indicat, dum ait, *Caritatem DEI diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Sed & ipsa ratio dictat, ad hoc, ut homo oper supernaturalia operari possit, formam in eo supernaturalem esse debere; uti clarè docet S. Dionysius Areopagita l. de Eccl. Hier. cap. 2. p. 1. dum ait, non posse hominem divina operari, nisi divinum quendam statum ante recipiat: quemadmodum nec humana opera facere valemus, nisi homines simus. Contrarium tamen docent Calvinus & Kemnitius, & alii negantes hominem per ejusmodi gratiam inhærentem justificari.

IV. Secundum dogma est, necessariò admittendam esse divisionem gratiæ actualis in efficacem, & sufficientem duntaxat; sic enim manifestè colligitur ex S. Scriptura passim asserente, sufficiens aliquos habuisse auxilium, qui tamen reipsa non sunt conversi; & prædestinatos aliquos esse ab æterno à DEO, quæ omnia salvari non possent sine memorata divisione. Negant tamen illius necessitatem partim Calvinus contendens omnem motionem DEI efficacem esse; partim Pelagiani, volentes nullam aliam dari gratiam præter liberum arbitrium, utpote quod se solo sit sufficiens ad salutem obtinendam.

V. Tertium dogma est, quamvis gratia sufficiens omnibus detur, prædestinationis tamen divinæ (quæ nihil aliud est, quàm providentia DEI, qua certi homines ex massa perditionis misericorditer selecti per infallibilia media in vitam æternam diriguntur) nullam rationem ex parte nostri dari; sic enim passim S. Scriptura insinuat, dum quosdam gratis electos esse ad regnum cœlorum. Sed & ipsa traditio Ecclesiastica confirmat, cùm, teste Bellarmino l. 2. c. 11. omnes omnino Patres post Pelagii hæresin exortam idipsum docerant; & verò etiam ipsa ratio accedat, quæ hoc ipso, quòd S. Scriptura, fidem esse donum DEI dicat, & sine fide neminem salvari posse affirmet, rectè concludit, nullam prædestinatio-

nis hujus ex parte hominis causam dari. Contraria tamen huic dogmati est hæresis Pelagianorum volentium gratim, atque adeò etiam prædestinationem secundùm merita nostra dari.

§. XIX.

De libero arbitrio.

I. Per liberum arbitrium hoc loco cum S. Thoma apud Bellarminum l. 3. de grat. c. 3. intelligitur libera potestas ex his, quæ ad finem conducunt, unum præ alio eligendi, aut unum aut idem acceptandi, vel pro arbitrio respuendi, intelligenti naturæ ad magnam DEI gloriam attributa, de quo libero arbitrio sequentia dogmata proponit Catholica fides.

II. Primum dogma est, ad liberum arbitrium non tantùm libertatem à coactione, sed etiam à necessitate requiri; sic enim inprimis clarè indicavit Siracides c. 15. dicens: *DEVS reliquit hominem in manu consilii sui. Appositi tibi ignem & aquam, ad quod voluerit, porriges manum.* Deinde id ipsum docent omnes SS. Patres & Theologi, & meritò; nam aliàs sequeretur in somniantibus quoque, furiosis, pueris, imò & pecoribus posse esse liberum arbitrium, cùm & hæc sponte ferantur ad pabulum. Contraria hæresis est Buceri & Calvini volentium, solam libertatem à coactione sufficere ad liberum arbitrium.

III. Secundum dogma est, descriptum liberum arbitrium verè etiam in DEO reperiri, uti passim S. Scriptura indicat; & maximè Ps. 113. *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* Huic tamen dogmati contradicunt Lutherus & Calvinus cum assectis volentes DEVM necessariò agere, quidquid agit.

IV. Tertium dogma est, posse hominem sola liberi arbitrii virtute opera naturalia & civilia perficere. Sic enim Iosue suos animaturus dixit Ios. 24. *Optio vobis datur, eligite hodie, quod vobis placet.* Negant tamen id iterum Lutherus & ejus assectæ.

V. Quartum dogma est, posse hominem suis viribus cognoscere verum aliquod morale, id est, actionem aliquam voluntatis rationi conformem esse, cùm, teste Psalmista Ps. 4. signatum sit super ipsum lumen vultus Domini; quo mediante talia

te talia obiecta intelligere queat. Contrarium tamen docet Calvinus l. 2. Inst. c. 2. § 24. & seq. Quamvis hæc ipsius doctrina non sit hæresis, utpote quam etiam Catholici quidam Doctores, nempe Gregorius Ariminensis, Ioannes Capreolus & Caspar Casalius apud Bellarminum l. 5. c. 1. docent.

VI. Quintum dogma est, non posse solis naturæ viribus adimpleri omnia præcepta moralia secundùm substantiam operis; cum passim S. Scriptura dicat, legis observationem tribuendam esse gratiæ DEI, maximè Ezech. 36. ubi dicitur: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Et præterea integra observatio legis sit certissimum signum perfectæ caritatis DEI; hæc autem non viribus naturæ acquiri possit, sed à DEO infundatur. Quæ eadem doctrina etiam ad tentationes superandas extendi debet. Contra quod tamen dogma pugnant Pelagiani, omnem ad hæc efficienda potestatem viribus naturæ tribuentes.

VII. Sextum dogma est, posse hominem sine fide, cum auxilio speciali, aut etiam sine illo bonum aliquod morale perficere, si nulla tentatio urgeat; cùm de facto, teste Scriptura Exod. 1. Obstetrices timuerint DEVM & hic propterea domos illarum ædificaverit. Et, teste Apostolo ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciant. Negant tamen hoc Lutherani, & præsertim Kemnitius asserentes omnia Infidelium opera peccata esse.

VII. Septimum dogma est, hominem in statu naturæ lapsæ verè habere liberum arbitrium ad bonum morale eligendum, & ad malum devitandum: seu, quod idem est, posse præcepta moralia servare, vel non facere; quia alioqui nullum omnino peccatum daretur, nec ullus homo pœna aut præmio dignus foret. Contraria hæresis est multorum antiquorum, & recentiorum omnium Hæreticorum, teste Bellarmino l. 5. c. 13.

IX. Octavum dogma est, non posse hominem sine speciali illustratione DEI credere fidei mysteria; sic enim Christus Ioan. 6. manifestè indicavit dicens: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Alioqui Ecclesia non bene oraret pro infidelibus, nec gratia esset gratia sed merces, utpote ex meritis comparata. Contrariam hæresin docent Pelagiani volentes, sine speciali gratia posse credere hominem.

X. No-

X. Nonum dogma est, non posse voluntatem humanam aliquid velle in iis; quæ ad pietatem & salutem pertinent, aut se nullo modo ad gratiam recipiendam præparare, sine auxilio gratiæ Dei; sic enim expressè Christus ipse indicavit Ioan. 15. dicens: *Sine me nihil potestis facere*. Et id ipsum asserverat priùs Salomon Prov. 8. dum voluntatem *à* Domino præparari dixit, uti septuaginta Interpretes verba illa: *hauriet salutem à Domino*: interpretantur. Negant tamen & hanc doctrinam iidem Pelagiani, cum Massilienſibus, qui iisdem favent, ac propterea Semipelagiani appellantur.

XI. Decimum dogma est, hominem post lapsum Adami verè adhuc liberum arbitrium possidere in iis rebus, quæ ad salutem pertinent, ut, quamvis nihil possit sine auxilio gratiæ, tamen per gratiam pervenientem excitatus, & à DEO adjutus ita valeat operari, ut possit etiam non operari. Fundamentum hujus dogmatis desumitur inprimis ex ipsa S. Scriptura dicente 1. ad Cor. 3. Vnumquemque mercedem accepturum ſerundùm laborem ſuum; DEI enim Coadjutores nos esse. Item ad Rom. 8. diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Deinde etiam ex unanimi consensu SS. Patrum, & ipsorum etiam Conciliorum, ut videre est apud Bellarminum l. 6. cap. 11. Et tandem ex absurdis, quæ sequuntur ex contraria sententia, scilicet, eos, qui nolunt credere in Christum, aut converti, non peccare, cum hoc non sit in ipsorum potestate. Item nullum habere locum ampliùs apud homines consilia, adhortationes, reprehensiones, exempla; nec eos, qui multa pro DEO patiuntur & agunt, ulla laude aut præmio dignos esse, sicque omnem diligentiam & conatum in fide & pietate exercenda, & excolanda sublatum iri. Contra hoc tamen dogma pertinacissimè pugnant inprimis Lutherus per crassissimum, ut Bellarminus c. 9. vocat, errorem ac hæresin docens, nullam libero arbitrio activitatem esse concedendam, eò quòd illud tantùm passivè se habeat. uti ex illo Ieremiæ c. 18. colligitur: *sicut lutum in manu figuli, ita domus Israel in manu mea*. Quid autem, obsecro, inquit Lutherus activitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit? nonne mera passio ibi cernitur? Deinde verò Calvinus & Kemnitius, etsi cum Catholicis rectè doceant, voluntatem nostram nihil omnino boni spiritualis & salutaris efficere posse

posse, sine auxilio gratiæ DEI, errant tamen in eo, quòd asserant in ejusmodi operibus voluntatem sic agi à DEO, ut non possit non agere, atque adeò habeat se per modum instrumenti potius, quam per modum causæ liberæ habentis dominium suorum actuum.

XII. Ex quibus omnibus hactenus allatis dogmatibus Bellarminus c. 11. utile compendium fecit, in quo totam disputationem de cooperatione gratiæ & liberi arbitrii sequentibus doctrinis comprehendit: 1. Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium non solùm ad opera naturalia & moralia, sed etiam supernaturalia. 2. Habet homo ante omnem gratiam, potentiam remotam & imperfectam ad opera pietatis facienda. 3. Non habet homo ante omnem gratiam, potentiam proximam & perfectam ad opera supernaturalia, & ideò nihil omnino in hoc genere ex se facere potest 4. Gratia excitans interna necessariò præcedere debet hominis conversionem, 5. Gratia excitans datur homini sine ullis meritis præcedentibus, ac sine ulla præparatione. 6 Gratia excitans non datur homini sine actione illius, quamvis sine cooperetione liberi arbitrii detur. 7. Ad assentiendum gratiæ excitanti requiritur necessariò gratia adjuvans. 8. Neque gratia excitans, neque adjuvans, ullam imponit homini necessitatem, quò minùs possit liberè consentire, aut dissentire DEO vocanti 9. Fieri potest, ut eadem motione interna duobus adhibita, unus convertatur, alter non convertatur, & unus magis, alter minùs proficiat. 10. Conversio hominis ad DEVM, quatenus est opus provenit à solo libero arbitrio per auxilium generale adjuto: quatenus verò pium est, à sola gratia: quatenus pium opus est, à gratia & libero arbitrio simul procedit. 11. Ad opera, quæ sequuntur conversionem non requiritur nova gratia, sed sufficit continuatio prioris gratiæ. 12. Habitus gratiæ justificantis à solo Deo infunditur, non tamen sine prævia dispositione hominis. 13. Homo justus semper potest opera bona facere, & præcepta divina servare, nec indiget ordinariè nova gratia excitante, sed adjuvante duntaxat.

§. XX.

De Iustificatione Impii.

I. Per Iustificationem hoc loco nihil aliud intelligitur, quàm mutatio illa, per quam Peccator transfertur à statu peccati ad statum gratiæ & justitiæ, quæ est rectitudo interna rectè ordinans hominem erga DEVM & proximum, & interdum simpliciter justitia; interdum justitia Fidei, quia à fide incipit: quandoque justitia DEI appallatur, quoniam à Deo incipit, de quibus acceptionibus loquitur Apostolus ad Philipp. 3. dum ait: *Et inveniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide.* De qua Iustificatione sequentia dogmata tradit Catholica fides.

II. Primum est, fidem Iustificantem non esse fiduciam de misericordia divina, qua quis sperat; sibi per Christum omnia peccata remissa esse, sed solum assensum firmum ac certum, quo quis omnia credit, quæ DEVS credenda proposuit nam teste Apostolo c. 11. ad Hebr. *Fides est sperandarum substantia* (id est, subsistentia, quatenus ea, quæ sperantur; ab intellectu repræsentantur, & sic in eo quodammodo subsistunt) *rerum argumentum* (id est, convictio & demonstratio, ut ex græco textu colligitur) *non apparentium*. Ex quo etiam deducitur, fidem hanc justificantem non esse distinctam à fide historica, quà creduntur vera esse, quæ in Sacris Literis narrantur: aut fide miraculorum, quà miracula fiunt; & fidei promissionum, qua creduntur promissiones DEI de remissione peccatorum factæ; cùm hæc omnia objecta in fidei definitione allata per verba *non apparentium* intelligantur. Huic dogmati contraria inprimis est hæresis Lutheranorum, qui fidem justificantem in sola fiducia promissionis, qua quis sperat sibi peccata sua per Christum esse dimissa, consistere. Deinde hæresis Calvini, qui fidem justificantem in notitia seu certa ac clara cognitione constituit.

III. Secundum dogma est, fidem justificantem esse quidem initium & præparationem ad justificationem, sed non solam justificare: cùm Concilia, SS. Patres, & S. Scriptura vim

vim justificandi (dispositivè) non solùm fidei, sed etiam spei timori, aliisque similibus virtutibus tribuant; & præterea fides talis cum odio DEI, aliisque vitiis justificationi oppositis consistere possit. Huic dogmati iterum contradicunt tum Lutherani, asserentes fidem solam sine & ante caritatem aliaque opera justificare (quemadmodum Illyrici sive Saxonici & rigidi Lutherani docent) vel ea tantùm ut signa requiri (uti Melanchton contendit) tum Calvinus, qui docet fidem solam justificare, sed eam non esse solam, quo modo calor Solis solus accendit, quamvis non sit solus, sed cum splendore conjunctus.

IV. Tertium dogma est, Iustificationem formaliter fieri per justitiam seu caritatem animo inhærentem; sic enim colligitur tum ex S. Scriptura passim dicente, caritatem diffusam esse in cordibus nostris, per gratiam renovari hominem &c. quæ omnia donum aliquod inhærens arguunt; tum ex Conciliis & SS. Patribus unanimiter docentibus hominem per gratiam animæ inhærentem justificari. Contra hoc dogma pugnant, in primis Lutherus asserens solam fidem esse causam formalem justificationis. Deinde Osiander, qui docuit hominem iustificari per justitiam, qua Christus non ut homo, sed ut DEVS essentialiter justus est. Item Calvinus, qui ait, justificationem in non imputatione peccati consistere. Tandem Bucerus & alii duplicem justitiam agnoscunt, unam imperfectam, quæ in virtutibus nobis inhærentibus sita sit; alteram perfectam, scilicet justitiam Christi imputatam, qua tanquam veste pretiosa tecti honestiùs coram DEO compareamus.

V. Quartum dogma est, non posse homines in hac vita habere certitudinem fidei de sua justificatione, nisi alicui DEVS ex speciali gratia revelare id dignetur; uti tum ex S. Scriptura Eccl. cap. 9. dicente: *Nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta* tum ex unanimi Conciliorum & SS. Patrum doctrina: tum ex ratione ipsa colligitur cum ordinariè nemo habeat principium, ex quo per legitimam conclusionem inferri possit hæc certitudo, sed potiùs expediat non haberi illam, ne ex tanta securitate superbia, & tepor in servitio divino suboriatur. Contraria huic dogmati est Lutheranorum hæresis docen-

tium,

tium, non tantùm posse, sed etiam debere fideles hanc certitudinem habere: alioqui nec justos, nec salvos futuros, cùm per hanc fidem solam justificentur.

VI. Quintum dogma est, neque de prædestinatione sua quemquam in hac vita fine expressa DEI revelatione securum esse posse; cùm passim Scriptura hortetur, ut non altum sapiamus, sed timeamus: ut, qui stat, videat, ne cadat: ut cum timore & tremore salutem nostram operemur &c Contrarium docent Calvinus, Bucerus, Kemnitius & alii apud Bellarminum l. 3 c. 12. asserentes fidelem non esse, nisi qui solida persuasione divinæ benevolentiæ indubitatam salutis exspectationem præsumit.

VII. Sextum dogma est, fidem ac justitiam nec propriè electorum esse, nec ubi semel obtenta est, inamissibilem esse; esse constet tum ex S Scriptura, tum probatis historiis, aliquos, qui damnati sunt, priùs fidem justificantem habuisse, ideòque perseverantiam passim commendent Christus, Apostoli, & SS. Patres, Vtrumque tamen hoc dogma negat Calvinus, qui l. 3. Instit. c. 2. §, 11. docet, fidem & justitiam propriam esse Electorm, & semel acceptam non posse ulla ratione amitti. Lutherani verò licet amitti posse hanc fidem concedant, ante mortem tamen certò iterum recuperatum iri docent.

VIII. Septimum dogma est, non omnes homines esse in fide justificante pares, sed crescere in ea quotidie posse; cùm Prov. 4. & alibi passim dicatur, justorum semitam quasi lucem splendentem procedere, & crescere usque ad perfectum diem. Negant hoc dogma in primis Lutharani, qui hoc ipso, quòd doceant nos per Iustitiam Christi fide apprehensam justificari, omnes æqualiter justos esse concedunt. Item Iovinianus, qui omnes virtutes & vitia paria esse docuit juxta antiquam Stoicorum sententiam.

§. XXI.
De justitia actuali sive bonorum operum necessitate & valore.

I. Vt totus processus Iustificationis clarius intelligatur, non parum conducet similitudo, quam Becanus l. 1. cap. 16. manual.

manual. in hæc verba proponit. Sit pauper aliquis scabie; ulcere, & putredine plenus, qui Medicum adeat, ut sanari possit. Quid Medicus; tria faciet. 1. Prescribet illi quasdam præparationes ad faciliorem morbi curationem, ut sectionem venæ, vel purgationem corporis vel balneationem vel aliquid simile, prout morbus exigit. 2. Dabit illi salutarem & vivificam medicinam, quâ & vires redintegrentur, & pristina sanitas recuperetur. 3. Adjunget præservativum, ne iterum in morbum incidat. Ita fit in justificatione seu sanatione animi. DEVS tria facit. 1. Præscribit illi quasdam dispositiones ad sanandum animum, ut fidem, spem, timorem, contritionem, dilectionem, & propositum emendandi vitam. 2. Infundit illi gratiam seu justitiam inhærentem, qua & verè peccata tolluntur, & animus intrinsecè renovatur. 3. Adjungit præservativum, ut deinceps insistat piis operibùs & observationi Mandatorum DEI, ne si aliter faciat, amittat gratiam & sanitatem, quam adeptus est, Adversarii autem sic explicant justificationem, ut DEVM perinde erga Peccatorem gerere se dicant, ac si Medicus pauperem illum scabiosum hortaretus, ut elegans pallium divitis arripiens, eoque se tegens securè in conspectum Principis veniat, quippe qui fœditatem eleganti pallio obductam advertere non possit; sic enim & ipsi per justitiam Christi fide apprehensam omnia peccata tegi nec alia opera ampliùs illi necessaria esse asserunt. De quorum tamen operum necessitate & efficacia Catholica fides sequentia dogmata proponit.

II. Primum est, veram Christianam libertatem in tribus sitam esse, videlicet in libertate à peccato & morte: in libertate à jugo legis Cæremonialis & iudicialis Hebræorum: & à Dominio & reatu legis naturalis ac moralis, ita ut lex nobis non dominetur tanquam servis imminens flagello, & timorem semper incutiens, sed ut imperet liberis, & liberaliter obtemperare volentibus, non adimendo legi vim obligandi, sed infundendo hominibus caritatem, quâ libenter legem impleant; unde non sunt liberi homines ab obligatione legis, sed omnino necessaria sunt opera bona ad salutem, cùm passim vita æterna sub conditione patientiæ, tristitiæ de peccatis, timoris, mortificationis &c promittatur. Contrariam huic dogmati hæresin docent plerique moderni Lutherani, ut qui

ut qui vel omnino bona opera negent necessaria esse, vel certè necessaria duntaxat necessitate præsentiæ, ut scandalum & periculum vitetur.

III. Secundum dogma est, homines justificatos, DEI gratia adjúvante, ita posse, legem divinam adimplere, ut opera ipsorum non modò non sint appellanda peccata, sed etiam verè ac propriè justa dici mereantur, alioqui enim imprudenter Christus ad jugum suum tollendum invitasset, & S. Ioannes 1. c. 5. dixisset, mandata ejus gravia non esse. Negativam tamen partem docent Hæretici plerique moderni volentes omnia opera justorum esse peccata mortalia ex natura sua, justamque adeò opprobrii mercedem mereri.

IV. Tertium dogma est, opera justorum non tantùm justificare hominem, sed verè etiam meritoria esse vitæ æternæ; sic enim divinæ literæ passim testantur dicentes Iac. 2. *Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est?* Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Item Matth. 20. *Voca operarios; & redde illis mercedem.* Negant tamen hoc dogma Lutherus & Calvinus, ut qui concedunt quidem temporalium quidem bonorum meritoria esse, non tamen vitæ æternæ; imò Calvinus omnino negat nomen meriti usurpandum esse.

V. Quartum dogma est, etsi in bonis meritis, quæ verè talia esse noscuntur, rectè fiducia aliqua collocetur, tutiùs tamen est in sola divina misericordia sperare; prior pars ex testimoniis pluribus S. Scripturæ patet, quibus habetur Nehemiam, Davidem, Ezechiam, Esterem, S. Paulum per merita sua rogasse DEVM, ut vel peccata remitteret, vel aliam gratiam petiisse. Posterior pars ex eo probatur, quòd, cùm nemo absque revelatione certò scire queat, an habeat vera merita, securius in divina misericordia speretur. Contra hoc dogma pugnant iterum moderni hæretici, nullam in meritis propriis fiduciam collocari posse asserentes.

VI. Quintum dogma est, non tantùm licitum, sed etiam laudabile esse, operari bona opera intuitu mercedis æternæ, alioqui enim ipse Christus ad bona opera excitans frustra varia præmia proposuisset. Negant tamen Calvinus & Bugantius publicè in Catalonia damnatus licitum esse opera talia intuitu mercedis facere.

§. XXII.

De operibus bonis in specie.

I. Tria plerumque opera bona in specie assignantur ab Authoribus, scilicet Oratio, Iejunium, Eleemosyna, de quibus sequentia dogmata proponit Catholica fides.

II. Primum est, Orationem, quæ juxta D. Thomam 2. 2. qu. 83. a. 1. est actus rationis practicæ, voluntatis desiderium explicantis, & ab alio aliquid postulantis, non tantum necessariam, sed etiam utilem esse ad varia auxilia & dona à DEO impetranda, meritumque augendum, & satisfactionem pro peccatis præstandam; cùm talis oratio sit verè etiam opus bonum, &, ut rectè fiat, non parùm laboriosum. Contra hoc dogma pugnant inprimis Hæretici quidam à Bellarmino l. 1. c. 3. cc. qui nimis multùm orationi tribuebant, & per eam etiam providentiam divinam immutari posse dicebant: aut cum Messalianis docebant, per solam orationem homines justificari. Deinde Pelagiani, qui nimis parùm tribuebant orationi, utpote dicentes sine ea posse homines solis suis viribus bene vivere, & mandata servare, gratiamque, & gloriam DEI promereri. In qualem errorem etiam incidit Vuiclefus, docens, DEVM non requirere à nobis cognitionem aut vocem, sed solis bonis operibus contentum esse. Denique Melanchton, Calvinus & Brentius asserentes orationem nec meritoriam, nec satisfactoriam esse.

III. Secundum dogma est, non tantùm generatim, sed etiam in specie pro certis hominibus orari posse; cùm passim in Scriptura constet Patriarchas Prophetas, Apostolos, ipsumque Christum pro certis Personis in particulari orasse. Cui tamen dogmati contraria est hæresis Vuiclefi docentis, non licere pro aliquo particulari orare; nec orationem talem magis prodesse, quam si pro omnibus fiat.

IV. Tertium dogma est, etiam Horas Canonicas rectè & laudabiliter ab Ecclesia fuisse institutas; uti tum ex antiqua traditione & consuetudine; tum exemplis diversa orationum spatia observantium; tum ex fine earum, scilicet ad refricandam creationis & redemptionis memoriam, gratiasque

pro utroque agendas, colligitur. Huic tamen dogmati se opposuerunt Paulus Samosatenus, qui Hymnos ab hominibus compositos damnabat. Et Vigilantius, qui nocturnas vigilias reprehendebat. Et Vvicleffus, Lutherus, Illyricus, qui unanimiter damnant ritum Horarum Canonicarum, ideòque à suis Ecclesijs amoverunt.

V. Quartum dogma est, Cantum etiam in divinis officiis piè & sapienter usurpari; sic enim exemplo Angelorum, Davidis, Christi, & Apostolorum, & antiqua traditio probant; sed & multiplex utilitas confirmat, dum scilicet per Cantum corda audientium accenduntur; laudes DEO libentiùs, & faciliùs persolvuntur, publica fidei confessio præstatur, Deoque cultus perfectior, gratiorque exhibetur. Improbarunt tamen hunc Cantum Hilarius quidam, & post eum Henricus & Petrus Bruis (unde Henriciani & Petro Brusiani hæretici Originem sumpserunt) cum Vvicleffo & Trinitarii.

VI. Quintum dogma est, non esse quidem per se carnes animalium, aut lacticinia, puta ovum, caseum, butyrum, immunda, ab eisdem tamen vel ob præceptum, vel alium honestum finem laudabiliter abstineri; sic enim jam olim Rechabite ob præceptum Patris vino, & Daniel c. 10. ad luctum suum testandum, & S. Ioannes Baptista per totam vitam ab omnibus deliciis abstinebat: & verò ipsa etiam carnis edomatio ac subjectio, quæ per similem abstinentiam rectius, quam per solam moderationem in cibo ac potu sumendo obtinetur, suadet. Contraria tamen huic dogmati est hæresis Ebionitarum Encratitarum, Eustathianorum, Priscillianistarum, Apostolicorum, qui omnes, aut præter has etiam vinum immunda, ideòque illicita dicebant. Præterea verò etiam modernorum hæreticorum, qui ad rationem jejunii non tam abstinentiam à certo ciborum genere, quam à lauto & nimio cibo pertinere contendunt.

VII. Sextum dogma est, non tantùm lege divina jejunium in genere Ioel. 2. & alibi crebrius in S. Scriptura præceptum esse, sed pro eodem etiam rectè & modum & tempus certum fuisse determinatum: sic enim jam olim in veteri Testamento quatuor jejunia mensium quarti, quinti, septimi, & decimi Zach. c. 8. introducta; & ab Apostolico Concilio Act. 15. Gentibus abstinentia à Suffocato & sanguine fuerat præ-

præcepta. Contra hoc dogma pugnat inprimis Calvinus docens, nullum divinum præceptum de jejunio extare, quod idem etiam Kemnitius sentit, utpote qui testimonia & exempla jejunii in S. Scriptura quidem reperiri fatetur, sed eorum imitationem liberam esse contendit. Item Eustathiani, & Aerianj cum Luthero & omnibus Sectariis modernis asserentibus, non potuisse Ecclesiam leges de jejunio ferre, atque adeò Fideles ad eas velut injustas non obligari, nisi fortè ratione scandali & contemptus.

VIII. Septimum dogma est, ab ejusmodi jejuniis præceptis rectè illos solos censeri exemptos, quos vel impotentia vel pietas vel necessitas excusat: Sic enim Concilium Viennense, & S. Leo Ser. 11. de quadr. declararunt, dum sic Pontifex hic loquitur: *Adest maximum, sacratissimumque ieiunium, quod observantiam sui omnibus Fidelibus sine exceptione denunciat* (puta, qui capaces sunt) *quia nemo tam sanctus est, ut non sanctior: nemo tam devotus, ut non debeat devotior.* Repugnat tamen huic dogmati hæresis Begardorum, qui teste Bellarm. c. 10. volebant viros perfectos ad legem jejunii, non obligari, eò quòd peccare non possint, atque ideo jejunio, quòd ad peccatum delendum, vel cavendum institutum est, non indigeant.

IX. Octavum dogma est, per ejusmodi jeiunia verè placari DEVM, variaque auxilia & præmia obtineri, & pro peccatis satisfieri sic enim Ecclesia in præfatione Quadragesimæ canit: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia:* & vel ex ipsa ejus natura patet, cùm sit verè actus temperantiæ, si legitimo fine suscipiatur. Huic tamen dogmati repugnant hæresis Lutheranorum & Calviniſtarum, qui cum Iovinianо docent, ad salutem nihil prodesse ejusmodi ieiunia, sed solummodo ad carnis petulantiam coercendam, atque in signum humilitatis ac pœnitentiæ, orationisque auxilium eadem suscipi posse.

X. Nonum dogma est, ieiunium quadragesimale verè ab Apostolis institutum, atque Ecclesiæ universæ ob varios, honestissimosque fines præceptum fuisse; sic enim tum S. Hieronymi & Leonis testimonio; tum ex regula S. Augustini patet docentis. illa omnia sine dubio ex Apostolica traditione descendere, quę in Ecclesia observantur, & in nullo Ec-

cleſiæ Concilio inſtituta inveniuntur. Contraria huic dogmati eſt hereſis modernorum Hæreticorum docentium, hoc jejunium poſt tempora Apoſtolorum ex quadam ſuperſtitione, & perverſa Chriſti imitatione irrepſiſſe.

XI. Decimum dogma eſt, ſapienter & rectè ab Eccleſia tempus, quo jejunari non debet; conſtitutum eſſe, videlicet dies Dominicę, Natalis Domini, & tempus illud, quod inter Paſcha & Pentecoſten intercedit; ſic enim communis lętitia & celebritas hujus temporis; tum odium Hæreticorum, præcipuè Montaniſtarum, Manichæorum. Priſcialliſtarum, Aeriorum, Euſtathianorum, qui diem Dominicam pro jejunio eligebant, exigebat.

XII. Vndecimum dogma eſt, eleemoſynas quidem, ſi ritè diſtribuantur, valde utiles eſſe tum ad ſatisfaciendum pro peccatis, tum ad varia dona, præmiaque cæleſtia impetranda: eas tamen non ſufficere ad ſalutem, niſi cum fide, ſpe, dilectione, pœnitentia, aliiſque ad ſalutem ordinatis ſubſidiis conjungantur. Prior pars patet ex eo, quòd paſſim S. Scriptura & Patribus eleemoſyna valde commendetur: poſterior verò pars ex teſtimonio S. Pauli 1. ad Cor. 13. colligitur, ubi dicit: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Contrariam huic dogmati hæreſin docuerunt inprimis veteres quidam hæretici qui, teſte S. Auguſtino l. 21. de civ. c. 22. putabant, illos ſolos olim damnandos, qui eleemoſynas non dediſſent, juxta illud Iacobi, judicium ſine miſericordia ei, qui non facit miſericordiam. Deinde omnes moderni hæretici, eleemoſynam neque ad meritum, neque ad ſatisfactionem utilem eſſe dicentes.

XIII. Duodecimum dogma eſt, divitiarum uſum indifferentem eſſe, atque adeò licitè eaſdem retineri; ſic enim communis Eccleſiæ, & SS. Patrum ſenſus probat, dum conſilium duntaxat, & non præceptum eſſe aſſerunt, ut divitiæ relinquantur. Contrarium tamen docuerunt olim Iulianus Apoſtolici, Manichæi, & Pelagiani, qui rerum proprietatem Chriſtianis penitus interdictam eſſe contendebant, eò quod Chriſtus Luc. 14. dixerit: *Niſi quis renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.*

CAPVT III.

De Præſtantia Theologiæ Polemicæ.

PRæſtantia hæc ex quatuor prę cipuè generalibns argumentis facilè colligetur, ſi videlicet neceſſitas, utilitas, dignitas, & jucunditas illius demonſtretur, quod quidem hoc capite præſtabitur.

§. I.

De Neceſſitate Theologiæ Polemicæ.

I. Non eſt hic animos demonſtrare, Scientiam Theologiæ polemicæ cuivis homini adulto neceſſariam eſſe, ſed iis duntaxat, quibus ex officio incumbit, Eccleſiam Catholicam eiuſque doctrinas defendere, animaſque curæ ſuę commiſſas à pernicioſa hæreſum peſte cuſtodire, quales ſunt Paſtores & Curatores animarum, quibus quidem ex quadruplici titulo vel maximè neceſſaria eſt Theologiæ polemicę notitia.

II. Primus titulus eſt, quia ejuſmodi Paſtores, ſunt Milites & cuſtodes ſpecialiter à DEO electi ad cuſtodiendam Eccleſiam; atque adeò jam olim à Salomone Cant. 3. ſequentibus verbis adumbrati: *En lectulum Salomonis* (id eſt, Chriſti & ſponſæ Eccleſiæ) *ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Quid autem timores iſti nocturni ſunt aliud, niſi oppugnationes Hæreticorum in tenebris errorum ſuorum ambulantium? Quid enſis, quem ſuper femur habere debent hi Cuſtodes, aliud ſignificat, quàm ſcientiam Theologiæ polemicæ, quam Chriſtus illis pro defendenda Eccleſia communicavit, illa Ieremiæ Prophetæ verba ad Iudam olim dicta 2. Mach. 15. uſurpans: *Accipe ſanctum gladium munus à DEO, in quo deiicies Aduerſarios Populi mei Iſrael.* de quo gladio veriſſimè dicere poteſt ad Chriſtum quivis Paſtor, quod olim David ad Abimelech. 1. Reg. 21. dixit: *Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.*

III. Secundus titulus est, quia, quatenus eis Concionandi & docendi officium incumbit, sunt quasi speculatores, constituti, qui hostem venientem speculentur, & iis, pro quibus vigilare debent, annuncient. Vnde illis jure meritò attribui possunt illa verba Ezech. 3. à DEO Ezechiel dicta: *Fili hominis, speculatorem te dedi domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me.* Meritò ergo timere debent, ne si Theologiæ hujus polemicæ scientia careant, audire cogantur illud Isaiæ c. 56. *Speculatores eius cæci omnes nescierunt universi.* Imò & graviorem illam ipsius DEI per Ezechielem c. 33. factam comminationem: *Quòd si speculator viderit gladiuvn venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu Speculatoris requiram.*

IV. Tertius titulus est, Quia sunt Pastores ovium sibi commissarum; unde si vident Lupum vel Draconem ovibus insidiantes, eo arcere debent baculo Pastorali, id est, Theologiæ polemicæ notitia. *Quidenim sunt Lupi isti, nisi Hæretici feri & rabidi*, inquit Vincentius Lirinensis in cap. 20. Act. *Qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi, quaqua possunt, dilacerant? & qui*, ut S. Augustinus l. 3. contra Faustum c. 12. loquitur, *ut fallaciùs incautis ovibus obrepant, lupinam deponunt speciem, & sese divinæ legis sententiis velut quibusdam velleribus obvolvunt, ut, cùm quisque lanarum mollitiem præsenserit, ne quaquam aculeos dentium pertimescat.* Qui sunt Dracones nisi Hæretici, de quibus idem Sanctus enar. 39. in Psalm. sic loquitur: *Persecutor Paganus apertè sævit ut Leo, Hæreticus insidiatur ut Draco. Ille cogit negare Christum, iste docet: ille ingerit violentias, iste insidias. Adversus illum opus est patientia, adversus hunc opus est vigilantia.* Hic nimirum est Draco ille, quem S. Ioannes Apoc. 12. vidit, *draco magnus & rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capite eius diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram; & draco stetit ante mulierem* (id est Ecclesiam) *ne, cùm peperisset, Filium eius devoraret.* Vnde meritò iterum timere debent curatores animarum, ne, si contra hos lupos & dracones oves suas non defendant, audire cogantur illam horrendam Dei apud

apud Ezechielem c. 34. comminationem: *Dispersæ sunt oves meæ, eò quod non esset Pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri. Propterea Pastores audite verbum Domini vivo ego, dicit Dominus Deus; quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem bestiarum agri, eò quòd non esset Pastor. Ecce ego ipso super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem.* Et utinam hæc prophetica comminatio non nimis his nostris temporibus impleta cerneretur?

V. Quartus titulus est, quia Curatores ejusmodi sunt Medici animarum, de quibus multò veriùs, quàm de corporalibus Medicis dici potest illud Siracidis 38. c. *Honora Medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus: à Deo est enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur.* Vnde ad ipsos præcipuè pertinet pestilentes animæ morbos à commissis sibi Parochianis avertere quæ autem est pestilentior & pernicioſior morbus, quam hæreticæ pravitatis pestis? sicut enim pestis; ubi semel intraverit, serpendo semper crescit, & difficulter expellitur, ita hæreses, ubi valuerint, semper ulteriùs serpunt, nec nisi per summam violentiam, aut auxilium speciale Dei extirpantur. Qua ratione autem avertet hanc pestem curator animarum, nisi Theologicæ Polemicæ auxilio illius indicia sagaciter cognoscat, & salutaria media addiscat, per quæ maturæ huic morbo occurrere, aut, ubi quem invaserit, eundem iterum depellere possit.

§. II.

De Vtilitate Theologiæ Polemicæ.

I. Multæ quidem sunt utilitates, quas affert Theologiæ Polemicæ notitia, & prudens usus, sed quæ ad tres ferè, vel quatuor fructus reduci possunt.

II. Primus itaque fructus in *Ecclesiam triumphantem*, id est, Deum & Cælites redundat; cùm enim hi omni bono

usque adeò abundent, ut nihil ab hominibus nisi cultum & honorem sperare possint, meritò nulla illis major utilitas (extrinseca) obvenire posse creditur, quàm si debito & sincero ritu colantur; & Deus quidem per instituta à se Sacrificia, operaque præcepta, Christus per religiosam Sacramentorum à se institutorum frequentationem, & Eucharistiæ præcipuè devotam adorationem, reliqui verò cælites per affectuosam, & fiducia plenam invocationem honorentur; hæc autem omnia cùm Theologia Polemica præ reliquis Theologiis illibata conservare, totis viribus nitatur, rectè sanè concluditur, non exiguam ab illa in Ecclesiam triumphantem utilitatem redundare.

III. Alter fructus in *militantem Ecclesiam* derivatur, hujus enim gloria, salùsque cùm in eo potissimùm consistat, ut per veræ fidei, spei, & caritatis constans & illibatum exercitium, nec non per Sacramentorum à Christo institutorum pium & utilem usum, DEO placere, eumque veluti ultimum suum finem, quantum in hac mortali vita fas est, possidere queat; quoad hæc autem omnia eandem vehementissimè ab Hæreticis oppugnatam, potenter ac feliciter Theologia polemica defendat, meritò summam iterum utilitatem Ecclesia hæc militans ab illa accipere dicenda est, ita ut cum veritate hæc Theologiæ fortissimum Ecclesiæ militantis propugnaculum dici queat, illudque Sponsæ Cant. 4. elogium mereatur: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.*

IV. Tertius fructus in *purgantem Ecclesiam* redundat, quæ cùm nullam majorem utilitatem à viventibus sperare possit, quàm suffragia per piarum orationum & operum bonorum usum ipsis oblata; hæc autem Teologia Polemica non minùs fortiter propugnare, quàm Hæresis eripere nitatur, negari sanè non potest, majorem etiam in hanc Ecclesiam purgantem, quàm ab ulla alia scientia utilitatem promanare.

V. Quartus denique fructus ab ipso Theologiæ polemicæ possessore percipitur, qui cùm tam fortiter prædictam triplicem Ecclesiam defendat, atque adeò de quavis illarum tum præclarè mereatur, meritò non exiguam ab omnibus illis laudem, favorem, ac mercedem sperare potest.

§. III.

§. III.

De dignitate Theologiæ Polemicæ.

I. Multi quidem sunt tituli, per quos varii homines magnum sibi comparare nomen, famamque inclytam obtinere sunt conati, sed nullus ferè ad hunc finem obtinendum aptior censetur, quàm victoriæ de potenti hoste feliciter ac generosè obtentæ titulus, cùm reliqui tituli plerumque vel à fortuna, vel ab opibus, vel aliorum falso & adulatorio judicio oriantur; hic autem à propria virtute ortum sumat, & generosam sui ipsius victoriam, quæ meritò à Sapientibus summa inter omnes triumphos victoria æstimatur, plerumque supponat. Vnde Deus ipse Apoc. c. 2. dixit: *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo ille calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Sed & Iosephus Zachariæ Filius, & Azarias princeps virtutis hoc titulos præcipuè magnum sibi nomen, gloriamque parare nitebantur, ideòque 1. Mach. c. 5. dicebant: *Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus Gentes, quæ in circuitu nostro sunt.* Quæ si ita se habent, meritò summam Theologiæ Polemicæ dignitatem, gloriamque competere fatendum est, ut quæ victoriam obtinet ob circumstantias, propter quas victoria quæpiam nobilior censeri solet, jure aliis præferendam.

II. Si enim 1. tantò illustrior censeri victoria solet, quantò plures, potentioresque hostes per eandem sunt debellari, quis non illustrissimam fateri cogetur victoriam, quam Theologia Polemica de Hæreticis reportat, qui & numero propemodum infiniti, & propter auxilium & assistentiam Dæmonis potentissimi, & ob singularem suam calliditatem, fraudulentiamque meritò vel maximè sunt metuendi. Si tantopere olim celebratus Hercules fingitur, ob tot, tamque varia monstra, præsertim septemcipitem hydram, tam fortiter superata, quantò majore laude, gloriaque dignus erit Theologus polemicus, qui tot metuenda monstra hæresum non minùs oppugnavit fortiter, quàm feliciter expugnavit, utpote quas S. Ambrosius l. 1. de fide, non

non immeritò etiam Hydræ comparavit dicens : *Sicut hydra licet sæpius recisa semper repullulavit, auctiorque evasit ; ita hæreses, quò vehementiùs exscindere eas Catholici Doctores studuerunt tantò majus incrementum sumpserunt.*

III. Si secundò tantò nobilior existimatur victoria, quantò plures per eam urbes, aut Provinciæ ab interitu servatæ, aut grandibus etiam, multisque commodis, divitiisque sunt auctæ; quàm illustrem iterum oportet esse victoriam à Theologia Polemica adversus hæreses reportatam, utpote ex qua tot, tantæque utilitates in triplicem Ecclesiam, triumphantem scilicet, militantem, & purgantem redundarunt, quales priori paragrapho copiosiùs sunt descriptæ.

IV. Si denique tantò laudabilior jure merito victoria censetur, quanto difficilior, & diuturnior, & periculosior fuit pugna, quæ eandem præcessit ; quis summa laude dignissimam neget victoriam, quam Theologia Polemica de Hæreticis obtinuit, utpote quam pugna præcedit & ob continuam hæresum reviviscentiam indefinens, & ob effrænem hostium pertinaciam difficillima, & ob salutis, felicitatisque æternæ amittendæ manifestum discrimen plus, quàm quodvis alius certamen, periculosa, ut meritò proinde huic Theologiæ polemicæ pulcherrimum illud elogium Iudithæ olim ab Achior c.14. Iudith. datum attribui possit : *Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob (aut Ecclesiæ potiùs) quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum magnificabitur super te DEVS Israel.*

§. IV.

De jucunditate Theologiæ Polemicæ.

I. Etiam hæc jucunditas non levis profectò censeri debet, utpote quam olim Deus Apoc.2. per manna seu panem omne delectamentum in se habentem demonstravit, dum dixit : *Vincenti dabo manna absconditum ;* id est, in corde exortum gaudium quod quidem ex triplici præcipuè fonte oritur.

II. Primò ex ipsa pugnæ qualitate, si enim generoso militi nihil accidere jucundiùs potest, quam si occasionem habeat frequentem, & celebrem cum hostibus suis decretandi,

di, atque ex eorum debellatione insignem aliquam prædam, inclytumque nomen ac famam reportandi ; quidni jucundissimum pariter fore credatur Theologo Polemico certamen quod cum Hæreticis creberrimè, imò assiduò suscipere cogitur; & ex quo tantam divitiarum non tam corporalium, quàm Spiritualium copiam, ac famam sperare potest, quantam prioribus duobus paragraphis descriptam videre est.

III. Secundò eadem jucunditas oritur ex ipsa hostium devictorum conditione : si enim tantò majus plerumque ex victoria gaudium oritur in animo victoris, quantò nocentior, & infensior fuit hostis, qui devictus est, quanta lætitia orietur in mente Theologi polemici, si tot, tamque infestos sibi, totique Ecclesiæ Catholicæ Hæreticos à se superatos aspiciet ? si adeò jucundum, est Victoribus debellasse, quos perdere possint, quàm jucundum accidet Theologo Polemico vicisse, ac subjugasse eos, quos servare, & æternæ olim felicitatis secum participes habere possit ? si tantopere gaudet Victor, si per victoriam suam, hostium, numerum imminutum advertat, quantò magis gaudebit, si non imminutum duntaxat numerum inimicorum, sed amicorum etiam numerum auctum per conversionem Hæreticorum suo labore & industria procuratam videbit ? an non verificabitur in illo, quod Ieremiæ c.15. promisit Deus, dum dixit : *Si separaveris pretiosum à vili* (id est, animas pretiosas ab hæretica pravitate) *quasi os meum eris*, id est, omni voluptate perinde repleberis, quemadmodum ori variæ plerumque deliciæ subministrantur.

IV. Tertiò, eadem jucunditas oritur ex illorum, qui servari atque ab hostibus defensi sunt, lætitia ac gratulatione : si enim Davidi olim jucundissimum haud dubiè accidit, post devictum Goliathum opprobrium ab Israel abstulisse, & egressas mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, choroisque ducentes & dicentes audire : *Percussit Saul mille, & David decem millia* : 1. Reg.c.58. Si jucundissimum pariter fuit Iudithæ, propter Holofernem à se occisum, Bethuliamq; servatam, omnem populum cum mulieribus & virginibus & invenibus in organis & citharo gaudentem, obviamque sibi Ioachim Summum Pontificem cum universis Presbyteris euntem & dicentem : audite : *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel,*

Israel, tu honorificentia populi nostri. Quantò major lætitia concipietur à Theologo polemico, qui per obtentam de hæreticis victoriam, triplicem à se Ecclesiam servatam, quasi obviam euntem, & gratulantem, atque ad æterna gaudia, festaque secum celebranda invitantem aspiciet?

PARS II.

DE THEOLOGIA POLEMICA OFFENSIVA.

PEr offensivam hanc Theologiam aliud nihil intelligitur, quàm ex Theologiæ Polemicæ pars, qua ex instituto argumenta proponuntur, tum ad Catholicas doctrinas stabiliendas, tum ad contrarias hæreses refutandas. Pro qua parte, uti & sequenti meliùs intelligenda ex præludio Manualis à Becano conscripti notandum est, quadruplicis generis Hæreticos reperiri: nam 1. aliqui sunt pertinaces ideòque proprie & formaliter Hæretici, eò quòd, licet agnoscant, se à communi Ecclesiæ & SS. Patrum sensu recedere, nihilominus ex superbia & obstinatione pertinaciter in suo errore permaneant, ne à veritate convicti videantur. 2. alii sunt Zelosi, qui ex ignorantia potiùs, quàm pertinacia judicant, suam sectam veritati & Evangelio conformem esse, ideòque tantò ardore eam tuentur, ut vitam potiùs perdere quàm errores deponere sint parati. 3. Alii sunt frigidi, id est, tales, qui quidem errores suos agnoscunt, & etiam parati sunt deponere, sed ob varias excusationes, quas frigidè prætendunt, in iisdem erroribus perseverant. 4. Denique alii sunt dubii, qui simplici ac recto corde veritatem quærunt, ideòque, quia ipsi per se eam invenire non possunt, ab aliis instrui ac juvari petunt; qui proin omni potiùs caritate ac mansuetudine fovendi, animandique sunt, ut sua dubia sincerè aperiant, atque, ut ab iisdem liberentur, accurata, Facilique instructione curandum. Cum solis ergo pertinacibus, Zelosis, & Frigidis Hæreticis offensivum bellum suscipiendum est; quod quidem qua ratione fieri possit, in hac parte ostendetur.

CA-

CAPVT I.

Quibus Potissimum Argumentis contra Hæreticos pugnandum sit.

QVemadmodum prima illorum, qui militiæ nomen dederunt, cura est, ut de aptis sibi armis provideant; ita prima quoque Theologi Polemici sollicitudo esse debet, ut argumenta addiscat, solida, quibus contra Hæreticos pugnare debeat: quæ quidem duplicis ferè sunt generis, generalia scilicet, & specialia: illa sunt, quæ in genere duntaxat fontes aperiunt, ex quibus ejusmodi argumenta petenda sunt: illa verò sunt, quæ ex monstratis fontibus tanquam aptiora & efficaciora seliguntur ad veritatem dogmatum Catholicorum, & falsitatem hæreticorum demonstrandam, de quibus proinde in hoc & sequentibus capitibus agetur.

§. I.

De primo fonte argumentorum nempe S. Scriptura petitorum.

1 Primus fons argumentorum meritò S. Scriptura æstimatur: hæc enim cùm nihil aliud sit, quàm verbum Dei revelatum, atque adeò infallibilem habeat authoritatem, hoc ipso efficacissima argumenta suppeditare creditur ad veritatem doctrinarum Catholicarum demonstrandam. Vnde & ipsi Adversarii hoc solo argumentorum genere, licet perperam, utuntur ad falsas suas doctrinas seu hæreses persuadendas; id Origenes in c. 14. ep. ad Rom. apta similitudine declarat: dum ait: Sicut Piratæ in occultis Scopulis maris lumen accendunt, ut navigentes ad naufragia perditionis sub spe salutis obtinendæ perducant: ita Hæretici lumen falsæ doctrinæ ostendunt, ut salutis suæ cupidos sub hac luminis specie ad fidei & salutis naufragium pertrahant. Sed & S. Epiphanius hæresi 34. contra Manich. alia similitudine idipsum confirmat, dum ait: Sicut dipsas venenatus serpens aquam, quam in occultis rivulis haurit, veneno inficit, ut

bestias

bestias pariter ex ea bibentes intolerabili siti accendat, & tandem omnino perimat; ita Hæretici, dum S. Scripturas velut fontes veritatis, veneno falsæ suæ doctrinæ corrumpunt, maximam quidem divini verbi æremin excitant, sed per eandem certum animæ interitum creant. Quare ut hoc armorum genere liceat utatur Theologus Polemicus, sequentia monita observet.

II. Primum est, ut, quoniam non omnes S. Scripturæ libros pro Canonicis illi agnoscunt, non facilè locum aliquem alleget ex tali libro, quem illi velut non Canonicum rejiciunt; hoc ipso enim, quòd eum pro vero Dei verbo non accipiant, textum ex eo depromptum tanquam infirmum, & humana solùm ratione nixum excutient.

III. Secundum monitum est, ut ubi textum aliquem à se ex libro ab ipsis ut Canonico admisso citatum falsà quapiam & subdola interpretatione juxta consuetudinem suam corrumpere conabuntur, jubeantur veritatem suæ interpretationis ex S. Scriptura probare; cùm enim talis textus aliter à Catholicis, aliter ab ipsis explicetur, hoc ipso dubium est, quænam ex his interpretationibus velut legitima sit præferenda, atque adeò ab illis ex Scriptura, quam solam illi pro Iudice controversiarum agnoscunt, dubium hoc resolvi debebit.

IV. Tertium monitum est, ut non tam ipse ex S. Scriptura telum aliquod aut sententiam assumat, quàm Adversariorum tela ex eadem Scriptura peti solita directè invadat, & confringat, id quod efficiet in hunc vel similem modum argumentando. Tunc hoc vel illud dogma vestrum veritati consentaneum censeri non potest, quando veram vos Scripturam non habetis; sed ita se res habet, ergo. Majorem libenter concedent, utpote qui nihil pro fidei dogmate agnosci volunt, nisi quod ex S. Scriptura probari queat. Minor autem sic ostenditur. Tria præcipuè in vera Scriptura spectari debent. 1. Canon seu Catalogus librorum Scripturæ. 2. Versio seu editio. 3. Sensus & interpretatio, atqui nihil horum, vos habetis; cùm neque Canonem, nec versionem, nec interpretationem vos legitimam habere ex S. Scriptura ostendere possitis, ergo rectè concluditur, veram Scripturam vos non habere, atque adeò fidei vestræ dogmata nullo solido argumento probari posse.

§. II.

§. II.

De secundo fonte argumentorum, Conciliorum scilicet, & Pontificum definitionibus.

I. Pro faciliori intellectu hujus fontis, notandum est, non esse hic sermonem de quibuscunque Conciliis, sed de iis duntaxat, quæ à Pontifice approbata sunt, ideòque parem etiam cum illo authoritatem habent, ut in prima parte dictum est. Talia autem præcipuè sunt generalia Concilia quæ diversis sæculis celebrata sunt, nempe in primo sæculo circa annum 51. Concilium Hierosolymitanum sub S. Petro. Tertio sæculo Constantinopolitanum primum contra Macedonium, & alios negantes divinitatem Spiritus Sancti. Quarto sæculo circa annum 325. Nicenum primum contra Arium; & circa annum 431. Ephesinum Concilium contra Nestorium item Chalcedonense anno 457. contra Eutychetem & Dioscorum. Quinto sæculo Constantinopolitanum secundum contra Petrum, Severum, & alios Origenistas, Sexto sæculo Constantinopolitanum tertium contra Monothelitas. Septimo sæculo Nicenum secundum contra Iconomachos. Octavo sæculo Constantinopolitanum quartum contra Photium pro S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano. Vndecimo sæculo Lateranense primum, secundum, tertium pro jure Cleri, contra Saracenos & hæresin Catharorum habita. Duodecimo Lateranense quartum, contra Albigenses & Ioachimum Abbatem; & Lugdunense primum sub Innocentio quarto, in quo Fridericus Imperator depositus, & expeditio pro terra sancta recuperanda decreta est. Item Lugdunense secundum sub Gregorio decimo pro unione Græcorum cum Latinis. Decimo tertio sæculo Concilium Viennense sub Clemente Quinto, in quo Ordo Templariorum deletus fuit. Decimoquarto Concilium Florentinum, sub Eugenio Quarto pro unione Græcorum cum Latinis. Decimo quinto tandem sæculo Concilium Lateranense quintum contra conciliabulum Pisanum & Turcas; & Tridentinum anno 1545. inchoatum, & 1563. sub Pio Quarto finitum contra hæreses & corruptos hujus sæculi mores.

II. Ex

II. Ex his itaque Conciliis & definitionibus Pontificum ; etsi apud Catholicos infallibilem habeant authoritatem , quia tamen ab Hæreticis solam Scripturam pro legitimo Iudice agnoscentibus unanimiter reiiciuntur , argumenta desumi quidem possunt, ac debent, sed ita, ut non veluti primaria assumantur,(cùm unica negatione consequentiæ omnia antecedentia propositiones fidei nostræ continentia sint elusuri) sed pro confirmatione duntaxat adhibeantur, quemadmodum Bellarminus , & alii Controversistæ passim faciunt, & rectè , cùm enim talia Concilia ex Sanctissimis , doctissimis, & sapientissimis , atque in summa dignitate constitutis hominibus sint congregata,& præterea cum tanta præparatione, consideratione , prudentia ac maturitate singula dogmata & controversiæ examinentur. ac decidantur , meritò credi potest, his potiùs Spiritum Sanctum astitisse, & veritatem manifestasse, quam Hæresiarchis, qui proprio potiùs ingenio ac affectu, quàm ex inspiratione Dei proprios sibi fidei suæ articulos cuderunt ; atque adeò etiam talia argumenta non exiguam vim habent ad eorum pertinaciam & errorem ostendendam.

§. III.

De tertio fonte argumentorum, nempe Traditionibus.

I. Ex hoc fonte tanquam Verbo Dei non scripto , eadem ferè ratione , sicut ex præcedenti argumenta petenda & usurpanda sunt : cùm enim Hæretici Solum Scriptum DEI Verbum agnoscant , & admittant , facilè iterum excutient tela , quæ ex ejusmodi Traditionibus seu Verbo DEI non scripto contra eos torquentur . Quare pro confirmatione potiùs , quàm primario argumento adhibendæ sunt : aut certè priùs, quàm particularis aliqua doctrina ex iisdem probetur, demonstrandum in genere erit, ejusmodi Traditiones admittendas esse , quod ut faciliùs præstetur, sequentia monita servire poterunt.

II. Et primò quidem ante omnia ostendatur , quàm prudentes & communi hominum praxi atque experientiæ confor-

conformes sint regulæ , quas Ecclesia ad cognoscendas traditiones Apostolicas adhibet, & Fidelibus suppeditat, suntque sequentes . Prima , si tota Ecclesia vel Pontifex cum generali aliquo Concilio doctrinam aliquam , quæ in S. Scriptura non reperitur, pro articulo fidei recipit, qualis e. g. est articulus de Virginitate Matris DEI , Canon S. Scripturæ , cultus imaginum &c. Secunda regula est, si eadem Ecclesia aliquid observet , quod Solus Deus imperare potest , quales traditiones sunt quòd Infantes baptizandi ; ij autem , qui ab Hæreticis baptizati sunt , non debeant iterum baptizari. Tertia , si aliquid in Ecclesia observetur , cujus initium deprehendi non potest , nisi ad ipsum tempus , quo vixerunt Apostoli recurratur, quales sunt , quòd Dominica loco Sabbati sit festivè celebranda : quòd Quadragesimale jejunium observandum : aqua & sal benedictus piè usurpandi &c. quam regulam S. Augustinus ep. 118. sequentibus verbis proponit : *Illa autem , quæ non scripta , sed tradita custodimus , quæ quidem toto terrarum orbe observantur , dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis , vel plenariis Conciliis , quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas , commendata atque statura retineri ; sicut quòd Domini passio , & resurrectio , & ascensio in cœlum anniversaria solemnitate celebrantur . Et si quid aliud tale occurrerit , quod servatur ab universa , quacunque se diffundit , Ecclesia.* Quarta regula est , si omnes Doctores Ecclesiæ unanimiter , vel certè aliqui illorum , cæteris non dissentientibus, aliquam doctrinam pro traditione agnoscunt ; quales sunt crucis signum & aliæ cæremoniæ in baptismo , benedictio aquæ baptismalis, Exorcismus ibidem adhiberi solitus. Has, inquam, regulas prudentissimè ab Ecclesia adhiberi ostendat ex eo , quòd experientia quotidiana constet , si vel unus, aut alter vir gravis , maturus, ac spectatæ vitæ fama celebris asseveret , se hoc vel illud ab alio quopiam audivisse , nemo prudenter in dubium revocare possit , quòd revera illud audiverit ; quantò magis ergo , si tot Pontifices, tot Concilia, tot Sancti Patres asserant, se ab ipsis Apostolis, aut eorundem successoribus aliquid audivisse , fides tali assertioni prudenter denegari non poterit ; *insolentissima* profectò *insaniæ , est* , inquit D. Augustinus loc. cit. *disputare , an faciendum sit , quod tota per orbem frequentat Ecclesia .*

III. Secundo ostendat : quàm rationabile pariter sit ; ut ejusmodi traditionibus æquè firmus assensus , ac ipsi Verbo Dei scripto præstetur ; cum enim doctrina talis non minùs à Deo Apostolis inspirata sit, quàm illæ doctrinæ , quas scripto illi tradiderunt, meritò eadem quoque illis authoritas , quæ scripto Verbo conceditur , constare debet , perinde ficut mandatum Principis eandem vim & authoritatem habet apud subditos, sive scripto , sive voce perferatur ? aut SS. Apostolis Matthæo , Ioanni , Petro , & Iacobo : aut Sanctis , Evangelistis Marco & Lucæ velut Verbum Dei loquentibus firmissimus assensus præbeatur , eò quòd doctrinas suas scripto reliquerint , & non æquè pro Verbo Dei agnoscatur, quòd S. Andreas, Bartholomæus , cæterique Apostoli viva voce tradiderunt ? quis credat Christianos , antequam Apostoli novum Testamentum conscriberent , sine legitimo Verbo Dei explicante , quid in lege gratiæ observandum sit , relictos fuisse ?

IV. Tertiò ostendat , quàm vacillatura sit tota fides dogmatica, nisi traditiones admittantur ; quid enim magis ad hanc fidem necessarium est , quàm ut cognoscatur , firmissimèque credatur , quod tota Scriptura Veteris ac novi Testamenti sit verum Dei Verbum ? quodque in iis , quæ ad fidem & salutem necessaria sunt , salva & incorrupta maneat ? atque legitimum illius sensum habeamus ? quod item symbolum fidei , quod de facto velut compendium doctrinæ Apostolicæ recitamus , sit verè ab Apostolis compositum , traditumque ? atqui hæc omnia non aliunde sanè , quàm ex traditionibus probari possunt , meritò ergo S. Basilius in lib. de Spir.S.c 27. concludit: *Dogmata , quæ in Ecclesia servantur , & prædicantur , partim ex conscripta doctrina habemus ; partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recipimus . Quæ utraque eandem ad pietatem vim habent , & nemo his contradicit , qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet .* Alioqui enim frustra S. Ioannes c.ult. dixisset: *Sunt autem & alia multa , quæ fecit IESVS : quæ si scribantur per singula , nec ipsum arbitror mundum capere posse eos , qui scribendi sunt , libros.*

§. IV. De

§. IV.

De quarto fonte argumentorum, videlicet SS. Patribus.

I. Vt hoc fonte fructuosè utatur Theologus Polemicus , tria de illo nosse debet . 1. Quinam Scriptores præcipuè inter SS. Patres numerandi sint , & quo tempore vixerint : ut quàm antiqua fuerit eorum doctrina, clariùs cognoscatur, tantòque majorem authoritatem accipiat , quantò propiùs ad Apostolorum tempora accesserit . 2. Quam authoritatem illi apud Catholicos habeant . 3. Quid Hæretici de illis sentiant , & quomodo ex illis contra hos argumentari liceat , quæ omnes quæstiones in hoc paragrapho breviter decidentur .

II Primam ergo quæstionem quod attinet , eos duntaxat SS. Patres hic indicabo , qui indubitatè inter SS. Patres numerantur , & præcipui censentur , quales in primo sæculo fuerunt , (teste Bellarmino de scriptoribus Ecclesiasticis , ex quo potissimùm hic Catalogus desumetur) S. Clemens Romanus Pontifex , S. Ignatius Episcopus Antiochenus & Martyr , S. Dionysius Areopagita S. Pauli discipulus . In Secundo sæculo S. Iustinus Philosophus & Martyr , & S. Irenæus Episcopus & Martyr . In tertio sæculo Tertullianus , qui initio Catholicus erat ardentissimi Zeli , sed postea in Montani hæresin prolapsus , non pauca contra Ecclesiam scripsit . Vnde secundùm quid tantùm , id est , secundùm ea , quæ Catholicæ fidei conformia sunt , inter Scriptores Sacros numeratur : Clemens Alexandrinus Presbyter & Origenis Magister , S. Hippolytus Episcopus & Martyr . Origenes Adamantius , qui ultra sena millia librorum scripsit , ex quibus tamen , quia aliqui hæresis damnati sunt , soli illi recipiuntur , qui nihil Catholicæ doctrinæ contrarium continent : S. Gregorius Thaumaturgus Episcopus Neocæsarienis : S. Cyprianus Episcopus vir eloquentissimus , & Sanctissimus : S. Dionysius Alexandrinus ; S. Zeno Episcopus & Martyr : S. Methodius Episcopus & Martyr . In quarto sæculo S. Macarius Senior , S. Athanasius Episcopus Alexandrinus ,

drinus, & Ecclesiæ Doctor, S. Hilarius, Pictavorum Episcopus, S. Optatus Milevitanus Episcopus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S Ephrem Diaconus Edessenus, S. Basilius Magnus Archiepiscopus Cæsarienſis in Cappadocia, S. Gregorius Nazianzenus, uterque Ecclesiæ Doctor, S. Damasus Romanus Pontifex, S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, S Ambrosius Mediolanensis Episcopus & Ecclesiæ Doctor, S. Gregorius Nyssenus Episcopus S. Basilii Frater, S. Hieronymus Presbyter, & Ecclesiæ Doctor, S. Ioannes Chrysostomus Ecclesiæ Doctor & Episcopus Constantinopolitanus, ex quibus constat, nullum facilè sæculum isto fortunatius quoad Scriptorum Sacrorum multitudinem & præstantiam fuisse. In quinto sæculo S. Augustinus Episcopus Hypponensis & Ecclesiæ Doctor, S. Maximus Episcopus Taurinensis, S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, S. Petrus Chrysologus Episcopus Ravennas, S. Leo magnus Papa, S. Nilus Constantinopolitanus Monachus, S. Prosper Episcopus Rhegiensis, Salvianus Episcopus Massilienſis. In Sexto sæculo S. Fulgentius Cartaginensis, Episcopus Ruffensis, S. Ioannes Climacus Monachus, S. Dorotheus Archimandrita, S. Gregorius Turonensis. In Septimo sæculo S. Gregorius Magnus Papa & Doctor Ecclesiæ, S. Isidorus Hispalensis Episcopus, S. Ildephonsus Episcopus Toletanus. In octavo sæculo S. Germanus Episcopus Constantinopolitanus, Venerabilis Beda Presbyter Anglus, S. Ioannes Damascenus. In nono S. Eulogius Martyr. In undecimo S. Fulbertus Carnotensis Episcopus, S. Petrus Damiani Cardinalis, S. Anselmus Cantuariensis Episcopus, Ivo Carnotensis Episcopus. In duodecimo Rupertus Abbas Tuitiensis, S. Bernardus Abbas Claravallensis, Petrus Abbas Cluniacensis, Hugo de S. Victore Monachus, Richardus de S. Victore Canonicus Regularis, Arnoldus Carnotensis Abbas bonæ vallis. In decimo tertio Innocentius tertius Papa, S. Edmundus Cantuariensis; S. Albertus Magnus Episcopus Ratisbonensis, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura Cardinalis. In decimo quarto Idiota, qui ex humilitate proprium nomen suppressit, S. Henricus Suso Monachus Dominicanus, S. Vincentius Ferrerius Dominicanus, S. Bernardinus Senensis, S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, S. Laurentius Iustinianus Episcopus Venetorum.

III. Circa

III. Circa secundam porro quæstionem quanta scilicet sit apud Catholicos authoritas SS. Patrum, maxima illæ semper fuit & etiamnum est in Ecclesia, & meritò, nam de illis propriè intelligenda est illa Salomonis adhorratio Eccles. 8. *Non te prætereat narratio Seniorum: ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Vnde & S. Augustinus l. 2. contra Iulian. c. 22. de antiquioribus Patribus dicit: *Quod credunt Patres, credo: quod tenent, teneo: quod docent, doceo: quod prædicant, prædico.* Et infra. *Quod enim invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, Filiis tradiderunt.* An verò illorum authoritas infallibilis sit, non levis est controversia inter Catholicos, ad quam cum distinctione respondendum est; vel enim singuli considerantur, vel omnes; si singuli, vel etiam pauci, habent quidem authoritatem humanam satis magnam, non tamen infallibilem: si omnes simul conspirent (id quod duplici modo fieri potest, positivè scilicet, ut omnes idem asserant: vel negativè, ut, quod plures dicunt, reliqui saltem non negent; vel certè si unus aut alter neget, respectu plurium, qui affirmant, attendendus non videatur, ut exponit Valenria l. 8. controv. c. 8.) tum iterum distinguendum est: si enim eorum doctrina à Pontifice, vel Ecclesia recepta est, sicut hodie traditiones, & unanimes S. Scripturæ expositiones à Concilio Tridentino Sess. 4. sunt receptæ; tunc certum est, doctrinam eam esse infallibilis authoritatis: si verò Ecclesia aut Pontifex expresè eam non probaverit, tunc Melchior Canus quidem l. 7. loc. Theol. c. 4. & Valentia l. c. putant, eos adhuc habere diuinam & infallibilem authoritatem, eò quòd Ecclesia universa eos audire tanquam Pastores suos teneatur; rectiùs tamen Vasquez p. 1. d. 12. n. 2. & alii docent, eos humanam duntaxat authoritatem habere, metaphysicè quidem fallibilem, moraliter tamen infallibilem, eò quòd ejusmodi Patribus non major authoritas tribui debeat, quàm Concilio Generali (sunt enim illi minor portio Ecclesiæ, quàm Concilia generalia), utpote quæ ex totius mundi Pastoribus & Doctoribus sunt congregata (atqui Concilia generalia non habent authoritatem infallibilem sine approbatione Pontificis (cùm de facto Pon-

tifices decreta quædam talium Conciliorum improbaverint) ergo nec Patres conspirantes sine Pontificis approbatione infallibilem habent authoritatem. Vnde non absolutè audiendi sunt SS. Patres, quemadmodum contraria sententia supponit, sed quatenus suas doctrinas ex S. Scriptura, vel Ecclesiæ definitionibus probant; id quod S. Augustinus ad S. Hieronymum scribens satis clarè indicavit, dum dixit: *Ego solis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, reverentiamque deferre, ut nullum eorum Authorem scribentem aliquid erraſſe credam, alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate, doctrinaque propolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione persuadere potuerunt.* Moraliter tamen infallibilem authoritatem ex eo capite habere censentur, quòd hoc ipso, quòd tot, tamque docti & Sancti viri conspirent, probabile non sit, eos à Deo desertos, & non potiùs à Spiritu Sancto directos esse.

IV. Circa tertiam denique quæstionem, quanta scilicet sit apud Hæreticos horum Patrum authoritas, sciendum est, olim quidem Hæresiarchas abjectissimè de iis sensisse, eorumque scripta stultitiam & meram garrulitatem, ipsos verò superstitiosos, imprudentes, in discretos appellasse, modernos tamen Hæreticos paulò modestiùs de iisdem sentire, & saltem tunc eorum authoritatem recipere, quando eorum scripta & dicta cum S. Scriptura consentiunt: Quo proinde in casu efficaciter contra illos argumenta ex SS. Patribus torqueri possunt; imò idipsum rectè etiam in aliis doctrinis expresse in S. Scriptura non contentis fieri, patet tum ex exemplis obviis Controversistarum; tum ex ipsa eorum authoritate, cùm enim hi Patres & Viri sanctissimi, & doctissimi, & primitivæ Ecclesiæ tam vicini extiterint, meritò credi potest, eos nec divinis auxiliis orbatos nec humanis præsidiis destitutos fuisse; si enim Hæretici tam in Sanctitate, quàm doctrina illis longissimè impares assistentiam S. Spiritus sibi promittere sunt ausi, cur non magis tot, tamque sanctis & doctis viris eandem concedamus? Vnde si non ad omnino debellandos, certè ad imprudentiæ & impietatis convincendos, minusque excusabiles apud DEVM reddendos Hæreticos subserviet desumpta ex fonte isthoc argumentatio.

§. V.

§. V.

De quinto fonte Argumentorum ex humana ratione petitorum.

I. Etiam hic fons non omnino spernendus est, ut qui; sicut argumenta ad hominem continet, ita non modicam etiam vim habere creditur ad Hæreticorum pertinaciam convincendam. Triplici autem modo ejusmodi argumenta formari possunt.

II. Primò ex principiis lumine naturæ notis; cùm enim, teste Psalmista Psal. 4. signatum sit super nos lumen vultus DEI, id est, intellectus à DEO datus lumine naturali ita illustratus, ut illius auxilio facilè cognoscere possit, quid agere vel omittere debeamus, meritò insignis pertinaciæ convincitur, qui huic lumini naturali repugnare deprehensus fuerit. Vnde hic modus non rarò à Theologis polemicis adhibetur, maximè dum ostendere conantur, absurdissimas esse doctrinas, ipsique rationi repugnantes, quas adstruere sunt ausi.

III. Secundò ex praxi & consuetudine hominum prudentum & proborum; cùm enim talium hominum vita & facta meritò pro exemplo & lege vivendi assumi queant, hoc ipso reprehendi non possunt doctrinæ aut actiones, quæ talium hominum exemplis conformes esse ostendentur. Et hic modus non rarò usurpatur à Theologis polemicis contra Hæreticos, maximè quando de cæremoniis, & cultu ac invocatione Sanctorum disputatur.

IV. Tertiò tandem ex mala cohærentia principiorum & doctrinarum ab ipsis Hæreticis traditarum: cùm enim verum vero repugnare non possit, meritò suspecta haberi potest doctrina, quæ alteri cuipiam doctrinæ, quàm illi veram agnoscunt, contraria esse deprehenditur. Vnde hic modus creberrimè usurpatur à Theologis polemicis ad Hæreticorum dogmatum falsitatem demonstrandam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT II.

Quibus motiuis seu rationibus Theologus polemicus uti Debeat ad veritatem fidei catholicæ Persuadendam.

VAria, ea que sat multa afferri solent à Theologia Polemicis argumenta, quibus probare conantur, solam nostram Catholicam fidem esse veram fidem, in qua homines salvari queant, ex quibus tamen multa subtiliora sunt, quàm ut ab hominibus indoctis & simplicibus sufficienter intelligi possint. Quare ea tantùm hic afferentur, quæ cuivis homini, ut nostram fidem præ cæteris veram esse credat, convincendo magis idonea esse meritò censentur.

§. I.

De primo genere motivorum ex notis Ecclesiæ petitorum.

I. Primum genus motivorum, quibus Theologia polemica utitur ad fidem Catholicam persuadendam, ex notis veræ Ecclesiæ plerumque desumitur, & sic in formam redigitur. Illa fides est velut vera amplectenda, quam vera Ecclesia tradit; atqui talis est Catholica nostra fides, ergo &c. Major propositio patet, quia Ecclesia est columna & firmamentum veritatis. Minor probatur hac ratione. Ad veram Ecclesiam requiritur, ut sit una, sancta, Catholica, & Apostolica; item visibilis, infallibilis, & nota; atqui hæc omnia soli nostræ Ecclesiæ conveniunt; in hac quippe sola reperitur *vera unitas*, cùm nemo aliud credat, aut doceat in substantialibus, quàm quòd Ecclesia credendum proponit: *vera sanctitas*, ut quæ non tantùm ad DEVM simpliciter per observationem mandatorum, sed etiam perfectissimè per consiliorum Evangelicorum adimpletionem colendum impellit, & ideo sanctissimas semper & miraculis claras Personas gremio suo complectitur: *Vera universalitas*, ut quæ per totum mundum propagata est; *Vera successio*, ab Apostolorum tempore, ob

ob quam meritò Apostolica vocari potest: *Vera visibilitas*, quia in ea Pastores visibiliter gubernant, docent, Sacramenta administrant, & ipsi vicissim fideles Pastores suos agnoscunt, Sacramenta recipiunt, præcepta observant &c. *Vera infallibilitas*, quia omnia signa infallibilis assistentiæ Spiritus Sancti habet, ut ex primis quatuor notis patet: *Vera notoricitas*, quia passim & ubique se per Pastores suos manifestat, & variis miraculis, ac argumentis suam authoritatem, potestatemque confirmat. Vnde meritò S. Augustinus de symb. a ad Catech. c. 6. dixit: *Ita est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnans: pugnari potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia, de vitâ præcisa; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua; portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.*

II. Atque hoc argumentum sicut Catholicæ fidei veritatem luculenter demonstrat, ita non minùs efficaciter & clarè ostendit falsam esse quamcumque Hæreticorum, qui hactenus exorti sunt, sectam; nam quis sibi persuedeat veram ibi doctrinam reperiri ubi ipsi Authores doctrinarum tantopere sibi contradicunt, & aliis. Nam 1. quidem Authores hæresum turpissimis sese mutuò convitiis & criminationibus proscindunt, ut passim apud Controversistas videre est. 2. Sibi ipsis sæpissimè contradicunt; nam Zuvinglius apertè fatetur, se tradendo doctrinam de Eucharistia, tempori potiùs, quàm rei scripsisse; imò l. 2. de bapt. ingenuè confitetur, se aliquot ante annos deceptum satiùs credidisse, si tum demum baptizarentur Parvuli, ubi ad justam ætatem perveniissent. Lutherus tam sibi ipsi dissimilis fuit, ut triginta sex adversantes sibi responsiones de sola utraque specie Sacramenti effutiverit, ut Balthasar Chanasius de notis relig. l. 3. c. 1. ostendit; innumeras verò alias ejusdem contradictiones Conradus Vetter in libello, quem Lutherana Pinnula. inscribit, enarret. Idem fecit Calvinus, uti idem Chanasius ex ipsius verbis ostendit. Iam verò 3. quàm ipsi horum Hæresiarcharum Authores inter se dissideant, quis non videt, & ridet? Anno 1557. Colloquium Vuormatiense indictum cum magno risu ideo duntaxat solatum est, quòd Lutherani inter se convenire non potuerint, quinam veri Protestantes Augu-

stanæ

stanæ professionis dici debeant. Calviniſtæ in Proteſtantes (qui varias Cæremonias admittunt) & Puritanos, qui omnes ejuſmodi cæremonias reiiciunt, dividuntur, tantoque inter ſe odio flagrant, ut nulla ratione unquam placari poſſe videantur. Anabaptiſtæ in Muncerianos, Apoſtolicos, Separatos, Enthuſiaſtas, Liberos, Adamitas ſeu nudè incedentes, Huſſitas &c diviſi ſunt. Zuvingliani tam perplexi ſunt in ſua fide, ut vix duo inveniatur ejuſdem ſententiæ, ideòque paſſim nunc ſe Calviniſtis aut Lutheranis adjungant; ut adeò meritò de talibus Hæreticis dici poſſit, quod nonnemo ex illis de Evangelicis Auguſtanæ Confeſſionis dixit: Ibi rixandi neque finis, neque modus ullus. Quilibet in hoc laborat ut juſtam cauſam habere videatur, atque alium opprimat. Et quiſquis aliquid novi proferre poteſt, unde nomen venetur, id liberè facit. Sordet mihi profectò mundus, cathedræ item & pulpita, & ſuggeſtus mihi ſordere incipiunt, in quibus odia iſta venenata & contentiones ruinam ſpectantes deprehenduntur. Ita ille; ex quo patet, verum eſſe, quod S. Athanaſius in orat. 1. contra Arrium pronunciavit, in hoc ſolo videlicet Hæreticos non diffidere, quòd Catholicam fidem inexplicabili odio proſequantur, & totis viribus oppugnent.

§. II.

De motivis ex fine veræ Religionis petitis.

I. Cùm in vera Eccleſia ante omnia verus DEI cultus vigere debeat, ideo meritò inter præcipuas illius notas vera religio numeratur; quid enim aliud eſt Eccleſia, niſi Congregatio Fidelium? qui autem alii Fideles cenſendi ſunt, niſi ii, qui & verum DEVM agnoſcunt, & eundem legitimo modo colunt, & amant, propter quem finem ab ipſo conditi, & in hoc mundo poſiti ſunt. Quare rectè ex hoc motivo tale argumentum conficitur: Illa Eccleſia cenſeri meritò poteſt vera Religio (ſumendo hic Religionem pro ipſa Congregatione hominum DEVM legitimè colentium) in qua & verus DEVS agnoſcitur, & debito modo colitur; atqui talis eſt ſola noſtra Eccleſia, ergo. Major ex numero primo patet. Minor probatur per ſingulas partes.

II. Nam

II. Nam 1. Sola Eccleſia & Religio Catholica fatetur DEVM ab æterno & à ſe exiſtere, aliaque attributa DEI, puta Vnitatem, Sapientiam, Omnipotentiam, Bonitatem &c. agnoſcit. Præterea credit eundem unum in Natura, trinum verò in Perſonis eſſe. Credit pariter Chriſtum eſſe verùm DEVM & Hominem, æqualem Patri ſecundùm Divinitatem, minorem Patre ſecundùm Humanitatem, unum non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate Perſonæ, aliæque, quæ de eodem & Spiritu Sancto in Symbolo S. Athanaſii enarrantur; quæque nulla alia ſecta univerſim credit, uti facilè ſingulas percurrenti patebit.

III. Sed & 2. Modum colendi DEVM aptiſſimum & veriſſimum habet, utpote in quo & locus, & tempus, & inſtrumenta, & actiones, & cæremoniæ indicant ſummam de Deo æſtimationem, hominemque excitant ad eundem ſummè colendum & amandum; nam inprimis locum quod attinet, quis neſcit Catholicorum templa, ſive magnificentia, ſive ornatus, ſive mundities, ſive reverentia illis exhiberi ſolita ſpectetur, ſingularem quandam de DEO æſtimationem & venerationem ingenerare? cùm è contrario Hæreticorum templa rudiſſima ſint, & profanis potiùs ædificiis ſimilia. Sed & tempus quoque convenientiſſimum à Catholica noſtra Religione eligi, patet ex varietate pulcherrima Feſtorum, quorum aliqua ſunt Duplicia magis vel minùs ſolemnia, aliqua Semiduplicia, aut omnino Simplicia, ut ex hac diverſitate diſcant Fideles, diverſam de DEO, & Sanctis æſtimationem concipere, & proportionatum cuique cultum exhibere. Quin & ipſa prohibitio laboris ſervilis, miſſæque audiendæ præceptum, aliaque exercitia his diebus peragi ſolita, aptiſſima ſunt ad cultum DEVM promovendum, uti nemo negare poteſt. Iam verò inſtrumenta quoque ſimilem aptitudinem habere, patet tum ex præſtantia Altarium vaſorum, & veſtium in Sacrificio Miſſæ adhiberi ſolitorum; tum ex eorum munditie & benedictione, qua prius ad Sacros uſus Deo conſecrari, ac à profanis vaſis ſeceni ſolent. Actiones verò noſtræ Religionis Deo digniſſimas eſſe, facilè quiſque ſibi perſuadebit, quiſquis vel horarum publicarum recitationem, vel Sacramentorum adminiſtrationem, Sacrarum Reliquiarum venerationem, votorum, decimarum, & Oblationum conſtantem uſum, operum

rum bonorum, & jejunii præcipuè. aliarumque castigationum corporis exercitium perpetuum & præcipuè ipsius SS. Missæ Sacrifitii quotidianam oblationem accuratè perpenderit, quorum nihil ferè apud Hæreticos reperitur. Certè unit cum SS. ac præstantissimum Missæ Sacrificium si spectetur, sussicientissimum nostræ Religionis amplectendæ, & contrariæ cujuscunque reiiciendæ causam præbere posset: cum enim DEVS tam in lege naturæ, quàm Mosaica nullum ferè cultum magis ab hominibus requisierit, quàm illum, qui per Sacrificia exhibetur, meritò credi potest, eum in sola gratiæ lege hunc cultum non abrogare, sed potiùs, sicut hæc lex infinitis quodammodo modis legem naturæ & Scriptam antecedit, ita Sacrificium quoque infinities perfectius, quale nostrum est Missæ Sacrificium, substituere voluisse; atque adeò contrarias omnes sectas, cùm omni Sacrificio reali careant, jure de falsitate Religionis suspectas censeri posse. Ipsas denique cæremonias, quæ in Ecclesia adhibentur, ad eundem DEI cultum aptissimas esse, facilè ex earum honestate, dignitate, sanctitate, & significatione colligi potest.

§. III.

De Motivis ex propagatione fidei Catholicè petitis.

I. Etiam hoc motivum non modicam, imò majorem ferè, quàm omnia alia vim habet ad veritatem fidei Catholicæ demonstrandam; cùm enim DEVS omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire velit, rectè colligitur eum pro hoc fine obtinendo efficacem alium modum, quo fides Catholica promulgari per totum orbem facilè posset, providere, suæque Ecclesiæ communicare debuisse, qualis quidem est miraculorum patratio, ex quo proinde sequens argumentum fieri potest.

II. Illa fides meritò ut vera agnoscitur, & approbatur, quæ innumeris, & manifestis miraculis est probata & propagata; atqui sola fides Catholica est talis, ergo. Conclusio est legitima, si primæ duæ præpositiones efficaciter probentur, quod quidem non difficulter præstari potest. Nam prima

ma quidem propositio, quòd miracula sint efficacissimum medium probandi & progagandi Religionem, seu doctrinam à DEO revelatam esse ostendendi, patet 1. ex S. Scriptura & SS. Patribus, qui miracula nunc signa, nunc testimonia DEI vocant. Sic Christus Ioan. 6. dixit: *Ego habeo testimonium majus Ioanne; opera enim, quæ dedit Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quæ facio testimonium perhibent de me.* Item Ioann. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me opera, qua ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Vnde S. Augustinus l. de utilit. cred. c. 16. ait: *Sicut sermoni humano verba nova vel minùs usitata moderatè ac decenter aspersa splendorem acuunt; ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus quodammodo luculentior est divina eloquentia.* Hinc & S. Macarius, ut refert Cassianus coll. 15. c. 3. cum Hæretico disputans aiebat: Non est in verbo Regnum DEI, sed in virtute; eamus igitur ad sepulchra, & nomen Domini super mortuum, qui primus inventus fuerit, invocemur; ostendamus ex operibus fidem nostram, ut manifestissimè rectè fidei documenta ejus testimonio declarentur. Patet 2. eadem majoris veritas ex ipsa necessitate miraculorum, quid enim magis à Famulo quodam aut Legato, qui nomine Domini varia, & gravis momenti negotia ac mandata à Subditis perficienda proponit, requiritur, quàm ut literas sigillo Domini sui confirmatas exhibeat? quidni ergo pariter ab iis, qui ad fidem veram DEI jussu amplectendam persuadere homines volunt, ejusmodi sigillum exigatur? quod autem aliud, certiusque sigillum ostendi potest, quàm miracula quæ solus DEVS facere tanquam causa principalis potest, in confirmationem fidei patrata? fingamus sanè tempore illo, quo S. Franciscus Xaverius in India Evangelium prædicare incepit, cum ille Lutheranorum pariter Prædicantem in Indiam se contulisse, & utrumque publicè coram Indis dixisse, se à DEO missum fuisse, ut verum Evangelium ipsis annunciet; quo quæso, indicio colligere potuissent, unum vel alterum esse verum DEI Legatum, nisi alteruter illorum talia opera in confirmationem fidei patrasset, quæ solis humanis viribus effici non potuissent? Certè si omnes omnino missiones DEI à condita orbe factæ inspiciantur,

tur, omnes ejusmodi signis confirmatæ reperientur; sic Moyses missionem suam AEgyptiis, sic Christus Iudeis, sic Apostoli Gentibus; sic Recentiores sancti variis Populis probarunt, idque adeò necessarium etiam ipse Lutherus censuit, ut to. 2. Germ Vvittenb. f. 245. §. 1 dixerit, Populum diligenter instruendum ac monendum esse, ut nullum Evangelii Prædicatorem recipiat, quem non priùs quærant, quis eum miserit? & ubi sint literæ & sigilla, quibus missionem suam confirmet? ubi sint miracula, quæ ostendant, eum legitimè à DEO missum fuisse.

III. Iam verò minor propositio, quòd videlicet sola Catholica religio & fides ejusmodi miraculis sit confirmata, patet ex quadruplicis generis miraculis in ejus confirmationem patratis, videlicet ex futurorum vatidicis prædicationibus, ex ejectione malorum spiritum ab Energumenorum corporibus, curatione miraculosa veriorum morborum, & mortuorum suscitatione, quorum singulorum generum varia & testatissima exempla affert Bellarminus to. 2. l. 4. c. 14. Coccius tom. 2. l. 8. a. 13. & plurimi alii Scriptores. Cùm tamen contrariarum Sectarum Professores & Auctores nec unicum quidem ejusmodi miraculum patrasse comperiantur sed potiùs illa, quæ patrare conati sunt, pessimè ipsis successerint. Vti idem Bellarminus l. 4. c. 14. de not. Eccl. & Thomas Bozius design. Eccl. l. 5. c. 2. variis exemplis confirmant. Vt adeò ob hoc argumentum meritò Richardus de S. Victore l. 4. de Trin. c. 2. dixerit: *Domine, si error est, à te decepti sumus, nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

IV. Neque obstat 1. Quòd nonnunquam etiam à simplicibus aut malitiosis hominibus imò ipsis etiam Dœmonibus patrata sciantur; nam vel talia miracula vera non fuerunt, uti postea ex falsitate eorum detecta constabat; vel certè non nisi ad confirmationem veteris alicujus doctrinæ patrata fuerunt; nunquam autem DEVS hominibus malis ad novos articulos miraculis probandos adstitisse legitur; multò minùs autem permisse, ut Dœmon talia operaretur; alioqui enim utique idem Dœmon in aliis etiam sectis ad seducendos homines talia miracula patraret; &, si id fieret; malè Christus dixisset, ut, si credere non vellent Iudæi, operibus

bus crederent, cùm statim Iudæi respondere potuissent, etiam Diabolum talia opera patrare posse, atque adeò ex operibus ejus doctrinæ veritatem colligi non posse.

V. Neque obstat 2. quòd juxta communem SS. Patrum ac Doctorum sensum miracula modò exigi non debeant, cùm fides nostra jam ante per miracula sufficienter sit probata; nam R. saltem tunc, quando novis & incognitis Gentibus ea fides prædicabatur, ea fuisse necessaria, id quod à nostræ fidei promulgatoribus, non autem à sectariis unquam est præstitum, Deinde verò cùm semper etiam novi & novi Fideles nascantur, quibus difficile accidere potest, ut, quæ à Majoribus vel Pastoribus audiunt, firmissimè credant, ad providentiam ac suavem gubernationem DEI spectat, ut semper hanc miraculorum gratiam Ecclesiæ suæ relinquat, non quidem, ut quivis Pastor aut Apostolus miracula talia faciat, sed tamen semper aliqui sancti Viri aut Fœminæ in Ecclesia reperiantur, qui talia miracula vel ipsi patrarint, vel certe ad DEI, Sanctorumque invocationem, vel reliquiarum & aliarum rerum sacrarum religiosum usum sint experti.

§. IV.

De motivis ex conservatione veræ fidei petitis.

I. Vt hic modus argumentandi clariùs cognoscatur, supponendum est, DEVM ob varias causas, sed tres præcipuè permisisse, ut variæ in Ecclesia sua hæreses nascerentur. 1. In pœnam peccatorum à Fidelibus commissorum; sicut maledicta est terra ob peccatum Adæ, ut spinas, & tribulos germinaret, unde Apostolus 2. Thessal. c. 2. ait: *Caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis DEVS operationem erroris, ut credant mendacio.* 2. Ad excitationem torporis in S. Scripturæ studio, & veritatis illustrationem; nam, ut rectè S. Augustinus l. sup. Gen. advertit, *ab Adversario mota quæstio discendi existit occasio multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine exagitantur. ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clarius, & prædicantur instantiùs.* 3. Vt probati manifesti fiant, quemadmodum S.

Pau-

Paulus 1. Cor. 11. indicavit, dum dixit: *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo e nam oportet & hæreses esse, ut &c. qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Cùm ergo prævideret DEVS, varias hæreses exorituras, meritò de tali medio providere Ecclesiæ suæ debebat, quo adversus tales hæreses efficaciter defendi, & falsas doctrinas à veras facilè discernere posset, quale quidem aptissimum & efficacissimum vidit fore, si Vicarium suo loco relinqueret, qui per assistentiam Spiritus Sancti promissam omnes controversias circa fidei dogmata exorituras sua authoritate & definitione decideret: nam hic modus inprimis est in omni Republica usitatus, atque adeò vel maximè conveniebat, ut etiam in Republica Ecclesiastica adhiberetur. Deinde valde necessarius erat, cùm neque S. Scriptura, nec Spiritus privatus hoc officium Iudicis præstare commodè possint, utpote de quibus semper ulterius dubitari possit, an habeatur legitimus Canon, versio, & interpretatio Scripturæ? an ista potiùs, quàm illa secta Spiritum privatum legitimum habeat? Præterea valde efficax est; sic enim statim decidi possunt lites, & concordia servari quemadmodum experientia ipsa, qua Ecclesiam hactenus adversus tot hæreses servatam intuemur, demonstrat. Sed & ipsi Ghristo valde honorificus est modus iste Ecclesiam suam conservandi; quia sic ostendit, se Regem totiùs Orbis Christiani, & caput Ecclesiæ: ostendit item bene à se ordinatam esse Ecclesiam per modum Exercitus, Reipublicæ &c.

II. Ex quibus omnibus patet, ex hoc motivo discursum hunc efficacissimum formari posse. Illa Ecclesia & Religio meritò ut vera agnoscenda & arripienda est, quæ habet efficacissimum medium ad fidei suæ dogmata illibata conservanda: atqui tale medium sola habet Catholica Religio, ergo illam solam ut veram agnoscere & amplecti decet. Major propositio per se clara est, si enim Religio aliqua falsis doctrinis se misceri permitteret, hoc ipso vera Religio esse desineret. Minor propositio ex probationibus numero prioris factis patet. Illatio est legitima. Firmior verò hic totus discursus erit si omnibus tribus hactenus enumeratis motivis collectis sit formetur: Illa Religio meritò cæteris præferenda est, quæ & fini Religionis est conformior, & efficaciora media ad sui

sui propagationem & conservationem à DEO accepit; atqui talis est sola Catholica Religio, ergo &c.

§. V.

De Motivis ex Personarum, quæ Catholicam fidem vel prædicarunt, vel susceperunt, qualitate petitis.

I. Etiam hoc motivum, si bene perpendatur, non parùm efficax censeri debet ad Catholicæ fidei veritatem persuadendam, quod quidem sic formari potest. Illa Religio & fides meritò cæteris præfertur, quam sanctissimi quique, doctissimique viri ex motivo solius propriæ & alienæ salutis procurandæ susceperunt, & prædicarunt, & non modò gravissimis cruciatibus, sed ipsa etiam morte constantissimè obita defenderunt; atqui talis est sola Catholica Religio, ergo &c. Major hujus discursus propositio ex eo videtur clara, quòd cùm negotium hoc summi sit momenti, meritò fides non omnibus sit adhibenda, sed multa in examen vocanda, & diligentissimè discutienda sint, præcipuè quis sit, qui fidei dogmata promulgat, quibus moribus instructus, quo instinctu ductus, quo animo, quo fine fidem ipse susceperit, aut promulgarit &c. neque enim credibile est, Christum, qui ipse efficacissimum persuadendæ Euangelicæ doctrinæ modum adhibuit, dum cœpit facere & docere, id est, exemplo docuit, quod verbis prædicavit, non eundem quoque in missis à se Apostolis & Doctoribus non pariter requisivisse. Minor autem propositio pariter per se manifesta videtur; quis enim nescit, quanta Sapientia decorati fuerint SS. Patres, qui Ecclesiæ Catholicæ dogmata suis scriptis tam copiosè illustrarunt, & tam potenter defenderunt? quis nescit doctissimos, & in omni genere literaturæ exercitatissimos viros etiamnum in nostra Catholica Religione reperiri? quis nescit, quàm plurimos ex doctissimis Hæreticis & Etnicis ad nostram Religionem, ob solos veritatis agnitæ stimulos, posthabitis suorum minis & contumeliis transiisse? quis nescit, innumeros sanctos miraculis & sanctitate clarissimos in nostra Religione floruisse? sed & innumeros pro Catholica fide vitam per exquisitissima tormenta posuisse?

II. E contrario verò quis nescit, Authores hæresum pessimos homines fuisse, Lutherum Apostatam Zuvinglium Parochum perduellem, Calvinum Canonicum exauctoratum; quis nescit, eos, qui deserta Religione Catholica ad Hæreticorum castra transierunt, solo luxuriæ, libertatis, aut alterius similis motivi impulsu transfugisse; quis nescit, quàm perniciosas & Sanctitati directè contrarias doctrinas illi tradiderint, videlicet DEVM esse peccati Authorem, hominem carere libero arbitrio, observationem legis esse impossibilem, nullam vim merendi inesse bonis operibus, per solam fidem in Christum atrocissima quævis scelera remitti, uxores debere esse communes, nullam copulam nisi cum Filia esse illicitam, fas esse uxores repudiare propter morositatem, sterilitatem &c. omnia opera esse reipsa peccata, usuram esse licitam ex quibus doctrinis via aperta est ad summam licentiam & gravissima peccata committenda, ita quidem, ut ipse Lutherus in colloq. mens. inter alia dixerit: sic corradendis opibus, & opprimendis, expilandisque hominibus intenti sunt nostri, ita student avaritiæ, furantur, prædantur sub Euangelii nomine, ut me pudeat. Calvinus verò in l. de scandalo dixerit: Turba nostra tota est adeò scelerata ac prodigiosa, ac belluina, ut nemo sana mente præditus de ea cogitare sine horrore possit? quis nescit, quàm infelici morte plerique Hæresiarchę objerint? Simon Magus, primus Ecclesiæ nostræ Hæresiarcha, dum Romæ certamen cum sanctis Apostolis Petro & Paulo in conspectu Populi Romani, Nerone Imperante suscepit, in aera elatus, precibus eorundem Apostolorum dejectus, ac terræ allisus obiit. Montanus & Priscilla laqueo sibi mortem conciverunt. Arrius cùm Constantinopoli in publicum Conventum, præsente ipso Imperatore Constantino, hilaris procederet, maxima hominum caterva stipatus, in via naturali necessitate compulsus ad alvum purgandam successit, ibique divino supplicio correptus intestina effudit. Manes Manichæorum primipilus vivus à Rege Persarum exustus est, quòd pollicitus esset, se Filio illius sanitatem restituturum, & causa fuerit mortis illius visus, Ebion balnei improvisa ruina oppressus est. Donatistæ circumcelliones è turribus rupibus & aliis ejusmodi locis seipsos præcipitarunt, aut alia simili ratione mortem sibi consciscebant. Nestorius lin-

lingua vermibus corrosa obiit. Photius Author dissidii inter Latinos & Græcos exorti, à Leone Philosopho spoliatus omni dignitate, & in monasterium Armenianorum relegatus miserrimè decessit. Marcus Ephesinus, qui Concilio Florentino semper obstitit, eructans ex ore stercora, dirisque Cruciatibus afflictus, interiit. Lutherus cùm vesperè lautè cœnasset, ac lætus somno se dedisset, ea nocte suffocatus, vel à Dęmone, vel, ut familiaris quidam ipsius, qui tum puer illi serviebat, testatus est, à seipso miserè vitam finiit. Oecolampadius & Carolostadius præcipui Lutheri olim Discipuli noctu, dum dormirent, improviso sunt strangulati. Bucero animam agenti horrendus dæmon adstitisse dicitur, qui eundem lecto deturbavit, & effusis per cubiculum intestinis, Animam ad tartara avexit. Calvinus quatuor annis novem morbis diriſſimis, videlicet cholica, dolore articulorum, calculo, hæmorroidibus, febri, astmate, hemicranio, pituita, sanguinis vomitione miserè excruciatus, denique à pediculis consumptus infelicissimè obiit. Zuvinglius in prælio ducens agmen à Catholicis Helvetis interemptus, & combustus est: quæ omnia Thomas Bozius de sign. Eccl. l. 23. c. 96. variorum Authorum testimonio confirmat; simulque circa finem capitis plures, quàm quadraginta sanctissimos viros Catholicæ nostræ Religionis enumerat; qui omnes integros Populos ad nostram Religionem traduxerunt, & omnes morta tam prodigiis, quàm sanctitatis fama illustri obierunt. Quis ergo sibi persuadeat, DEVM magis ejusmodi nequissimis hominibus, quàm doctissimis hisce, sanctissimis fortissimiisque viris ad propagandam Catholicam fidem usum fuisse? quis non exosam & suspectam habeat doctrinam, quam tot dissensionum confusionum, & enormium vitiorum Authores tradunt? maximè cùm ipse Lutherus in l. de abroganda missa dicat: Quoties mihi palpitavit tremulum cor, & reprehendens objecit fortissimum illud argumentum, tu solus sapis? totne errant universi? tanta sæcula ignoraverunt? quid si tu erres, & tot in errorem trahas æternaliter.

CAPVT III.

Qua ratione contra frigidos Hæreticos pugnandum sit?

I. QVod olim, teste S. Luca c. 14. hominibus ad cænam magnam à se paratam multos invitanti evenit, ut scilicet omnes, quando à servo venire jubebantur, sese excusare cæperint; hoc ipsum etiam non rarò Theologo polemico ad cænam magnam in Catholica Religione præparatam invitanti contingere solet, ut scilicet & ipse audire cogatur: Villam emi, vel uxorem duxi, vel aliud impedimentum habeo: rogo te, habe me excusatum. Quare vel maximè etiam ad eandem pertinet, ut solida argumenta sciat, quibus frivolas eorum excusationes efficaciter refutare, & si quidem non omnino finem suum obtineat, saltem id efficere queat, ut, ubi inanitatem suarum excusationum ipsis ostenderit, dicere aliquando de iis coram Supremo Iudice, possit, quod Christus Ioan. 15. de Iudæis dixit; *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quænam autem sint excusationes illæ, quas afferre plerumque solent frigidi Hæretici, & quomodo sint refutandæ, hoc capite pro instituto breviter ostendetur.

§. 1.

De prima excusatione frigidorum Hæreticorum.

I. Prima excusatio eorum, qui veritatem quidem Catholicæ Religionis cognoverunt, sed eandem tamen adhuc amplecti tergi versantur, est, quòd nostra Religio ab omnibus vitiis abducat, omnes voluptates prohibeat, & præterea multa alia difficilia valde opera imponat, qualia sunt, toties jejunare, peccata sua gravia Sacerdoti confiteri, peregrinationes instituere, & similia. Quam excusationem sequentibus rationibus efficaciter refutare poterit Theologus polemicus.

II. In primis ostendat, ex hoc ipso capite veritatem & securitatem nostræ Religionis colligi, cùm Christus Matt. 7. dixe-

dixerit, angustam esse portam, quæ ducit ad vitam, & paucos esse, quæ inveniunt eam, difficultate scilicet Christianæ vitæ absterritos. Sed & apud eundem Euangelistam c. 7. addiderit, à diebus Ioannis Baptistę usque nunc regnum cælorum vim pati, & violentos rapere illud.

III. Secundò ostendat, etiam eas Religiones. quæ plenam vitiis libertatem concedunt, suis miseriis & afflictionibus non carere. Sic enim 1. testatus est Salomon Eccl. c. 1. dicens, se non prohibuisse cor suum, quin omni voluptate frueretur, & tamen in his omnibus non nisi vanitatem, & afflictionem animi reperisse. Testatus est idipsum 2. S Augustinus l. 6. conf. c. 6. dicens; *patiebar in eis* (cupiditatibus videlicet) *amarissimas difficultates.* Causam verò in iisdem Confessionibus reddidit his verbis: *Iussisti, Domine, & sic est, ut omnis animus inordinatus sibimetipsi sit pœna.* Testatus est idem 3. piissimus Thomas Kemp. l. 2. de imit Christi c. 4. dicens; *Si est alicubi tribulatio & angustia, hoc melius novit mala conscientia*, qualem vel maximè habent, qui veritati agnitæ contradicunt. Testatur est 4. Seneca ep. 28. dicens; *Quis hostis in quemquam iam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ? quidam se voluptatibus immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt: ob hoc miserrimi sunt, quòd eò pervenerint, ut illis, quæ super vacua fuerunt, facta sint necessaria. Serviunt itaque voluptatibus, non fruuntur, & mala sua, quòd malorum ultimum est, amant.* Clariùs verò in epist. 51. idipsum explicat, dum ait: *Multò difficilius est facere ista, quæ facitis. Quid enim quiete animi otiosius? quid otio laboriosius; quid clementia remissius? quid crudelitate negotiosius? vacat pudicitia, libido occupatissima est.*

IV. Tertiò ostendat, facilia esse omnia, quæ Catholica Religio præcipit, si cum iis mediis, quæ eadem Religio ad leniendam difficultatem offert, conferantur, qualia sunt 1. Vberrima gratia, quæ tum per Sacramenta, tum per alia media obtinetur. 2. Indulgentiarum thesaurus, qui in sola Catholica Ecclesia reperitur, & copiosè distribuitur. 3. Tot adhortationes, quæ à tot, tàmque variis Pastoribus, uti & per libros spirituales fieri solent. 4. Tot & tam varii Status, Religiones, & Congregationes, quæ iterum in sola nostra Ecclesia reperiuntur. 5. Tot consolationes & delectatio-

nes spirituales, quas DEVS animæ copiosè infundit, uti quotidiana experientia testatur. 6. Tot saluberrima exempla, quæ passim à Sæcularibus & Religiosis proponuntur, & facile ostendunt esse, quod à tam multis cum insigni alacritate, gaudiùque factum conspicitur. 7. Tam ampla merces in hac & altera vita promissa: si enim Iacobo Patriarchæ quatuordecim anni in laboribus & molestiis gravissimis exacti videbantur dies pauci præ amoris, quo Rachelem deperibat, magnitudine: quidni majorem vim habeat spes præmii cœlestis ad omnem vitæ Christianæ amaritudinem temperandam? Certè ob hanc causam Christus Matt. c. 11. dixit, jugum suum suave, & onus leve esse.

V. Quartò ostendat, etiamsi aliqua difficultas in Catholica Religione reperiatur, eam tamen tam grandem & insuperabilem videri non debere, utpote quam tam multi, longèque infirmiores superarint. Quis enim ignorat, quanta pro fide Catholica defendenda tot tenerrimi Pueri & Puellæ, aut certè tenerrimę complexionis viri ac mulieres sint passim? quàm gravem & diuturnam pœnitentiam susceperint tot millia Religiosorum tam virorum, quàm mulierem? imò quàm gravia & prope intolerabilia ex necessitate, aut certè spe vanissimi alicujus honoris aut voluptatis consequendæ passim tolerent ipsi Hæretici aut Ethnici? an non ergo quisque sibi in talium consideratione dictum putabit, quod olim S. Augustino de castitatis servandæ possibilitate desperanti Continentia Pueris & Puellis stipata dixit: *Tu non poteris, quod isti, & istæ? an verò isti & istæ in semetipsis possunt, & non in Domino DEO suo? Dominus DEVS eorum me dedit eis. Quid te stas, & non stas? proiice te in eum, & noli metuere; non se subtrahet, ut cadas, proiice securus, excipiet & sanabit te.*

§. II.

De secunda excusatione frigidorum Hæreticorum.

I. Secunda excusatio frigidorum Hæreticorum est, quòd si Catholica Religionem amplecti velint, gravia damna in rebus temporalibus pati cogantur, dum scilicet vel à Parentibus omnino necessario Patrimonio privantur; vel certè à Magistratu hæretico possessione suorum bonorum spoliantur. Contra quam excusationem sequentia opponat argumenta Theologus Polemicus.

II. Primò ostendat, etsi certum foret, omnium divitiarum & bonorum temporalium jacturam pati eos debere, non tamen propterea propositum Catholicæ fidei amplectendæ deserendum fore; quid enim prodest homini, si universum Mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

III. Secundò ostendat, in tali casu ob oculos versari debere primorum Christianorum exemplum, qui, teste Apostolo ad Hebr. 10. rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinuerunt, cognoscentes, se habere meliorem substantiam in cœlo præparatam.

IV. Tertio ostendat, non admodum timendam esse inopiam, si generoso animo propter Deum paterna & fluxa bona dimittant; si enim Christus Matt. 19. Centuplum promisit illis, qui propter ipsum reliquerint Patrem, Matrem, Vxorem, Filios, agros &c. quis potiori jure hoc centuplum exspectet, quàm is, qui propter veram fidem omnibus suis bonis spoliatus est? an non hic verè quærit Regnum Dei, & justitiam ejus, atque adeò meritò sperare potest; etiam necessaria juxta promissionem Christi adjectum iri? an non talis verè timet Deum, atque ideo meritò solari se potest illo S. Davidis vaticinio ps. 33. *Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* Si enim Christus turbæ corporeis pedibus ipsum sequentis misertus est, eique victum tam abundantem providit, quantò magis illis, qui per veram fidem ipsum secuti fuerint, necessaria deesse non patietur? Certè experientia constat, Deum singulariter ejusmodi Personis prouidisse, effecisseque, vt frequenter meliùs ipsis prospectum fuerit post fidem Catholicam susceptam, quam ante talem susceptionem provisum fuerat.

V. Quartò ostendat, etiam modicas illas opes, quas post Religionem veram susceptam retinebunt, vel obtinebunt, plùs ipsis profuturas, quàm si nescio quas divitias possiderent; cùm, teste Davide Ps. 36. Melius sit modicum iusto super divitias Peccatorum multas; & teste S. Paulo 1. Tim.

Tim. 4. pietas (& vera Religio) ad omnia sit vtilis promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & in futuro. Vt adeò meritò applicare sibi illa Tobiæ Senioris verba possint c. 4. *Noli timere, Fili mi, pauperem quidem vitam, gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Iactent itaque super Dominum curam suam, & ipse eos enutriet.

§. III.

De tertia excusatione frigidorum Hæreticorum.

I. Tertia excusatio est; quòd Parentes & Amici deserendi, aut etiam graves ab illis, aliisve Acatholicis persecutiones timendæ sint; contra quam per sequentes rationes pugnandum erit.

II. Primò ostendat, hic ob oculos versari debere *illam* Christi Luc. 14. sententiam: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & Vxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Certè si eos, postquam Inimici in bonis temporalibus facti essent; & vitæ corporali insidiarentur, vltro & sine difficultate deserent, multò magis nunc, dum vitæ Spirituali bonisque æternis spoliare, damnùmque irreparabile inferre conantur, promptè, alacritèrque deserendi erunt.

III. Secundò ostendat, exiguam censeri debere jacturam, vbi pro Parentibus & Amicis carnalibus ipse Deus in Parentem & Amicos sa & Sanctos suos offert, &, quidquid ab illis sperari poterat, centuplicato fœnore compensat; sic enim Matt. 19. promisit, dum Patrem & Matrem propter se relinquentibus centuplum & vitam æternam promisit. Vndè meritò cum Dauide ipsi exclamare Ps. 26. poterunt, *Pater meus & Mater mea deliquerunt me: Dominus autem assumpsit me*

IV. Tertiò ostendat, neque persecutiones eorum admodum timendas esse, cùm inprimis præsidio ipse Deus sit futurus. Si autem Deus pro ipsis stabit, quis contra ipsos stare poterit? Audiant quoque S. Petrum 1. c. 3. dicentem: *Et quis*

est, qui noceat vobis, si boni æmulatores fueritis? sed an non diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum? Rom. 8. Deinde verò neque novum, neque difficile videri debet ejusmodi persecutiones tolerare, cùm ipse Christus Io. 15. prior illas sustinuerit, & exemplo suo lenierit, ideòque meritò Apostolos suos ad illas æquo animo tolerandas sequentibus verbis præparârit: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Mementote sermonis mei: Non est servus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Credant ergo sibi quoque dictum ab illo, quod Matt. 5. Apostolis dixit: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homine, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

§. IV.

De quarta excusatione frigidorum Hæreticorum.

I. Quarta excusatio horum Hæreticorum est, quòd durum sit avitam, & à Majoribus acceptam Religionem deserere, maximè cùm ipse Deus Deut. 32. dixerit: *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi: Majores tuos, & dicent tibi.* Quam excusationem ut efficaciter refutet Theologus Polemicus, sequentia adhibebit argumenta.

II. Primò ostendat, hoc impedimentum usque adeò terrere non debere, ut potiùs ad Catholicam fidem allicere debeat; si enim ipsi Hæretici fidem & Religionem à Majoribus suis acceptam tenendam esse putant, cur non potiùs eam, quam antiquiores Majores tenuerunt, approbant, & arripiunt? an non illis potiùs attribui potest illud Deuteronomii 32. *Novi, recentesque venerunt, quos non coluerunt Patres eorum?*

III. Secundò ostendat, si Majores suos non sequendos censent in vitiis, aut aliis factis minùs honorificis, cur ipsos imitandos putant in dogmatibus falsis tenendis, & via ad infernum calcanda?

IV. Tertiò ostendat, hic potiùs ob oculos habendum esse illud Ieremiæ 6. *State super vias vestras, & videte, & interro-*

interrogate de Semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus vestris.

§. V.

De quinta excusatione frigidorum Hæreticorum.

I. Quinta, eaque politica excusatio est, quòd inconstantiæ turpis nota timenda sit, si fides semel susceptæ deseratur, & Catholica arripiatur, maximè cùm probabile admodum, sit, quemvis in sua fide salvari posse. Contra quam excusationem sic pugnet Theologus polemicus.

II. Primò ostendat, si turpe est fidem semel susceptam deserere, cur Luthero, Calvino, alii sque suis Patriarchis probrosum non ducant, quòd à fide Catholica, quàm tam longo tempore tenuerant, tum perfidè, turpiterque discesserint? cur illos velut perfidos sequi non erubescant?

III Secundò ostendat, non esse constantiam laudabilem, sed Diabolicam pertinaciam, nolle ab errore agnito discedere, nam, ut S. Augustinus S. 22. de verb. Apost. ait, diabolicum est per animositatem in errore permanere; diaboli enim proprium est, à malo, quod semel elegit, nulla ratione divelli.

IV. Tertiò ostendat, experientiam satis probare, quòd laudabilis potius quàm reprehendenda sit hæc mutatio, cùm S. Ambrosius, D. Augustinus, S. Paulus, & infiniti alii Religionem Catholicam, à qua priùs vehementer abhorruerunt, cum summa laude & honore sint amplexi; unde rectè S. Augustinus ep. 48. *hoc*, ait, *est illud, quod Scriptura non tacuit, est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. Confusio adducit peccatum, cùm erubescit quisque pravam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse seipso iudice fateri teneatur. Confusio autem adducit gratiam & gloriam, cùm erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur.* Vnde vel ab Ethnico discendus est contemptus ejusmodi judiciorum, dicendumque cum Seneca ep. 77. *Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia; plerumque boni inepti & inertes vocantur; mihi contingat iste derisus.*

V. Quar-

V. Quartò ostendat, verum non esse, quòd quivis in sua fide salvari possit, cùm planè repugnantia doceant nostra Catholica, & ipsorum Hæreticorum fides, atque adeò veritatem, quæ est præcipua veræ Religionis proprietas, habere non possint. Adde, quòd, si judicant, in nostra etiam Religione salvari quem posse, hoc ipso illam, (si quidem prudenter agere vellent) amplecti deberent, utpote quæ & juxta ipsorum, & juxta Catholicorum opinionem secura est via, cùm tamen ipsorum Religio ab ipsis tantùm tuta esse credatur, à Catholicis verò omnibus, imò & plurimis etiam Sectariis tanquam fallax, & in certissimam perniciem ducens rejiciatur.

§. VI.

De Sexta excusatione frigidorum Hæreticorum.

I. Sexta excusatio est, quòd in Ecclesia reperiantur varia Schismata; nam 1. in antiqua Ecclesia contenti solo Symbolo Apostolorum diversissimas cæremonias & consuetudines in Sacramentorum administratione habebant. 2. in Ecclesia Corinthiaca diversas fuisse sectas testatur D. Paulus. 1. ad Cor. 3. dicens, alios dixisse: Ego sum Apollo. 3. Inter ipsos Apostolos Petrum & Paulum, dum ille Cæremonias legales imponere Gentibus voluit, hic non imponendas contendit, non leve schisma fuisse, ex actis Apostolorum constat. Sed hanc excusationem facilè refutabit, si sequentia afferat responsa.

II. Primò ostendat, has omnes contentiones & diversitates non fuisse de aliquo articulo fidei jam promulgato, sed tantùm de cæremoniis nostræ Religionis, in quarum decisione standum esse judicio Ecclesiæ omnes semper Catholici sunt fassi.

III. Secundò ostendat, nullam facilè extituram gentem aut sectam, in qua non opinionum & judiciorum diversitas interdum reperiatur; satis autem infallibilitatem fidei nostræ ex eo probari, quòd in substantialibus omnes conveniamus, & in omnibus controversiis infallibilem Iudicem habeamus, cujus judicio & definitioni omnes acquiescere debeant.

§. VII.

§. VII.

De septima excusatione frigidorum Hæreticorum.

I. Septima excusatio est, quòd multa vitia reperiantur inter Catholicos, qualia sunt Pontificum ambitio, qua arrogant sibi supra ipsos Reges & Imperatores authoritatem: Cardinalium fastus & luxus: Episcoporum in grege suo custodiendo socordia: Sacerdotum libido & incontinentia; ex quibus omnibus tanquam radice tam multa schismata, hæresesque sunt exortæ. Contra hanc excusationem sic pugnet Theologus polemicus.

II. Primò ostendat, etiamsi negari non possit, vitiosos frequenter mores in Ecclesia inter Ecclesiasticos fuisse repertos, multa tamen iisdem per calumniam attribui, dum augusta Majestas pro ambitione, decor dignitatis pro fastu habetur; certè passim constat, plures longè reperiri in Ecclesia, qui vitam Clericali dignitati ac statui conformem instituant.

III. Secundò ostendat; etsi hæc omnia vera forent, non tamen propterea veritati nostræ quidquam per illa derogari; cùm non fides per hæc, sed mores credentium carpantur; unde Christus apud Matt. c. 23. dixit: *Super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi; omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite; secundùm opera verò illorum nolite facere.* Certè non propterea, quòd multa Zizania in agro reperiantur, etiam triticum spernendum est: neque propterea, quòd domus aliqua vitiis & rimis abundet, penitus evertenda est; sed potiùs emendanda sunt, quæ reformatione indigent, & ipsum corpus in antiquum statum reducendum est. Patet ergo, neminem Hæreticorum habere sufficientes causas, ob quas Religionem Catholicam non amplectatur, atque adeò fateri debere cum Regio Psalte ps. 50. *Tibi soli peccavi, & malam coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris.*

PARS III.

DE THEOLOGIA DEFENSIVA.

SErmo hoc loco potissimùm erit de privata disputatione vel conferentia, in qua quandoque Theologus Polemicus se contra unius aut plurium impugnationem defendere debet; nam publicas & solemnes disputationes cum Hæreticis instituere rarò expedit, cùm plurima illi habeant effugia sintque garruli, clamosi, & jactabundi; unde imperitus Auditor & Judex facilè illis palmam adscribit, non sine Religionis nostræ aliqua infamia. Quòd si tamen aliquando etiam illa ob graves causas susciptenda videretur, ea ipsa præcepta, quæ in hac parte pro privatis disputationibus aut Conferentiis ritè instituendis suggerentur, ad publicas quoque disputationes facilè transferri poterunt.

CAPVT I.

De generalibus præceptis in disputatione vel conferentia cum Hæreticis observandis.

I. MVlta quidem præcepta à variis Authoribus præscribuntur ad privatas ejusmodi disputationes vel conferentias fructuosè instituendas, sed ea ferè omnia ad sequentia septem revocari possunt.

II. Primum itaque præceptum est, ut status quæstionis accuratè semper præ oculis habeatur, & retineatur; hunc quippe Hæretici non rarò malitiosè pervertunt, ut à scopo abducant disputantem, & habeant, quod oppugnent. Hinc quando v. g. disputant, de communione sub utraque specie, proponunt hanc quæstionem, an Christus dederit Lutheranis potestatem sub utraque specie communicandi? cùm tamen non hoc quæratur, sed an Christus præceperit communionem sub utraque specie.

III. Secundum præceptum est, ut forma Dialectica rigidè

rigidè obſervetur, ideoque, ſi ipſi Hæretici ſua argumenta informa non proponant, ea à Theologo Polemico in formam redigantur; quia multa verborum foco ornata, & denſis S. Scripturæ ſententiis ſtipata neſcio quam argumenti ſpeciem præſeferunt: quæ tamen ad libellam formæ Dialecticæ examinata pondus legitimum non habere deprehenduntur.

IV. Tertium præceptum eſt, ut omnis reſponſio brevis ut; quia longis verborum ambagibus obſcuratur ſolutio argumenti; poterunt tamen, quæ ab initio dicta ſunt, poſtea pluribus explicari, ſi opus videatur.

V. Quartum præceptum eſt, ut ante alias quæſtiones, ſi fieri commodè poteſt, mox eligatur primaria & fundamentalis quæſtio de Iudice controverſiarum; ſi enim ſemel legitimè probetur, Eccleſiam noſtram eſſe veram Eccleſiam & Iudicem controverſiarum, hoc ipſo victoria jam obtenta eſt in aliis controverſiis, utpote quæ omnes ab ipſa noſtra Eccleſia ſunt definitæ.

VI. Quintum præceptum eſt, ut intra diſputationem non moveantur controverſiæ de rebus non neceſſariis, atque ad propoſitam quæſtionem aut ſcopum non pertinentibus; alioqui enim ſtatus quæſtionis facilè deſeritur, & inutile contentiones exoriuntur, id quod vel maximè intendunt Hæretici.

VII. Sextum præceptum eſt, ut ab omnibus verborum aſperorum, aut convitiorum aculeis, aut concitati animi, odiique indiciis ſedulò abſtineatur; multò minus verò Adverſariis quaſi jam convictis inſulteturr, & triumphus ante victoriam canatur. Quòd ſi verò ipſi perturbatos ſeſe oſtendant, variaque convitia & aculeata dicteria proferant, ea prudenti potiùs diſſimulatione, aut modeſta refutatione, quàm mutua concitatione, aſperiſque verbis & inconditis clamoribus repellantur.

VIII. Septimum præceptum eſt, ut, cùm multò difficiliùs ſit probare, quàm reſpondere, non ſtatim ſuſcipiatur onus probationis, ſed ab Adverſariis poſtuletur, ut contrarium noſtris articulis probent; cùm enim nos utpote antiquiores fidei poſſeſſores præſcriptionis jure gaudeamus, ut oſtendit Tertullianus l. 1. de præſcript. contra Hæret. meritò ab iis potiùs exigitur probatio, quàm à nobis. Neque dicere

dicere poſſunt, quòd juxta receptum axioma affirmanti incumbat probatio, nam hoc tantùm intelligendum eſt, quando unus tantùm affirmat, quod negat alter; non autem quando uterque aliquid affirmat, quod alter negat, uti in præſenti caſu contingit, in quo affirmant Hæretici, Solam Scripturam eſſe verbum divinum, ſuam Eccleſiam eſſe reliquis præferendam &c. in tali enim caſu illi incumbit probato priùs, qui non eſt in poſſeſſione.

CAPVT II.

De ſpecialibus præceptis in diſputatione vel conferentia obſeruandis.

I. PRæcepta in priori capite allata in genere duntaxat oſtendunt, qua ratione Theologus Polemicus cum Hæreticis diſputare poſſit. Nunc quoniam illi Specialia plerumque argumenta tum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus (quantum illis hi favent) tum ex frivolis quibusdam rationibus petita afferre ſolent, meritò etiam ſpecialia præcepta quædam, quæ circa hæc argumenta obſervare convenit, Theologo Polemico ſunt offerenda.

II. Primum itaque præceptum ad argumentorum ex S. Scriptura petitorum ſolutionem pertinens in eo conſiſtit, ut inprimis diligenter attendatur, an textus, qui ab Adverſariis citatur, in vulgata Bibliorum verſione, quæ ſemper pro authentica ante Hæreſes exortas eſt habita, integrè reperiatur; ſi enim conſtet corruptum eſſe, aut, ſicut frequenter facere ſolent Hæretici; non integrè ac fideliter citatus ſit, mox repellendus ejuſmodi textus, aut integrè eiſdem obtrudendus erit. Deinde ut, ſi ſenſum aliquem vel interpretationem alicujus textus S. Scripturæ à Catholica interpretatione diverſum afferant, jubeantur ex S. Scriptura oſtendere, quòd illa interpretatio ſit genuina potiùs, quàm adulterina explicatio. Denique ut, ſi ipſi petant, noſtros articulos, quos ex ſola traditione accepimus, ex S. Scriptura probari, mox oſtendatur iniquitas poſtulationis, cùm hæc ſit principalis controverſia, an nihil aliud, quàm quod in S. Scriptura continetur, credendum ſit, adeòque iniquum meritò

ritò censeatur, petere, vt sine probatione concedatur, quod ipsi probare non possunt; vti rectè Tertullianus l. de præscript. c. 19. advertit, dum dixit; *Non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est; nam etsi non evaderet collatio Scripturarum, vt utramque partem sisteret, ordo rerum desiderabat, illud prius proponi, quibus competat fides ista, cuius sint scripturæ: à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani; Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & traditionum omnium Christianarum.*

III. Secundum præceptum ad SS. Patrum authoritatem spectans in eo consistit, ut, si eosdem Adversarii pro sua opinione citent, inprimis videatur, an libri illi, quos citant, adulterini non sint, quales hodie multi circumferuntur. Deinde liber ipse petatur; nam, vt bene quidam advertit, tam multa & mirabilia apud Patres reperiuntur: vt planè interdum hæretica videri possent, nisi ex antecedentibus & consequentibus contrarjum colligeretur. Præterea diligenter etiam tempus, quo ille S. Pater, qui aliquam doctrinam Hæreticis faventem proposuit, vixit, & scripsit considerandum est; neque enim negari potest, aliquos Patres sententias aliquas docuisse contrarias illis, quæ postea ab Ecclesia pro articulis fidei propositæ sunt. Quòd si verò vnus omnino etiam errasset; eidem opponantur plerique alii Patres contrarium sentientes, semperque Adversariis in memoriam revocetur doctrina supra tradita, nempe quòd nunquam SS. Patrum authoritatem Metaphysicè aut moraliter infallibilem esse dicamus, nisi quando eorum doctrina cum Ecclesiæ doctrina cohæret; aut ab ea approbatur, & quando ipsi unanimiter aliquid affirmant, aut certè aliqui eorum, reliquis non contradicentibus tradunt aliquam doctrinam.

IV. Tertium præceptum ad argumenta ex ratione petita pertinens, est, ut inprimis, si ex ratione vel authoritate humana argumentari velint, mox excipiatur contra hunc modum argumentandi, utpote minùs convenientem illorum generali principio ac fundamento, quo dicunt, nihil esse credendum, nisi quod in scriptura continetur. Deinde diligenter attendatur, an ritè cohæreant eorum rationes; cùm,

cùm enim in hac cohærentia frequenter admodum deficiant Hæretici, ideo Theologus Polemicus Samsonem imitari debet, & sicut ille Vulpes caudis alligatas & accensas in Hostium messem immisit, ita ipse doctrinas Hæreticorum in cauda, id est, vitiosa cohærentia colligare, seu falsas ostendere, atque in ipsos retorquere debet. Denique ut, si quidem velint efficaciter ex ratione argumentari, tali aliquo fundamento aut medio termino probent, suam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, se habere veram S. Scripturam, & legitimum sensum illius &c. quo non æquè vtantur, aut uti queant Hæretici, quos illi constanter reiiciunt, quod cùm facere non possint, meritò hic modus illos refutandi & convincendi, uti expeditissimus & facillimus, sic etiam efficacissimus semper fuit habitus, ideòque à P. Iodoco kedd olim cum maximo fructu usurpatus.

CAPVT III.

De Præceptis in actuali responsione ad Hæreticorum obiectiones circa particulares controuersias seruandis.

I. QVandoquidem Hæretici, teste S. Hieronymo in epist. ad Cypr. araneis similes sunt, qui infirmis suis, quæ undique expandunt, retibus parva quidem animalia capiunt, fortioribus autem nocere non possunt; ideo Theologus Polemicus diligenter se in privatarum controversiarum studio exerceat, vt tantò facilius & felicius fallaces Hæreticarum aranearum telas perrumpere, & evertere possit. Quem in finem sequentia præcepta non modicè conducent.

II. Primum est, vt, cùm amplum nimis Controversiarum sit studium, difficilèque meritò accidere ipsi possit, si ad omnes omnino se pro dignitate præparare debeat, diligenter inquirat, quænam in illo loco vel Patria, in qua moratur, hæreses potissimùm vigeant, atque in illis privato studio excutiendis præcipuè se exerceat. Quales in nostra Germania, vbi cum Lutheranis, Calvinistis, Zvvinglianis, & Politicis quemlibet in sua fide salvari posse asserentibus præcipuè pugnandum est, præ reliquis censentur hæreses, quòd quivis in sua fide saluari possit, quòd

Scriptura vtpote clara sit Iudex Controuersiarum; quòd Pontifex non Pastor sit Ecclesiæ, sed Antichristus; quòd homo baptizatus per solam fidem, non autem per bona opera justificetur: quòd communio necessariò sub utraque specie sit peragenda: quòd Ministris Ecclesiæ omnibus liceat vxores ducere: Sacrificium Missæ & cultus Sanctorum aut imaginum sit superstitio & idololatria: quòd nullum detur Purgatorium.

III. Secundum præceptum est, ut bene cognoscat generalia principia, quibus Hæretici sua dogmata stabilire solent, qualia sunt præcipuè textus S. Scripturæ perperam intellecti, nam, ut bene Besseus Dom. 8. post Pent. advertit, Hæretici Gabaonitis sunt similes, dum Asinos suos, id est, Ministros pane suo onerant, & vestes vetustas S. Scripturæ præferunt, quasi qui longè à primitiva Ecclesia veniret, hinc multi Christiani hoc dolo decepti sunt, quia de cibariis eorum, id est, doctrinis acceperunt, & os Domini, id est, Pastores suos non interrogaverunt. Quare diligenter Theologus Polemicus fallacias, quas in ejusdem S. Scripturæ interpretatione committunt, quæque ad sequentes ferè tamquam præcipuas revocari possunt cognoscere studeat. 1. Est, *quòd particulas aliquas restrictivas pro libitu adiiciant*; sic Lutherani ad illum textum Apostoli ad Rom. 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus*: particulam *solam* adjciunt. Item illa Christi verba Io. 5. *Scrutamini Scripturas*: de Sola Scriptura interpretantur, cùm tamen ibidem Christus etiam aliis tribus testimoniis probet se esse Filium Dei. 2. Est, *quòd ad materiam seu rem, de qua sermo est, non attendant*. Sic illa Apostoli verba ad Eph. 2. *gratia salvati estis ex fide, & non ex operibus*: de operibus novæ legis explicant, cùm tamen de Cæremonialibus veteris legis locutus sit Apostolus. Item illud ejusdem Apostoli ad Coloss. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum*: de traditionibus divinis & Apostolicis interpretantur, cùm tamen Apostolus ibi de solis traditionibus Iudæorum vel Gentilium locutus sit. Item illud ad Galat 1. *Si quis evangelizaverit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit*: vniversim ad omnem doctrinam quæ extra Scripturam reperitur, extendunt; cùm tamen, ibi Apostolus de certa duntaxat materia loqua-

loquatur, scilicet de circumcisionis abrogatione, aliisque cæremoniis Mosaicis. 3. Est, *quòd ad personas quòque non attendant*: sic illa verba Christi Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: Item illa Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes*: ad omnes homines extendunt; cùm tamen de solis Apostolis intelligenda sint. Item illa Marci 16. *Qui non crediderit, condemnabitur*: universaliter de omnibus hominibus interpretantur, indèque parvulis actualem fidem necessariam esse concludunt; cùm tamen de solis adultis ratione præditis intelligi debeant. Sic etiam illa verba Isaiæ c. 41. *Bene aut malè, si potestis, facite*: craisè ad eliminandum hominis liberum arbitrium usurpant, cùm tamen ibi Propheta non de hominibus, sed idolis loquatur. 4. Est, *quòd neque ad tempus semper attendant*: hinc illam Christi sententiam Matth. 25. *Ibunt hi ad supplicium, æternum, iusti autem ad vitam æternam*: assumunt ad veritatem de Purgatorio refutandam; cùm tamen ibi Christus non de tempore præsenti, sed de eo, quod post extremum judicii diem futurum est, locutus sit. 5. Est, *quòd etiam ad antecedentia & consequentia non attendant*: hinc Deut. 32. illa verba: *Quod præcipio tibi: hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas*: de S. Scriptura sola intelligunt, non considerantes, quòd priùs generatim de præceptis Mosaicis sermo fuerit. 6. *Quòd frequenter ad nuda verba; & non ad intentionem & sensum loquentis attendant*: hinc illa verba Apostoli 1. Cor. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc &c.* de pane simpliciter permanente in Eucharistia intelligunt, quem tamen de panem in corpus Christi mutato intelligere deberent eo ferè modo, quo Christus dixit: *Cæci vident*: 7. *Quòd crebrò à particulari ad vniversale argumententur*: hinc illa verba Apoc. 22. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas &c.* ad totam scripturam extendunt, cùm tamen ad solum illum librum pertineant. Item illa Christi verba Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*: ad omnes homines applicant, indeque probare volunt, nullum purgatorium dari, cùm tamen ad solum Latronem sint dicta. Item illud Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*: de omnibus peccatis dictum esse contendunt, indèque evincere volunt, nullum dari veniale peccatum, sed o-

mnia mortalia esse ; cùm tamen Propheta ibi de iis tantùm peccatis locutus sit, quæ ex genere suo mortalia sunt, vt idolatria, adulterium, homicidium, & similia. 8. *Quòd sæpe causam efficientem pro formali sumant* : sic articulum noni Symboli Apostolici : *Credo remissionem peccatorum* : pro formali remissione accipiant, cùm tamen ibidem pro dono remissionis peccatorum, quod per baptismum & alia Sacramenta percipitur, sumatur. Pari modo etiam illud S. Pauli ad Rom. 6. *Per vnius obeditionem iusti constituuntur multi* : sic explicant, vt per obedientiam Christi formaliter nos iustificari asserant, cùm tamen per illam meritoriè tantùm justi constituamur. 9. Est, *Quòd æquiora verba in perversum sensum frequenter accipiant*. Sic illud 1. Tim. 1. *Iusto non est lex posita, sed iniustis, & non subditis* : quod de potestate legis coactiva intelligendum est, ipsi de directiva potestate interpretantur. Item illud Ps. 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata* : sic explicant, vt peccata simpliciter velut per pallium tegi velint à Deo ; cùm tamen Deus ea velut Medicus per emplastrum tegat, & omnino tollat. Idem in illo textu S. Lucæ 17. videre est : *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis dicite, serui inutiles sumus*. Quod Catholici sic interpretantur, vt dicant, nos servos inutiles esse, quia propriis viribus nihil possumus ; nec DEO specialem vtilitatem nostris bonis operibus afferimus : nec ullam mercedem exigere possemus, nisi DEVS sponte eam promisisset ipsi verò Hæretici sic explicant vt ex hoc textu nihil nos mereri apud DEVM contendant.

IV. Tertium præceptum est, vt non sit præceps in respondendo, ne inepta aut minùs fundata responsione Hæreticis triumphandi, & Catholicos cauillandi occasionem præbeat ; sed potiùs, si solida & probata responsio non occurrat, ad commune effugium se recipiat, dicatque de Iudice Controuersiarum, quod olim in simili casu S. Macarius de suscitatione mortuorum dixit, ut suprà vidimus ; videlicet : *Non est in verbo regnum DEI, sed in virtute* : *eamus igitur ad sepulchra mortuorum &c.* aut potiùs ad Iudicem Controuersiarum Pontificem, & Ecclesiæ definitiones ; ibi enim perfecta omnium dubiorum solutio reperietur.

PARS

PARS IV.

DE MEDIIS AD THEOLOGIAM POLEMICAM ADDISCENDAM CONDVCENTIBVS.

TRia præcipuè media adhibenda videntur ad Theologiam polemicam facilè, solideque addiscendam, videlicet studiosa librorum de hac materia scribentium evolutio : assidua cum ostibus seu veris, seu fictis concertatio seu exercitatio : fructuosa denique doctrinarum & principiorum ad hanc scientiam pertinentium annotatio, de quibus in hac parte breviter agetur.

CAPVT I.

De authorum lectione.

I. VT hanc lectionem fructuosè instituat, ante omnia cognoscere debet, quinam Authores de hac materia solidè, utiliterque scripserint, quorum aliquos hic breviter annotabo, non quòd illos aliis præferre velim, sed quia hi præ cæteris noti sunt, aptique videntur, ut solidè quis Theologiam polemicam addiscere possit.

II. Primus ergo Theologiæ Polemicæ Author & Illustrator jure meritò Card. Robertus Bellarminus censetur, qui tomis tribus bene magnis omnes ferè sui temporis Controversias comprehendit, de quo opere Card. Petronius dixit, pluris à se fieri illud, quàm ullum opus aliud, quod ab annis mille sit editum pro Ecclesiæ defensione. Card. Baronius censet esse propugnaculum, & turrim David ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium, ut Hierusalem nostra adversus oppugnationes hostium defensa sit. Alii primariam antidotum contra hujus sæculi hæreses, murumque & antemurale domus DEI vocarunt. Imò & ipse Theodorus Beza, licet Calvinista, fassus est, hunc unum librum omnes hæreticos humi proturbare.

III. Gregorius de Valentia, quem Clemens VIII. Doctorem Doctorum appellavit, edidit utilissimam Analysin fidei Catholicæ libris octo comprehensam, qua Hæreticorum fraudes insigniter detexit, & refutavit.

IV. Martinus Becanus Calvino Mastyx, & Calvinistarum malleus dictus, scripsit utilissimum opus, quod manuale Controversiarum appellavit, quod circa ultimum vitæ finem in accuratissimum compendium ipse redegit.

V. Edmundus Campianus Martyr Anglus rationes decem oblati in causa fidei certaminis conscripsit, in quo exiguo libello vix credi potest, teste Bibliotheca Scriptorum Soc. IESV, quàm multa fidei dogmata paucissimis verbis perstringat: quanta eloquentia, ingenii vi ac perspicacia, quanto rerum coacervatarum numero ac pondere obruat Adversarios.

VI. Laurentius Forerus, eadem Bibliotheca testante, incredibili profligandarum hæresum Zelo succensus, ideòque non minùs exosus Sectariis, quàm formidolosus scripsit multos utilissimos libros in hac materia, præcipuè indifferentissimum, & Clypeum fidei.

VII. Adamus Tannerus Theologus doctissimus, & inito cum Hæreticis publico Ratsbonæ certamine famosus scripsit multos perutiles tractatus, sed præcipuè manuductionem seu decem demonstrationes pro veritate Ecclesiæ Romanæ.

VIII. Christophorus Mayr vir doctissimus scripsit octo fidei controversias, ob quas solas plerique hoc tempore difficultatem habent redeundi ad Ecclesiam manifestè Catholicam, quas dum Ioannes Hoferus refutare voluit, veritate oppressus, Viennam confugit, & Catholicam fidem complexus est.

IX. Iodocus Kedd utilissimum opus Controversiarum germanico idiomate conscripsit, sed & Examen Lutheranorum aliosque parvos tractatus, quibus Lutheranos mirabiliter vexavit, publico typto commisit.

X. Christophorus Pflaumer vir in certaminibus cum Hæreticis in Palatinatu Superiore institutis celeberrimus edidit perutilem librum germanico pariter idiomate exaratum, quem *Vna, vera, bona fides* inscripsit; de quo libro per amœna colloquia, præcipua Theologiæ polemicæ funda menta proponente doctissimi quidam Theologi dixerunt, se non videre, quid addi illi libro, vel demi queat.

XI. Vi-

XI. Vitus Erberman insignem libellum conscripsit, quo ostendit, omnes doctrinas Catholicas in S. Scriptura esse fundatas, cujus textum semper è regione doctrinarum Catholicarum ponit.

XII. Petrus Cottonus, qui multos Hæreticos convertit, scripsit succinctam, sed pertutilem Controversiarum Epitomẽ.

XIII. Laurentius Hermanutius Societatis IESV Theologus libellum composuit, cui titulus est, *Clypeus Salutis* clypeolus fidei; pleraque modernas Controuersias succinctè, clarè, & solidè complectentem, ideòque pro omnibus quidem, sed iis præcipuè, qui vel ipsi in Catholicis doctrinis instrui, vel alios instruere cupiunt. vtilissimum, & propterea post primam impressionem anno 1594. Dilingæ factam meritò sæpius recusum.

XIV. Prærer hos alii quoque libelli Controversistici perutiles Dilingæ & alibi sunt impressi, quales exempli gratia sunt sequentes, qui omnes Dilingæ habentur venales germanico idiomate impressi. 1. Ex Sacra Scriptura & verbo Divino brevis & bene fundatus Extractus in quo tam Catholicæ, quam a catholicæ fidei controuersiæ distinctè proponuntur & resoluuntur. Libellus sanè vtilissimus, & iis præcipuè, qui ab Hæresi ad nostram Religionem transire volunt, instruendis aptissimus. 2. Examen super fundamentum Lutheranæ Religionis Authore P. Iodoco Kedd. S. I. Libellus ob singularem, sed brevem & efficacem Hæreticos oppugnandi modum specialiter comendandus. 3. Ejusdẽ Iudex cordiũ & Religionis Speculum. 4 Catholica stella matut ina, quà vnusquisque ad cognitionem claræ Veritatis facile peruenire potest. 5. Notitia Spiritualis de Venerabili Sacramento sub vna vel vtraque specie. 6. Trochisci ad confortandos Laicos in fide Christiana Catholica. 7. Brevis instructio in quibusdam punctis catholicæ fidei. 8 Necessaria notitia & instructio ad interrogationem: *vbi scriptum est?* 9. Infallibilis regula fidei proposita & Sacra Scriptura. 10. Manduncio ad cognoscendam fidem Catholicam, & defendendam contra omnis generis sectas.

XV. Porro vt ex horum librorum & Authorum lectione optatam utilitatem capiat, sequentes duas Regulas obseruabit. Prima, vt, si fieri possit, semel saltem Authorem ali-

quem omnes Controuersias complectentem accuratè evolvat, & in iis saltem hæresibus, quæ nostro tempore maximè vigent, earumque fundamentis cognoscendis studiosam collocet operam, ut, cùm non omnia in memoria detinere queat, suo saltem tempore ad hos fontes recurrere possit. Secunda regula est, ut, quò faciliùs, firmiusque principia & fundamenta ad Theologiam polemicam pertinentia retineat, assiduò compendium aliquod, v g. Becani, aut Cottoni, aut Clypeum fidei, aut similem libellum ad manum habeat, ac studiosè evolvat; hac enim industria mirè non tantùm juvari, sed etiam excitari se sentiet ad hanc scientiam cum magna alacritate, suoque & aliorum insigni profectu addiscendam.

CAPVT II.

De exercitatione assidua.

I. ETiam hanc non inefficax esse medium ad solidum profectum in hac Theologica scientia vel ex communi adagio, quo Fabrum fabricando fieri dicere solemus, colligitur; id quod in Theologia polemica tantò magis habet locum, quantò sagaciores plerumque sunt Hæretici in novis semper technis, objectionibusque, quibus Catholicas doctrinas evertere moliuntur, excogitandis. Porro in tribus præcipuè industriis consistit hæc exercitatio.

II. Primò ut, dum scholas Theologus polemicus frequentat, non scribere duntaxat, aut obiter scripta percurrere contentus sit, sed æquali diligentia ac conatu, qua aliis scendis addiscendis invigilare solet, eorundem scriptorum discussioni, ac repetitioni sese impendat. Et si quidem, ut fieri interdum solet, rariùs hæc materia in scholis prælegatur, ipse privata cujusdam Authoris impressi lectione defectum hunc compenset.

III. Secundò, ut unum vel alterum socium sibi eligat; cum quo fictitiam velitationem suscipiat, id est, qui vel partes hæresis cujusdam defendendæ, vel Catholicæ cujuspiam doctrinæ oppugnandæ suscipiat; si enim Pugiles, ut hostem verum olim tantò certiùs ferire queant, ad fictas metas ac imagines hostium quotidie se exercent; quidni Theologus polemi-

polemicus eandem industriam tantò ferventiùs, constantiusque adhibeat, quantò majoris momenti est victoria, quam de Hoste suo reportare desiderat.

IV. Tertiò ut, ubi se satis armatum advertit, etiam veri certaminis occasiones, ubi potest, sollicitè quærat, aut ultro oblatas avidè arripiat, & animosè prosequatur, ut, quò frequentiùs talem pugnam pugnaverit, tantò magis ad eandem repetendam accendatur, majoremque ob cogitas Adversariorum technas ac fallacias peritiam acquirat.

CAPVT III.

De fructuosa annotatione.

I. QVod hoc etiam medium negligendum non sit à Theologo polemico, doctissimus Caietanus, qui dicere solebat: *Circulus & calamus fecerunt me doctum*: suo exemplo probavit, dum exercitationi potissimùm (quam circuli nomine intelligebat) & scriptioni (quàm calami nomine indicabat) suum in scientiis profectum adscripsit. Etsi verò scriptionis nomine illam forsan præ aliis intellexerit, qua integros Commentarios conscribebat; negari tamen non potest, etiam eam scriptionis partem, qua res & doctrinæ utiliores, & rariores ad aliquam scientiam pertinentes memoriæ sublevandæ causa adnotantur, non parùm ad eundem finem conducere. Vnde Theologus etiam polemicus meritò eandem industriam adhibebit, & triplicis potissimùm generis doctrinas annotabit.

II. Primò locos aliquos difficiliores, in quibus solvendis Catholici Doctores majorem aliquam difficultatem patiantur; & quibus Hæretici magis triumphant; ut frequentiori eorum relectione & privato studio tantò meliùs se adversus illos præparare possit.

III. Secundò argumenta quædam rariora, quibus ipsi Hæretici magis premi, efficaciusque convinci solent; qualia sunt v. g. doctrinæ eorum malè sibi cohærentes: vitiosi circuli: rationes, quæ ipsorum doctrinis non magis, quàm hæresibus, quas ipsi rejiciunt, probandis subserviunt: absurdæ sequelæ, quæ ex eorum doctrinis sequuntur, quasque plurimas P. Matthias Faber in libello, cui titulus est Mirabi-

les

les casus, qui oriuntur ex doctrina Lutherana & Calviniana, conscripsit, & anno 1650. publico typo dedit.

IV. Tertiò similitudines quasdam aptiores ad errorem vel pertinaciam suam Hæreticis demonstrandam. Quales exempli gratia sunt, ut dicere jubeantur, si Famulus cuipiam, qui Domini cujuspiam servitio ad dicere vellet, duæ Familiæ seu domus offerentur; una, in qua Paterfamilias cum Vxore, Libris, & Famulis, & vicinis perpetuò litiget, & hi quoque inter se omnes sint discordes; neque sit, qui lites has componere possit; altera verò, in qua omnia sint pacifica, eò quòd Paterfamilias omnes lites & rixas mox sua authoritate componat, quam ex ipsis prudenter eligere deberet; an non posteriorem, atqui talis est Catholica Religio, Hæreticorum verò secta priori est similis. Item si periculosum, & summi momenti inter Peregrino cuipiam suscipiendum foret, & duæ viæ monstrarentur, una, quam omnes securam & rectam, licet nonnihil asperam, dicerent; alteram autem jucundiorem quidem, sed quam pauci duntaxat securam, omnes verò alii periculosam, deviam, & latronum insidiis obnoxiam faterentur; an non Peregrinus talis prudenter priorem eligeret? atqui talis est Religio Catholica, quam ipsi quoque Politici Hæretici (contra quos hoc argumentum potissimùm servit) securam cum Catholicis agnoscunt. Huc etiam pertinent similitudines Hæreticorum genium & fallaciam ostendentes, quales e. g. sunt sequentes. Sicut is, qui Puerum ingenuum, sed simplicem seducere vult, non statim manu apprehensum domo educit, sed ea suadet facienda; quibus designatis nolens volens ejicietur, ita & Hæreticis subdolis suis artibus & doctrinis ab Ecclesia abducunt. Sicut item Aucupes frondem mortuam viseo illetam, & aves mortuas velut vivas in ramis collocant, ut aves advolantes irretitas capiant; ita Hæretici literam Scripturæ, quæ occidit, falso sensu velut viscu illinunt, & proponunt, uti simplices homines ad Verbum DEI avidè & incautè advolentes perimant. Item sicut Caupones, ut austerum vinum mitigent, gustuique gratius efficiant, aquam corrumpunt; ita Hæretici, teste S. Hieronymo in c. 1. Isaiæ austeritatem S. Scripturæ suo sensu corrumpunt, ut cum majori delectatione quidem, sed non perinde fructu ab Auditoribus hauriantur. Item sicut inter plagas Aegyptiacas etiam ranæ in paludibus habitantes, & in domos prorepentes fuerunt; ita juxta S. Augustinum c. 2. de decem plagis, DEVS per Hæreticos velut ranas loquaces, strepitum vocum, sed non veritatem doctrinæ habentes, tediumque auribus, non cibos mentibus afferentes affligit. Item sicut corpora gravia in centro non gravidant: ita cùm Hæresis ad profundum pertinaciæ venerit, gravare conscientiam cessat. Item sicut Camelus non solet bibere, nisi priùs turbet aquam, ita nec Hæresis ingredi, nisi turbet Rempublicam. Et tandem sicut membrum à corpore præcisum vivere non potest, nec ramus ab arbore separatus virescere; ita juxta S. Chrysostomum ho. 46. oper. imperf. omnes Hæretici ab Ecclesia sejuncti, nec vitam gratiæ, nec viriditatem veræ virtutis habere possunt.

TRA-

TRACTATVS IV.

INSTITVTIONES THEOLOGIÆ SCOLASTICÆ, COMPLECTENS.

Præfatio.

I. HActenùs de triplici Theologia, Positiva, scilicet, Ascetica, & Polemica, ob causas in cujuslibet præfatione assignatas paulò fusiùs actum; superest nunc, ut de gemina quoque Theologia Scolastica & Morali breviter aliquid dicatur; quas quidem duas Theologias rectè aliqui duabus Sororibus Marthę, & Mariæ Magdalenæ, comparant; sicut enim sollicita Martha dixit Christo Luc. 10. *Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet*; ita idem suo modo Theologia moralis de Theologia Scolastica dicit; advertit quippe: nimis Operosum sibi fore, & ultra scopum à se intentum (qui est, bonos Animarum Pastores efficere) si suas conclusiones omnes ad prima principia reducere, ac contentiosa Methodo discutere vellet; quare Theologię Speculativę auxilium implorat, eique generaliora quędam principia ac doctrinas, quę ad speculationem potiùs, quàm ad praxin pertinent, philosophico more examinanda, ac stabilienda committit, ita tamen ut easdem doctrinas & principia per Theologiam Scolasticam stabilita, ipsa postea arripiat, & ex illis varias conclusiones ad dirigendam conscientiam pertinentes deducat. Vnde meritò etiam illi Pastores animarum, qui Theologiam Scolasticam non audiverunt, principia talia non omnino ignorare, sed rudem saltem illorum cognitionem comparare debent. Quem in finem hæ Institutiones ipsis non parùm servient, utpote quæ omnia ejusmodi principia ac doctrinas sic breviter explicabunt, ut & ad ejusmodi rudem cognitionem acquirendam posse sufficere videan-

videantur; & tamen captum eorum qui aciem intellectus paulò debiliorem sortiri sunt, non excendant. Ob quam causam tum à diversarum sententiarum & authoritatum citationibus; tum etiam à controversiarum magis speculativarum, atq; ad praxin minùs conducentium relatione consultò abstinebo, ut velex ipso modo proponendi appareat, non aliud, quàm simplicem ac rudem eorum, qui Theologiam Scholasticam non audiverunt, in materiis Theologicis informationem per has Institutiones intendi. Qui enim similes doctrinas accuratiùs explicatas habere voluerit, facilè ad Institutiones Theologicas à R. P. Christophoro Haunoldo studiosè compositas, atque Ingolstadii anno 1659. impressas recurrere poterit. Porro ut meliùs, clariusque tum ipsa natura, utilitasque Theologiæ hujus Scholasticæ; tum Methodus in Institutionibus hisce servanda intelligatur, tria breviter priùs explicanda sunt. videlicet quid sit, & quomodo dividatur, & quænam sint accidentia vel proprietates illius.

II. Et primò quidem definitionem illius quod attinet, communiter ea sic definitur ab Authoribus: *Est habitus de DEO ex principio revelato discurrens*. Quæ definitio propterea sic formata est, ut abstraheretur à diversitate sententiarum, quæ circa genus & differentiam Theologiæ Scholasticæ à variis sunt excogitatæ. Hinc dicitur 1. *Habitus*, & non Scientia & Sapientia, quia, licet negari non possit, hac prædicata etiam Theologiæ convenire, si latiùs pro cognitione certa & infallibili, prout abstrahit ab evidentia vel obscuritate, summatur; si tamen cum Aristotele pro cognitione certa & evidente accipiantur, certum est Theologiam, Viatorum saltem, sub scientia & sapientia non comprehendi. Dicitur 2. *De DEO*: Vt indicaretur, quodnam esset objectum Attributionis respectu Theologiæ, videlicet ipse DEVS, ad hujus enim meliorem cognitionem omnia objecta attributa, tam complexa (qualia sunt omnes conclusiones ex principio revelato deductæ) quàm incomplexa (qualia sunt res omnes, de quibus eadem Theologia aliquid per principium revelatum probat) tum ex sua natura, tum ex intentione eorum, qui primi hanc Theologiam instituerunt, referuntur. Ex qua eadem particula ulterius etiam patet, quodnam sit objectum formale, seu *ratio formalis quæ*, ut aliqui vocant, in hac Theologia, scilicet ipsa Deitas, utpote quæ saltem

saltem secundùm nostrum modum concipiendi est radix omnium attributorum & relationum divinarum. Dicitur 3. *Ex principio revelato*: & non ex principiis revelatis in plurali, ut abstraheretur ab illa controversia, qua quæritur, an ad conclusionem Theologicam sufficiat una præmissa revelata, & altera naturaliter, aut moraliter evidens, ut non pauci contendunt; an verò utroque revelata esse debeat; uti alii requirunt. Dicitur 4. *discurrens*; per quam particulam indicatur, Theologiam non immediatè assentiri objecto suo complexo, ut habitus Fidei facit, sed mediatè duntaxat, mediante scilicet principio revelato, fide divina credito, quod proinde juxta communiorem sententiam pro objecto formali *quo* seu *propter quod* ipsius Theologiæ assignatur.

III. Secundo ipsam Theologiæ divisionem quod attinet, ea communiter dividitur in Theologiam ex principio revelato obscurè & clarè cognito discurrentem: ob quam causam Theologiam Beatorum evidentiam in attestante habentium, specie distingui à Theologia Viatorum obscurè duxtaxat principia revelata cognoscentium, docent Molina, Arrubal, Fasolus, Valentia, & alii. Quòd si verò etiam Theologia non sit simplex habitus, sed ex pluribus compositus, tum utramque hanc Theologiam iterum subdivi in eam, quæ ex utraque præmissa revelata; & eam quæ ex una duntaxat revelata, & altera evidente discurrit, atque utramque iterum specie distinctam esse, Molina, Arrubal, & Granadus docent. Atque hæc divisio ad Theologiam secundùm totum suum objectum complexum spectatam præcipuè pertinet: si enim secundùm objectum materiale incomplexum consideretur, tum communiter eam Theologi post S. Thomam in tres partes dividunt in quarum prima de Deo tum in se (id est, secundùm Naturam, Personalitates, & Attributa) tum in suis Operibus præcipuè Angelis & Hominibus considerato agunt. In secundâ DEVM, prout per visionem beatificam fruibilis est, considerant: hinc tum ipsius visionis beatificæ Naturam explicant: tum quibus mediis ea obtineri possit, ostendunt. Quia autem ad hoc, ut ea obtineatur, Iustitia Christiana requiritur in fugiendo malo, seu peccato, & bono faciendo, seu virtutibus exercendis consistens: horum autem tractatio longa nimis futura videbatur, ideo S. Thomas hanc secundam partem in alias duas

duas partes subdivisit, & in priori quidem (quam primam Secundæ vocavit) de Beatitudine, vitiisque & virtutibus in genere; in posteriori verò (quàm secundam Secundæ appellavit) de iisdem vitiis & virtutibus in specie, variisque hominum Statibus tractabit, quam subdivisionem etiam moderni Theologi in S. Doctoris reverentiam plerumque observant. In tertia tandem parte de Christo, qui viam nobis ad Beatitudinem ostendit, tractant, atque adeò primò Incarnationem illius, deinde Sacramenta ab eo instituta, & tandem finem immortalis vitæ ad quam per Passionem ipsius & resurrectionem aditus reseratus est, explicant.

IV. Denique Attributa & Proprietates Theologiæ (latiùs sumendo hoc nomen pro quocunque prædicato accidentali, prout ea Tannerus q. 4. proœmiali, & alii hunc titulum proponentes sumunt) sequentia communiùs assignantur 1. Quod sit habitus *supernaturalis*, uti Suarez & Tannerus contra alios qui vel omnino cum Vasquez naturalem quoad substantiam; vel certè cum Gillio & Fonseca quoad modum, naturalem esse contendunt, ducent, eò quòd ad conclusionem Theologicam etiam Habitum Fidei partialiter concurrere existiment. 2. Quòd sit *simplex* & unicus indivisibilis habitus, uti Vasquez, Valentia & alii apud & cum Tannero du. 2. n. 4. contra Suarez, Molinam, & alios volentes eam ex pluribus partialibus & specie distinctis habitibus componi, existimant. 3. Quòd sit speculativus habitus, uti S. Thomas & Thomistæ apud & cum Tannero q. 3. du. 3. n. 3. docent, eò quòd primarium ipsius objectum, scilicet ipse DEVS, non sit objectum operabile; licet non neget hæc sententia, eam particulares aliquas conclusiones, v. g. de actibus humanis, vitiis & virtutibus, ac Sacramentis practicas habere, ob quam causam aliqui cum Nominalibus eam esse habitum partim speculativum, partim practicum contendunt. 4. Quòd sit *certior* aliis scientiis naturalibus juxta S. Thomæ & communiorem Doctorum sententiam, eò quòd aliæ scientiæ, ut loquitur S. Doctor, certitudinem suam habeant ex lumine naturali rationis humanæ, quæ decipi potest; Theologia verò certitudinem suam ex lumine scientiæ divinæ, quæ decipi non potest, accipiat; licet non negent hi Authores, ut videre est apud Tann. n. 6. quod si de certitudine adhæsionis sit sermo, Theologiæ assensus cedat

natu-

naturalibus scientiis; eò quòd harum veritatibus ob evidentiam Intellectus nullo modo dissenrire queat; sicut tamen propter obscuritatem veritatibus Theologicis (saltem imprudenter) negare potest assensum. Non desunt tamen, qui vel cum Vasquezio omnes conclusiones Theologicas, vel saltem cum Vega & Zummel eas, quæ ex principio revelato, & altero naturaliter evidenti procedunt, certiores esse negant aliis conclusionibus scientificis. 5. Quòd sit *dignior* aliis scientiis, uti cum S. Thoma unanimiter docent Theologi; eò quòd tam dignitate objecti juxta omnes; tum etiam certitudine assensus juxta plures, tum denique ratione finis, ad quem ordinatur, scilicet æternæ beatitudinis excellentia longè superet omnes scientias naturales. 6. Quod etiam *utilior* sit aliis scientiis; uti vel ex ipsa experientia colligitur, per quam compertum est, quantum detrimẽtum ex illius studio neglecto passa sit Religio Catholica; & quantùm eo restituto Hæresum progressus sint inhibiti. 7. Quòd non quidem *simpliciter* sit necessaria ad Ecclesiæ conservationem, cùm mille post Christum natum annis, & ampliùs, nullum viguerit hujus Theologiæ studium, & tamen Ecclesia multò latiùs, quàm nunc, fuerit propagata, atque in sua incolumitate conservata; *secundùm quid* tamen rectè necessaria ad hunc finem dicatur, cùm constet nullos magis, quàm hujus scientiæ Doctores pro Ecclesiæ Catholicæ conservatione laborare, ut meritò hi Doctores sexaginta fortissimis, qui circumstant Lectulum Salomonis, comparari mereantur, utpote qui & ipsi omnes tenent gladium ancipitem locorum Theologicorum ex Verbo DEI scripto & non scripto (ad que Bellarminus omnia argumenta propriè Theologica revocari posse existimat) aut certè ex Verbo DEI (ad quod Scriptura Sacra, traditiones, Summorum Pontificum & Conciliorum decisiones, SS. Patrum, Doctorum, & Fidelium in doctrina ad Religionem pertinente unanimis consensus revocantur) & veritate naturali evidenti fidei articulo coniuncta confectum.

PARS I.

DE DEO TVM IN SE, TVM IN OPERIBVS SVIS CONSIDERATO.

TRia potissimùm capita Pars hęc prima complectetur, quorum primum de DEO, alterum de Angelis, tertium de Creatione Mundi seu opere sex dierum aget.

CAPVT I.

De Deo uno & Trino.

DEI nomen variè apud varias gentes derivationem suam, & origenem sumpsit. Apud Hebreos, teste Tannero d. 2. q. 1. du. 1. *El* à forritudine vocatur, quasi per excellentiam fortis dicatur, utpote qui omnia potest, & cujus potestati ac voluntati nemo resistere potest. Apud Græcos, testati ac voluntati nemo resistere potest. Apud Græcos, teste S. Gregorio Nazianzeno ho. 5. in Cant. ἀπὸ τῦ θεᾶσθαι, id est, *videre* nomen accipit, eò quòd omnia videat, nihilque absconditum esse possit oculis ipsius. Apud Latinos juxta Valentiam & alios dictus est DEVS, vel quia nihil illi deest; vel quò det omnia: vel quòd de eo vel ab eo sint omnia. Apud Germanos Deus, quasi bonus vocatur, ut putat Tannerus l.c. eò quòd per excellentiam bonus sit juxta illud Luc. 18. *Nemo bonus nisi solus Deus*. Porro de hoc DEO sex plerumque à Theologis quæstiones moveri solent, videlicet de Existentia, de Essentia, de Natura, de Attributis, de Operationibus ad intra, & de Personalitatibus illius: de quibus proinde etiam hic per totidem articulos agetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS I.

De Existentia DEI.

De hac quæritur 1. *An demonstrari possit?* R. Etsi Petrus de Aliaco, Ioannes de Baspolis & alii apud Tannerum l. 2. q. 2. du. 3. negent, DEI existentiam demonstrari posse, eò quòd omnes rationes, quibus aliqui conantur ejus existentiam probare, facilè solvi queant; contraria tamen sententia communis est omnibus aliis Theologis, uti ex sequenti quæstione clariùs patebit.

Q. 2. *Quomodo demonstrari possit existentia DEI* R. 1. cum plerisque Theologis, eam saltem a posteriori demonstrari posse, uti S. Thomas q. 1. a. 3. quinque rationibus demonstrat, scilicet 1. Ex motu rerum naturalium, in quo denique ad unum primum mobile deveniendum est. 2. Ex subordinatione causarum efficientium, inter quas, ne processus in infinitum, aut mutua causalitas admitti debeat, denique causa prima concedenda est. 3. Ex conditione & gradu rerum contingentium, quæ ab ente necessariò oriri debent. 4. Ex vario gradu perfectionis, quæ in rebus creatis reperitur; unde ens perfectissimum tandem admittendum est. 5. Ex ordinatione rerum ad finem, quam cùm non possint habere entia rationis expertia, hoc ipso admitti debet ens summè intelligibile, quod eas ordinet ad finem. R. 2. Non deesse Recentiores quoldam Theologos, qui etiam à priori probare conentur eandem existentiam; nam 1. Antonius Perez p. 1 d. 1. c. 14. sequentibus duobus syllogismis eam probare conatur: *Nullum bonum est esse chymæram; sed ens carens omni defectu est bonum; ergo ens carens omni defectu non est chymæra, sed de facto existit.* Item: *Si DEVS non existeret, esset impossibilis; ergo necessariò existeret necessitas non existentiæ illius, quæ necessitas hoc ipso foret DEVS.* 2. Martinus Esparza q. 2. a. 4. ex propositionibus æternæ veritatis hoc modo probare nititur: *Dantur propositiones æternæ veritatis* (quales v. g. sunt: totum est majus sua parte: quodlibet est, vel non est:) *ergo datur etiam ens simpliciter necessarium*; quia veritas est passio entis, atque adeò dari non posset, nisi etiam daretur ipsum ens, cu-

jus

jus ex passio. Verùm hæ demonstrationes ab aliis Recentioribus non omnino efficaces existimantur.

Q. 3. *An existentia sit de essentia DEI* R. Non deesse quidem aliquos, qui putaverint, eam non includi in conceptu formali, sed juxta nostrum modum concipiendi abstrahi posse ab essentia, perinde ac alia Attributa; contrariam tamen sententiam uti communem, ita longè quoque veriorem esse; eò quòd DEVS sit Ens increatum, Ens à se, Ens necessarium & actus purus, quæ omnia prædicata concipi non possunt, si DEVS in potentia duntaxat, & non actu existens conciperetur.

Q. 4. *An sit de fide, quòd probari naturaliter possit, DEVM existere?* R. negativam quidem sententiam à Vasquezio; verùm contrariam, quam Suar. Valent. & alii tenent, communiorem esse, eò quòd Scriptura Sap. 13. & alibi asserens, Creatorem ex Creaturis cognosci posse, debeat in sensu proprio, scilicet de Metaphysica demonstratione accipi.

ARTICVLVS II.

De essentia DEI.

Pro meliori intelligentia hujus tituli sciendum est, hæc duo Vocabula *Essentia* & *Natura* frequenter quidem pro eodem accipi, ab aliis tamen post S. Thomam communiter distingui, ita ut Vocabulum *Essentia* accipiatur pro radice cæterarum perfectionum, & passionum, quæ in aliquo ente reperiuntur; Vocabulum *Natura* verò pro principio Operationum sumatur. Qua distinctione suppositâ.

Q. 1. *In quo prædicato Essentia DEI consistat?* R. Varias esse in hac Controversia sententias; nam 1. aliqui cum Suar. & Molina eam in cumulo omnium perfectionum constituunt. 2. Alii cum Vasquez & Arriaga in actu primo Intellectivi eam consistere putant. 3. Alii cum Esparza & Recentioribus communiùs, eam in prædicato Aseitatis seu Entis à se sitam esse volunt, eò quod hoc prædicatum videatur esse radix omnium aliarum perfectionum.

Q. 4. *An essentia DEI distinguatur ab Attributis illius?* R. 1. realiter & identicè non distingui, uti communissima

sententia Theologorum docet. Contra Gualterum quendam apud Tanner. q. 2. du. 2. n. 1. qui absolutè voluit eam realiter strictè distingui, & contra Scotum & ejus asseclas, qui saltem minùs strictè realiter, seu ex natura rei eandem ab Attributis distingui contendunt. Ratio autem communis sententiæ est, quia, si admitteretur realis distinctio, per eam tolleretur simplicitas DEI, neque unum prædicatum seu attributum de altero prædicari posset.

ARTICVLVS III.

De Natura DEI.

Q. 1. *In quo prædicato consistat Natura DEI?* R. cum communiore sententia, eam in prædicato *Intellectivi à se* consistere; quia Intellectio est præcipua DEI operatio, utpote quæ est origo omnium Decretorum atque Processionum ad intra, ob quam etiam Verbum in similitudinem Naturæ potissimùm procedere dicitur.

Q. 2. *An Natura DEI virtualiter distinguatur à Personalitatibus?* R. etsi talem distinctionem negent Granadus & alii, communiter tamen eam concedi ab aliis Theologis, eò quòd Natura & Paternitas v. g. in uno tertio distinguuntur, scilicet in Filiatione, cum qua Natura per suam identificationem communicatur, Paternitas verò realiter ab ea distinguitur; cùm ergo hæc distinctio major sit, quàm rationis ratiocinatæ, & strictè realis dici non queat, saltem virtualis dici debet.

ARTICVLVS IV.

De Attributis DEI.

Pro meliori intellectu dicendorum in hoc articulo notandum est attributa aliqua de DEO *propriè* alia *Metaphoricè* duntaxat prædicari. *Propriè* prædicantur perfectiones, quas habere meliùs est, quàm oppositum illarum, quæque propterea à Theologis perfectiones simpliciter simplices vocantur; *Metaphoricè* seu impropriè prædicantur, quæ in conceptu

ceptu suo imperfectionem aliquam involvunt, quales sunt dolor, ira, & similes; hæ enim non nisi demptis imperfectionibus per hæc vocabula significatis DEO convenire possunt. Præterea sumuntur Attributa variis modis vt videre est apud Tann. q. 3. du. 1. Latissimè pro omni prædicato, quod DEO attribui potest. 2. Minùs latè pro omni eo prædicato, quod DEO vt vnus est, convenit, & ipsam essentiam tanquam radicem subsequi concipitur; quo pacto sola prædicata absoluta, & non relativa includuntur. 3. Strictè pro iis solis prædicatis, quæ positivam perfectionem includunt, & ideò attributa positiva vocantur, qualia sunt esse bonum, sapientem &c. non item negativa attributa, quæ non nisi per negationem formalem exprimi possunt. Hoc loco autem Attributa in secundo potissimùm sensu accipiuntur, de quibus sequentes quæstiones proponuntur à Theologis.

Q. 1. *Quænam sint Attributa positiva Dei?* Resp. sequentia ferè tum à S. Thoma, tum ab aliis Authoribus, vt videre est apud Lessium de perf. div. ei attribui. 1. Quòd sit *summè perfectus*, id est, omnes omnium rerum possibilium perfectiones formaliter, vel eminenter continens; alioqui enim illas producere in creaturis non posset. 2. Quòd sit *summè bonus*, non tantùm bonitate transcendentali (hæc enim eadem est cum perfectione Dei) sed appetibili etiam, in quantùm scilicet continet id omne, quòd à creatura rationali appeti aut desiderari potest. 3. Quòd sit *summè sanctus* (quæ sanctitas ab Authoribus bonitas moralis appellatur) eo quòd infinitam morum perfectionem contineat, ideòque voluntas & beneplacitum illius sit regula omnis honestatis, 4. Quòd sit *summè Sapiens*? eò quòd omnia cognoscat, & sciat per supremas causas, nimirum per cognitionem essentiæ suæ, quæ est omnium rerum suprema causa efficiens finalis, & exemplaris. Quòd sit *summè potens*, id est, efficere possit, quidquid contradictionem non involuit; unde, teste Lectio l. 5. c. 1. plus quàm septuaginta locis in S. Scriptura omnipotens vocatur. 6. Quòd sit *summè verax*, id est, falli non possit in cognitione obiectorum, nec fallere in revelatione eorundem, vnde hæc veracitas est fundamentum fidei nostræ. 7. Quòd sit *summè Misericors*: eò quòd sicut est fons omnis felicitatis, ira & miseriæ omnis, quæ non ni-

si collatione boni tollitur, peremptor & exterminator sit, vt Lessius l. 12. c. 2. loquitur hinc, teste Psalmista Ps. 32. *Misericordia Domini plena est terra*. 8. Quòd sit *summè iustus*: id est, retribuens cuique juxta meritum suum; vnde Tobias c. 3. dixit: *Iustus es, Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt*. 9. Quòd sit *summè benignus*: id est summè propensus ad bonitatem suam omnibus creaturis pro cujusque capacitate communicandam.

Q. 2. *Quæ sint attributa negativa Dei?* Resp. sequentia ferè illi attribui. 1. Quòd sit *simplex*, id est, omnem compositionem ex partibus excludens. 2. Quòd sit *unus*, id est, in plures Deos indivisus, seu immultiplicabilis; alioqui enim non haberet plenum Dominium ab alio factus, pendens. 3. Quòd sit *Increatus*, id est, a nullo alio factus, sed à seipso existens. 4. Quòd sit *Incorporeus*: cùm corporea substantia necessario plurimas imperfectiones involuat; omnis autem imperfectio Deo repugnet. 5. Quòd sit *Infinitus*, id est, omni termino extrinseco carens, ita ut neque excogitabile sit ens perfectius illo. 6. Quòd sit *Immensus*, id est, in omni spatio imaginabili existat, hinc 2. Paral. c. 16. dicitur: *Cœli cœlorum te non capiunt*. 7. Quòd sit *Immutabilis*, non physicè duntaxat (id est, ut à parte rei se aliter habere non possit, vno tempore, quàm alio se habuerit) sed etiam moraliter, ita vt ex animi incostantia aliud velle non possit, quàm quod semel decreuit. Hinc ipsemet Malach. 3. dixit: *Ego Dominus, & non mutor*. 8. Quòd sit *Aeternus*, id est, omni tempore excogitabili existens; sic enim essentia Entis à se requirit, vt nullum scilicet tempus assignari queat, quo inceperit esse. 9. Quòd sit *Incomprehensibilis*, id est, à nullo Intellectu creato sit cognoscibilis, vt nihil lateat videntem, cùm nulla vis cognoscendi finita infinitam cognoscibilitatem exhaurire possit. 10. Quòd sit *Invisibilis*, id est, à nulla creatura Intellectuali solis naturæ viribus intuitivè cognoscibilis. Vnde à S. Paulo 1. ad Tim. c. 6. Lucem inaccessibilem habitare dicitur, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. 11. Quòd sit *Ineffabilis*: id est, nullo nomine *quidditativè* significari possit; cum enim nemo ordinaria via eum intuitivè cognoscere possit, hoc ipso etiam nomen ad exprimendam clarè illius quidditatem invenire non potest.

Q. 3. *An*

Q. 3. *An & quomodo attributa inter se distinguantur?* Resp. etsi à parte rei omnia DEI Attributa identificentur, & de se mutuò prædicari possint; formaliter tamen, & quoad nostrum, modum concipiendi rectiùs distincta dicuntur, eò quòd æquivaleant pluribus perfectionibus distinctis, quæ in creaturis reperiuntur. Hinc rectè formantur similes propositiones: *Sapientia DEI formaliter non est iustitia*.

ARTICVLVS V.

De Operationibus DEI.

I. Q. 1. *Quot sunt operationes DEI?* Resp. duplicis potissimùm generis Operationes in Deo assignari à Theologis, internas scilicet, & externas. Internæ sunt Intellectio & volitio. Externæ sunt Angeli & reliqua Opera tum primis sex diebus, tum deinceps ab eo producta.

II. Q. 2. *Quid de Intellectione, seu scientia DEI?* (nam hæc duo in DEO, in quo non datur nuda seu pura potentia, non distinguuntur) *præcipuè sciendum sit?* Resp. tria potissimùm scienda esse, nempe objectum, medium, & distinctionem scientiarum. Et 1. quidem *obiectum* quod attinet, DEVS non tantùm cognoscit seipsum comprehensivè, sed etiam alia omnia, quæ quacunque ratione scibilia sunt, atque adeò non tantùm res existentes, sed etiam possibiles, & futuras tam absolutas, quàm conditionatas, quia hæc omnia sunt objecta scibilia, adeòque DEO tanquam perfectissimo scibili negari eorum scientia non debet. 2. *Medium sciendi* quod attinet, Essentiam imprimis suam non tantùm in se, sed etiam in creaturis propter respectum & connexionem, quam habent cum Essentia, cognoscit. Res verò possibiles mediante sua Essentia, indirectè, imò juxta aliquos etiam directè in seipsis cognoscit. Futura denique si necessaria sunt, in causa sua: si autem libera, probabiliter in seipsis intelligit. 3. *Distinctionem scientiarum* quod attinet, sicut in Deo non dantur cognitiones realiter, distinctæ, ita nec scientiæ realiter distinctæ concedi debent; sed ad summum propter æquivalentiam cum nostris, scientiis & cognitionibus ratione distinctæ dici queunt; hinc illa scientia, quæ in

res tantùm possibiles tendit, *scientia simplicis intelligentiæ*; quæ in res pro aliqua temporis differentia absolutè extituras, aut existentes fertur, *scientia Visionis*: & ea tandem, quæ in objecta conditionatè futura tendit, *scientia media* appellatur, de cujus tamen necessitate multùm disputant Theologi. Præter has scientias communiter etiam Ideæ in Deo admittuntur, quæ nihil aliud sunt, quàm ipsissimæ perfectiones divinæ, prout à Deo primario per sui comprehensionem sunt cognitæ, & à creaturis participabiles.

III. Q. 3. *Quid de Volitione DEI præcipuè sciendum sit?* Resp. sequentia. 1. Dari in DEO veram voluntatem & volitionem ratione duntaxat nostra distinguibiles; cùm vt finis & primum principium omnium rerum omnia propter se operari debeat, atque adeò per voluntatis actum ad se referre. 2. Voluntatem hanc dividi in voluntatem *Beneplaciti*, quâ Deus absolutè vult aliquem effectum, quæ proinde semper est efficax: & *Signi*, quâ per aliquod signum externum significat, quid fieri velit, & communiter subdividitur in Præceptum, Prohibitionem, Permissionem, Consilium, & Operationem, seu Oblationem concursus ad actum. 3. Deum seipsum quidem & res possibiles necessario amare (saltem amore inefficaci, loquendo de Creaturis) circa reliqua verò objecta decernenda & producenda plenissimam libertatem possidere; alioqui enim frustra S. Scriptura toties ad gratias Deo agendas excitaret, cùm id, quod necessariò præstatur, sicut specialem affectum benevolentiæ non continet, ita nec gratiarum actionem mereatur. An verò hæc volitio libera sit formalitas realiter identificata cum essentia, & quia non esse potuisset, virtualiter distincta; an verò ex ipsa entitate Dei necessaria & futuritione productionis componatur; item an inter ipsa decreta sit ordo quidam prioritatis admittendus, quo vnum præsupponatur ad alterum, vna est ex gravissimis difficultatibus, de qua fusè disputant Theologi. 4. Deum probabiliter semper id velle, & eligere, quod simpliciter optimum est, vt multi SS. Patres docuisse videntur, etsi non desint sat multi Theologi contrarium asserentes. 5. Actum præcipuum voluntatis & intellectus divini esse *Prouidentiam DEI*, quæ nihil aliud est, quàm conceptio mediorum, quibus vnaquæque

que res ad suum finem dirigitur, cum proposito illa media conferendi; quam Providentiam etsi Deus in omnibus rebus conservandis & gubernandis ostendat (iuxta illud Sap. 14. *Tu autem Pater gubernas omnia Prouidentia*) specialiter tamen ea elucet in voluntate & desiderio, quo omnes homines saluos fieri desiderat, iisque media ad salutem sufficientia providet juxta clarissimum S. Pauli testimonium 1. ad Tim. 2. Specialius autem adhuc apparet in *Prædestinatione Electorum*, quæ nihil aliud est, quàm efficax decretum transmittendi quosdam in tempore ad æternam beatitudinem; unde effectus illius sunt gloria æterna, gratia finalis, justificatio, actus meritorii, vocatio ad certum statum, creatio, & dona naturalia, ipsaque etiam peccati permissio, quatenus sit ex complacentia secuturæ salutis. Etsi verò si de tota prædestinatione loquamur, nulla illius causa præcesserit, & id ipsum etiam de inadæquata prædestinatione ad gloriam quàm plurimi doceant Theologi, non desunt tamen, qui probabiliter hanc ex previsis meritis fieri, sat efficacibus argumentis demonstrare conantur. Sicut autem datur aliquorum Prædestinatio, ita etiam aliquorum Reprobatio admittenda est, quæ nihil aliud est, quàm actus divinæ Providentiæ, quo damnandi ab æterna beatitudine excluduntur, estque duplex, *negativa* scilicet, & *Positiva*; illa est, quâ Deus negat auxilia efficacia ad salutem consequendam; ista est voluntas positiva excludendi à beatitudine; unde non sit, nisi præsuppositio peccato, quam præsuppositionem tamen non requirit negativa reprobatio.

ARTICVLVS VI.

De Trinitate Personarum.

I. Q. 1. *Quid de hac Trinitate præcipuè sciendum sit?* Resp. tria potissimùm, scilicet Distinctio, Processio, & Missio.

II. Q. 2. *Quid de distinctione sciendum sit?* Resp. sciendum tres esse Personas Patris, Filii, & Spiritus Sancti, distinctas quidem à se realiter, non autem ab Essentia seu Natura divina, atque adeò æqualem esse omnium gloriam, & Majestatem coæternam, ita ut qualis sit Pater, talis sit & Filius.

Filius, & talis Spiritus Sanctus, quemadmodum in Symbolo S. Athanasii dicitur.

III. Q. 3. *Quid de Processionibus sciendum?* Resp. sciendum esse, duas dari processiones passivas in Trinitate, per quarum priorem Filius à Patre generatur, scilicet per cognitionem Essentiæ & rerum possibilium & ideo hæc processio vocatur *generatio & Filiatio*, eò quòd sit origo viventis à vivente veluti principio conjuncto in similitudinem naturæ; per posteriorem processionem Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit, dum per amorem illorum mutuum spiratur; hinc processio talis *Spiratio passiva* appellatur, cui ex parte Patris & Filii *Spiratio activa* utrique communis & realiter distincta respondet; sicut & generationi passivæ Filii seu Filiationi in Patre generatio activa seu Paternitas respondet. Et de his duabus processionibus intelligendum est, quod in Symbolo S. Athanasii per sequentia verba indicatur: *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus: Filius à solo Patre non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Hinc sedulò cavendum, ne unquam dicatur in abstracto Naturam seu Essentiam divinam generare, spirare &c. sed in concreto tantùm dicatur: Deus generat, spirat. Pari modo non sunt usurpandæ ejusmodi propositiones: *Pater causat Filium aut Spiritum Sanctum*: quia hi termini significant effectum realiter adæquatè distinctum à producente, qualis distinctio non reperitur inter Patrem & Filium.

IV. Q. 4. *Quid de Missione Personarum sciendum sit?* Resp. 1. sciendum, per Missionem hoc loco aliud nihil intelligi, quàm apparationem temporalem Personæ procedentis; seu, ut alii clariùs describunt, processionem Personæ cum habitudine seu connotatione temporalis effectus. Resp. 2. sciendum, Missionem hanc communiter in *Visibilem*, quæ fit ad terminum sensibilem (quo modo Filius missus est ad Naturam humanam assumendam) & *Invisibilem*, quæ fit interno & spirituali modo (qualiter Spiritus Sanctus in animas; caritate replendas mittitur) dividi. Resp. 3. Ut tota hæc materia de Trinitate aliquo modo clariùs cognoscatur, non parùm profuturum, si sequens sistema prædicatorum ad unum ac Trinum Deum concurrentium secundùm

dùm nostrum modum concipiendi factum bene penetretur. Et 1. quidem concipiatur Essentia divina ut ens à seipso. 2. Ut actus primus Intellectivi, in quo prædicato Essentia, aut certè juxta alios Natura Dei consistit. 3. Ut actualis Operatio; & ut sic habet se per modum objecti respectu Essentiæ divinæ, eique Attributa Sapientiæ & Scientiæ Dei identificantur. 4. Ex Essentia sic concepta oritur volitio actualis necessaria, cui formaliter ex parte objecti misericordia, Iustitia, Liberalitas &c. identificantur, 5. Concipitur Deus ut concretum substantiale significans determinatè Naturam, indeterminatè verò Personalitatem hanc vel illam; & ut sic conveniunt illi prædicata Iusti, Sapientis, omnipotentis &c. 6. Determinatè & virtualiter ex Natura divina quasi emanat Paternitas velut prima Personalitas. 7. Realiter à Patre per dictam Paternitatem seu generationem activam producitur Filius unius cum Patre Naturæ, sed Personalitatis diversæ. 8. Filius in esse Filii constituitur per Naturam sibi communicatam & Filiationem productam; ratione autem nostra concipitur primò actu intelligere, dein subsistere, procedere ab alio, acquirere relationem, & notionem Filiationis (quæ nihil est aliud, quàm eadem entitas, quatenus præbet stabile fundamentum distinguendi Filium à reliquis Personis) item volitionem & spirationem activam. 9. Ex Patre & Filio concipitur procedere Spiritus Sanctus, qui à parte rei constituitur per volitionem & spirationem passivam; juxta rationem verò nostram concipitur primò ut volitio actualis, deinde ut volitio subsistens, ut relatio spirationis passivæ, ut notio Spiritus Sancti, ut accipiens à Patre & Filio Intellectionem & reliqua Attributa essentialia Intellectioni identificata. Denique his positis ex omnibus tribus Personis consurgit relatio similitudinis & æqualitatis inter tres Personas: deinde perfectio immanentiæ seu circuminsessionis, qua singulæ Personæ intimè conjunguntur. Postea formantur ab omnibus Personis simul sumptis decreta libera circa complendas Personarum Missiones per productiones ad extra, statuiturque, quænam ex creaturis possibilibus suo tempore produci debeant, vel non debeant, actuque tandem producuntur, & ad suum finem diriguntur.

V. Ex quibus omnibus patet 1. quomodo quævis Persona se-

Universidad de Deusto

secundum rationem nostram definiri possit, nimirum quòd Pater sit Persona divina, quæ primariò terminat Intellectionem & Volitionem: Filius sit Persona, quæ primariò terminat Intellectionem, & secundariò volitionem: Spiritus Sanctus sit Persona, quæ primariò terminat Volitionem, & Secundariò Intellectionem. Patet 2. Vniversalem hanc regulam & distinctionem in Deo rectè à Theologis assignari: *Nulla in Deo admittenda est realis distinctio, nisi ubi obviat relationis oppositio.* Vnde inferunt, Filium non fore distinctum à Spiritu Sancto, nisi hic ab illo simul & Patre procederet.

VI. Q. 5. *Quis fructus ex hoc capite de DEO trino & uno sit hauriendus?* Resp. triplicem præcipuè hauriendum esse. Primus est, ut sublimis de Deo æstimatio, admiratióque concipiatur, atque exinde animus ad laudandum, glorificandumque tam excelsum & præpotentem Deum excitetur. Secundus est, ut magna cum reverentia & timore quisque in conspectu DEI ambulare, debitumque servitium per mandatorum illius accuratam & celerem executionem exhibere studeat; si enim de simili reverentia Angelis præstanda locutus S. Bernardus dixit: *In omni angulo Angelo tuo reverentiam habe, nec audeas illo præsente, quod me præsente facere non auderes:* quantò magis de DEO ubique præsente, & omnia etiam intima perscrutante hoc dictum quisque sibi applicare debet. Tertius est, ut, quales impetus quisque habebat ad Mundum, tales deinceps habeat ad Artificem Mundi, atque adeò totum suum amorem ad infinitam ejus bonitatem amandam convertat, quemadmodum sapienter S. Augustinus lib. de Spir. & anim. cap. 64. hortatur dicens: *Quid vagaris, ô Homo, per multa, quærens bona animæ & corporis tui? ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit: Desidera simplex bonum, in quo est omne bonum, & sufficit.*

CAPVT II.

De Angelis.

SEx potissimùm capita de Angelis scienda sunt, nimirum 1. Existentia & natura Angelorum. 2. Multitudo & diversitas illorum. 3. Potentiæ eorundem. 4. Via illorum. 5. Peccatum & pœna. 6. Custodia & ministerium, de quibus in sequentibus articulis pro instituto breviter agetur.

ARTICVLVS I.

De Existentia & Natura Angelorum.

I. Q. 1. *An de facto dentur Angeli?* Resp. 1. de fide esse, dari Angelos, id est, substantias quasdam finitas, Deo subordinatas intelligentes, completas, à Deo & Homine distinctas, & extra censum omnium rerum harum visibilium positas, ut Tann. hic dub. 1. loquitur; sic enim passim ex Scriptura, maximè Matth. 4. colligitur, ubi dicitur: *Angelis suis mandavit de te.* Resp. 2. Tametsi hæc Angelorum existentia non possit ratione physica aut metaphysica demonstrari, posse tamen sat certò & evidenter ex moralibus quibusdam effectibus probari, videlicet ex iis, quæ de facto in Energumenis patrari experimur, quæ, cùm sæpe sint ingentia peccata, & vires animæ separatæ manifestè excedant, meritò malis Angelis adscribuntur.

II. Q. 2. *Cujus naturæ sint Angeli?* Resp. esse creaturas intellectuales, Spirituales, & simplices, ac natura sua indestruibiles; sic enim quoad vim intelligendi & spiritualitatem colligitur ex ipsa S. Scriptura, quæ passim eos Spiritus vocat, atque actiones intellectuales illis attribuit; de simplicitate verò & indestruibilitate concluditur ex eo, quod nulla appareat ratio necessitatis aut utilitatis suadentis compositionem Angeli ex materia spirituali, vel partibus integrantibus; quod si autem Angeli à solo Deo creentur & conserventur, hoc ipso etiam ab eo semper conservari petunt, atque adeò natura sua indestruibiles rectiùs dicuntur.

III. Q. 3. *Quando sint producti Angeli?* Resp. eos juxta communiorem sententiam primo die unà cum cœlo fuisse productos; sic enim in cap. *firmiter* de summ. Trin. sat clarè indicatur per hæc verba: *Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, corporalem scilicet, & Spiritualem, Angelicam & mundanam, deinde humanam.*

IV. Q. 4. *Ubi producti sint Angeli?* Resp. nihil de loco

eo nobis certò constare; hinc aliqui eos in aere, alii in cœlo sidereo, alii in Empyreo creatos fuisse existimant, cui postremæ sententiæ multi SS. Patres favent, eò quòd congruum videatur, ut nobilissimæ creaturę in loco nobilissimo creentur.

ARTICVLVS II.

De Multitudine & Diversitate Angelorum.

I. Q. 1. *Quàm multi sint Angeli à Deo creati?* Resp. hanc rem incertam esse; plurimos tamen creatos esse, constat sat clarè ex illo textu Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Plures verò esse creatos, quàm Homines de facto existant, vel extituri sint, communius docent Authores, & tum ex parabola ovis perditæ & inventæ Luc. 15. tum ex quadam revelatione S. Birgittæ; tum denique ex ipsa Custodia Angelorum colligunt; cùm enim hi ordinariè ex infima Hierarchia assumantur, & cuivis homini unus duntaxat ac diversus Angelus assignetur, hoc ipso, quot Superiores Hierarchiæ existunt, tot partibus minimùm multitudinem hominum superare debent Angeli; licet non defuerint, qui existimaverunt, pauciores esse Angelos quàm Homines, eò quod Apoc. 12. Draco tertiam partem stellarum traxisse dicatur, quæ per homines prædestinatos reparanda sit, atque adeò Angeli duabus duntaxat partibus excedant multitudinem prædestinatorum, numerus autem reproborum hominum haud dubiè plùs, quàm duplo excedat numerum prædestinatorum.

II. Q. 2. *Quomodo differant Angeli ratione officiorum?* Resp. eos in tres Hierarchias dividi, in quarum prima Seraphin, Cherubin, & Throni: in secunda Dominationes, Virtutes, Potestates: in tertia Principatus, Archangeli, Angeli collocentur, quæ quidem in hoc præcipuè differunt, quòd prima ad assistendum Deo, secunda ad ministrandum per modum imperii ac directionis, tertia ad ministrandum per executionem ordinata sit.

III. Q. 3. *Quomodo Angeli quoad essentiam differant?* Resp.

Resp. juxta S. Thomam quidem & Thomistas, omnes Angelos specie differre; communiorem tamen esse sententiam, quòd aliqui duntaxat specie, reliqui verò solo numero differant, sic enim facilius ostenditur, quomodo Deus, sicut in corporeis rebus nullam unquam speciem integram destruxit, ita nec in Angelis id fecerit.

ARTICVLVS III.

De potentia Angelorum.

I. Q. 1. *Quot sint potentiæ Angelorum?* Resp. tres communiter assignari, nempe potentiam locomotivam, intellectivam, & volitivam.

II. Q. 2. *Quid de potentia locomotiva Angeli sit sciendum?* Resp. sequentia. 1. Per hanc Angelum ita producere ubicationem divisibilem, ut terminum quidem magnitudinis, non autem parvitatis habeat. 1. Non posse Angelum naturaliter in duobus locis adæquatis, vel etiam inadæquatis discontinuis existere; nec ab uno extremo ad alterum non transito medio moveri. 3. Posse tamen moveri motu successivo, & discreto in infinitum velociori (suppositia divisibilitate temporis in infinitum) non tamen quacunque celeritate, quia talis potentia infinita foret, qualis Angelo concedi non potest. 4. Posse secum etiam alios Angelos aut corpora rapere, idque tum per impulsum impressum, quàm sine illo; eosdemque in loco violenter retinere, uti de facto contigisse, ex sacris paginis liquet. 5. Posse etiam corpora sine vera, subingredi & movere: sive phantastica ex aere assumere, in iisque hominibus apparere; nullas tamen in iis operationes vitales corporeas exercere, hæ enim ab intrinseco procedere debent. 6. Etsi aliqui putent, tam magnam esse hanc potentiam locomotivam Angelorum, ut, si Deus permitteret, totum mundum movere possent; res tamen incerta est, hinc alii volunt, ne omnes quidem Angelos unicum montem simul movere posse.

III. Q. 3. *Quid de potentia intellectiva Angeli sciendum sit?* Resp. sequentia illius juxta probabiliores sententias concedi. 1. Posse eos naturaliter seipsos, alios Angelos, omnes

omnes res naturales existentes, imò etiam futuras, quæ ex causis necessariis dependent; non tamen futura contingentia libera (nisi conjecturaliter) nec secreta cordium (nisi exteriori aliquo signo, aut alterius consensu ipsis manifestentur) nec objecta quoad substantiam supernaturalia cognoscere. 2. Posse Angelum unico actu plura ut plura cognosere, ac etiam discurrere, saltem in objectis supernaturalibus, aliisque, quæ coniecturaliter tantùm cognoscit, in quibus proinde non minùs facit compositionem judicii, quàm Homines facere consueverunt. 3. Ad omnes has cognitiones indigere Angelos speciebus intelligibilibus superadditis, quotiescunque objectum vel ob improportionem, vel distantiam, vel aliam quamcunque causam non potest concurrere ad sui cognitionem. 4. Ejusmodi species (quarum aliquæ probabiliter universales sunt, id est, multa simul objecta diversa repræsentantes) credibiliter illis statim ab initio creationis infundi, exceptis fortasse illis, per quas suorum actuum recordantur. Non tamen propterea omnia objecta, quorum Species habent, actu semper cognoscere debere, cùm potentiam limitatam habeant, atque ob hanc causam neque seipsos semper actu intelligere debere asseritur, licet non possint Intellectum ab omni omnino actu suspendere, cùm & omnia ad cognoscendum parata habeant, & fatigationem timere non debeant, & nullum ad talem cessationem commodum allicere ipsos queat. 5. Vt hoc potiùs objectum, quàm aliud cognoscant, ipsos determinari vel à Deo, vel ab alio Angelo, vel à connexione unius objecti cum altero, vel à propria voluntate.

IV. Q. 4. *Quid de potentia volitiva Angeli sciendum sit?* Resp. sequentia communiter à Theologis doceri. 1. Competere Angelo voluntatem liberam (alioqui enim meriti aut demeriti capax non fuisset) & quidem specie ab humana voluntate distinctam, cùm ipsa Essentia Angeli velut radix sit specie distincta. 2. Non posse quidem Angelum ab omni actu voluntatis abstinere (saltem suppositò, quòd pura omissio non detur) cùm semper aliquid cognoscere debeat, cognitionem autem naturaliter amor vel odium objecti cogniti sequatur; non esse tamen quoad voluntatem ita inflexibilem (sicut Thomistæ volunt) ut immutare non possit,

sit, quod semel ex plena deliberatione acceptavit, vel respuit: cùm de facto Angeli mali Deum, quem summè priùs dilexerant, postea odisse cœperint. 3. Per hanc voluntatem probabiliter etiam peragi (saltem partialiter, locutionem Angelorum, quatenus scilicet Angelus vult, ut hic vel ille suus conceptus innotescat alteri, sicque facit, ut Deus cum speciebus congenitis alterius Angeli ad tale objectum cognoscendum concurrat: hic quippe modus explicandi locutionem Angelicam & communior est, & commodior, quàm eorum, qui vel per productionem soni sensibilis in aere, vel per signa Spiritualia, vel per productionem speciei impressæ, vel expressæ fieri locutionem putant. 4. Illuminationem quoque, quà vel superioris Hierarchiæ Angeli inferiores, vel ex eadem Hierarchia unus alterum illuminat, per eandem voluntatem fieri, quatenus scilicet unus Angelus vult, ut hoc objectum (quod ad Deum ordinatum esse debet: alioqui etiam Dæmones se mutuò illuminare dicerentur, quod tamen communiter negatur) alteri, qui illius cognitionem actualem non habet, manifestetur per concursum à Deo, cum specie impressa factum.

ARTICVLVS IV.

De via Angelorum.

I. Q. 1. *Quid per viam Angelorum intelligatur?* Resp. nihil aliud per eam intelligi, quàm tempus ad merendam gratiam & gloriam concessum; nam, ut unanimiter docent Theologi, Angeli non fuerunt ab initio cum supernaturali beatitudine creati, sed, ut loquitur S. Augustinus lib. de corrept. & grat. c. 10. Deus sic ordinavit Angelorum & Hominum vitam, ut in ea priùs ostenderet, quid posset liberum arbitrum: deinde quid posset gratiæ suæ beneficium. Vnde etiam statim in gratia habituali creati sunt, uti contra antiquos Doctores id negantes communiter sentiunt moderni Theologi, eò quòd passim S. Scriptura dicat eos stabiles (in gratia videlicet) non fuisse; & idipsum primo homini plerumque concedatur, atque adeò Angelo longè digniori creaturæ non sit negandum. Imò S. Thomas & cum eo ple-

rique Theologi, ut videre est apud Tann. q. 6. dub. 1. docent, hanc gratiam eos per propriam dispositionem meruisse, cùm convenientiùs dicatur, creaturam intellectualem liberam non ordinari intrinsecè ad finem supernaturalem, nisi per liberum consensum. Hinc quia verisimile est, Deum auxilia majora perfectioribus Angelis contulisse, & hos etiam perfectiùs eidem cooperatos esse, meritò quoque Doctores communiter cum S. Thoma asserunt, in majori vel minori gratia, prout major vel minor erat eorum perfectio, ipsos fuisse creatos.

II. Q. 2. *Quamdiu duraverit via Angelorum?* Resp. 1. si sermo sit de physicis & realibus instantibus, certum esse apud Authores, non diu hanc viam duravisse; quia sicut Angeli non indigebant longo tempore ad naturalem perfectionem, ita nec ad supernaturalem obtinendam multis instantibus indigebant, uti Tann. l. c. du. 2. n. 2. discurrit, ubi obiter notat, non credendum esse revelationi, quæ sub nomine B. Amadei circumfertur, ubi in raptu quodam ab Angelis hæc verba audivisse dicitur? *Nos Angeli omnes non parvis & brevibus morulis, ut vos creditis, sed multis temporibus viatores fuimus.* Resp. 2. Si de instantibus Angelicis (per quæ Theologi intelligunt diversitatem valde notabilem operationum) sermo sit, octo diversas sententias referri à Tannero l. c. n. 11. inter quas tamen communior, & probabilior docet, bonorum Angelorum viam duobus instantibus durasse, scilicet uno, quo gratiam promeriti sunt; & altero, quo beatitudinem assecuti sunt; malorum verò Angelorum viam tribus instantibus fuisse absolutam, uno; quo fuerunt in gratia; altero, quo peccarunt; tertio, quo damnati sunt.

ARTICVLVS V.

De peccato & pœna Angelorum malorum.

Q. 1. *Quid de peccato Angelorum sciendum sit?* Resp. sequentes doctrinas communiùs tradi à Theologis. 1. Eos in secundo primùm instanti Angelico peccasse, cùm in primo gratiam habuerint; imò S. Thomas cum multis contra multos

multos docuerit, nec potuisse illos peccare in primo instanti. 2. Probabiliùs esse, omnes Angelos simul peccasse, & quidem ex singulis Hierarchiis aliquos; plures tamen perseverasse in gratia. 3. Probabiliùs quoque esse, Angelos inferiores à Lucifero seductos fuisse; hoc enim S. Ioannes in Apocalypsi c. 12. indicasse videtur, dum dixit, Draconem cauda sua tertiam partem stellarum secum traxisse. 3. Peccatum illud propriè fuisse superbiæ, quo Angeli ex contemplatione suæ perfectionis elati, inordinatè aliquam cum Deo similitudinem appetiverunt, ideòque Christo, cujus Incarnatio ipsis saltem ut conditionatè futura revelata fuerat, subjicere se noluerint; licet alii doceant eos beatitudinem naturalem, vel supernaturalem, vel unionem hypostaticam, cum sua natura, vel ipsam æqualitatem cum Deo, saltem inefficaci actu appetiisse. 4. Peccatum hoc non fuisse ex fragilitate, sed malitia commissum, aliasque circumstantias involvisse, ob quas meritò non exiguam gravitatem involvisse censeatur.

Q. 2. *Quid de pœna Angelorum sciendum sit?* Resp. sequentia præcipuè. 1. Angelos hos malos, etsi potentias suas naturales non omnino amiserint, tam quoad intellectum tamen, quàm voluntatem variè depravatos fuisse, ita ut intellectus quidem in iis objectis, in quibus evidentiam non habet, variis erroribus sit obnoxius; voluntas verò adeò depravata, & in malo obstinata, ut perpetuò actum acerbissimi odii erga Deum, impatientiæque exerceant, nec possint moraliter loquendo ab eo cessare, propter incessabilem cogitationem & experientiam suæ damnationis. 2. Certum esse, eosdem Angelos non tantum pœnam damni (quam omnes concedunt) sed etiam sensus (quam Tertullianus, Origenes & alii olim negarunt) sustinere, cum Matt. 25. dicatur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Verùm qua ratione ignis ille torquere possit Spiritus incorporeos, ferè nobis incognitum est; licet enim aliqui per alligationem ad ignem; alii per productionem speciei impressæ ab igne fieri; alii per alligationem ad corpus ab igne cruciabile; alii per potentiam obedientialem, quæ elevet ignem ad cruciandos Angelos, explicare hunc modum conentur: omnes tamen hæ explicationes

non omnino satisfaciunt intellectui, ut adeò malint Doctores fateri cum S. Augustino, torqueri Spiritus igne corporeo mirisſid est, incognitis nobis) sed veris modis.

ARTICVLVS VI.

De Custodia bonorum Angelorum, & malorum Tentatione.

Q. 1. *Quid de Custodia bonorum Angelorum sciendum sit?* Resp. sequentes doctrinas circa hanc materiam plerumque tradi ab Authoribus. 1. Indubitatum esse, quòd Angeli ad Custodiam Hominum mittantur: sic enim apertè Exod. 23. indicavit, & promisit Deus: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi.* 2. Statim ab ipso Nativitatis principio suum cuique Homini Angelum Custodem assignari, sic enim clarè S. Scriptura Matt. 18. & alibi indicat, unde S. Basilius l. 3. cont. Eunom. *Quòd adsit*, inquit, *singulis credentibus Angelus tanquam Pœdagogus & Pastor vitam dirigens. nemo contradicet, qui memor fuerit verborum Domini, ubi dicit: Ne contemnatis unum de pusillis istis, nam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Solum ab hac Custodia Christum plerumque excipiunt Authores, ut qui hoc ipso, quòd impeccabilis, & plenus scientia ac veritate fuerit, ipsisque Angelis potentior, non indigebat Custodia Angelorum, licet ministerium illorum admiserit. 3. Angelos hanc Custodiam duodecim ferè modis vel officiis exercere, ut notat Tann. q. 6. dub. 8. nu. 8 videlicet peccata Clientum reprehendendo, absterrendo ab illis, occasiones peccandi removendo, Dœmones arcendo, illuminando, secreta Dei consilia revelando, Afflictos consolando, confirmando debiles, pericula depellendo, Hostes visibiles profligando, vim tentationis infringendo, preces Clientum offerendo. 4. Hanc Custodiam in morte quidem finiri: nihilominus tamen animas purgantes interdum solatium accipere, aut ex purgatorio in cœlum deportari. 5. Probabile admodum esse, etiam singulis speciebus perfectis substantiarum corruptibilium, singulis item Regnis, Provinciis,

vinciis, aliisque communitatibus præsertim Ecclesiasticis, speciales Angelos deputari. 6. Angelos hos Custodes ordinariè ex infimis Hierarchiis accipi, licet non sit omnino improbabile, nonnunquam aliquam ex Superiori Hierarchia in custodiam unius vel alterius Hominis deputari.

II. Q. 2. *Quid de tentatione malorum Angelorum sciendum sit?* Resp. sequentes doctrinas communiores esse. 1. Unumquemque Hominem habere specialem Angelum malum ad ipsius perniciem procurandam ordinatum, uti teste Tannero d. 5. q. 6. dub. 7. num. 13. communiter docent Doctores Scholastici, eò quòd ex una parte Angeli mali studio nocendi cupiant ex adverso, quantùm possunt, paria facere Deo; ex altera verò parte facultas non desit ad suum cuique Tentatorem assignandum. 2. Malos hos Angelos nulla ratione Hominem tentare posse, aut eidem nocere sine permissione Dei generali (qualis censetur, si consuetis & ordinariis modis tentent, aut per res naturales noceant) vel speciali, qualis in extraordinariis casibus requiritur. 3. Duobus potissimùm modis Angelos malos tentare Homines & vexare, scilicet *exteriùs*, per effectus externos; & *interiùs* pravas suggestiones humorum & phantasmatum commotiones ingerendo. 4. Eosdem juxta varios status & ætates mundi variè permissos esse infestare Homines, ut notat Tann. du. 7. nu. 5. nam inprimis ante adventum Christi multò majorem habebat potentiam, quàm post adventum Christi; hinc enim passim & Idolorum responsa cessabant: nec tam frequentes ac prodigiosæ elementorum perturbationes audiebantur, præsertim ubi Crucis trophæum erectum, aliaque fidei nostræ symbola in usu erant, ita ut meritò aliqui Luciferum juxta visionem S. Ioannis Apoc. 20. in inferno alligatum credant, mansurumque tali modo alligatum usque ad Antichristi adventum, quo tempore solvetur iterum, majorique tyrannide sævire permittetur, uti ex eodem capite Apocalypsis colligitur. Sed & inter ipsos Homines quoad hoc non modicum discrimen esse advertitur, nam in baptizatos plerumque non tantam habere potestatem comperitur, quantam in Infideles exercet, uti ex recentibus Indiæ & Japoniæ historiis colligitur: nec Iustis tantopere, quàm Peccatoribus inter Christianos nocere permittitur. Quamvis rectè

notet Suar. l. 8. c. 18. nu. 17. hanc Dœmonis potentiam non semper limitari à Deo, pro conditione seu statu Ecclesiæ vel Personarum, sed eundem pro solo voluntatis suæ sapientissimo arbitrio unum gravius & frequentius, alterum leviùs & rariùs tentari permittere, & universim aliter electorum, quàm cæterorum tentationes moderari, nec cuiquam ullam in hac re injuriam facere.

Q. 3. *Quis fructus ex tota hac materia de Angelis hauriendus sit?* Resp. 1. Ex bonorum Angelorum consideratione illum potissimùm fructum hauriendum, quem S. Bernardus Serm. 12. in psalmum *Qui habitat* sequentibus verbis indicavit: *Angelis suis mandavit de te. Mira dignatio, & vere magna dilectio caritatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit, studiosè consideremus Fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cuius sunt Angeli, cuius mandatis obtemperans, cuius obediunt voluntati. Nempe Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur; quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo Maiestas mandavit Angelis, & Angelis suis mandavit. Illis utique tam sublimibus, tam beatis, quàm proximè sibi cohærentibus, & verè Domesticis Spiritibus mandavit de te. Tu quis es? quid est homo, quòd memores eius? aut filius hominis, quoniam reputas eum? quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis. Sed quid putas, mandavit de te? ut custodiant te. Quantam tibi debet hoc Verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia.* Resp. 2. Ex malorum Angelorum lapsu & ruina eum præcipuè fructum esse referendum, quem pius Author libelli de imitatione Christi l. 3. c. 14. his verbis indicat? *Intonas super me iudicia tua, Domine, & timore ac tremore concutis omnia ossa mea, & expavescit anima mea valde. Sto attonitus, & considero, quia cœli non sunt mundi in conspectu tuo. Si in Angelis reperisti pravitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? ceciderunt Stellæ de cœlo, & ego pulvis quid præsumo? quorum opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima; & qui comedebant panem Angelorum, vidi siliquis delectari porcorum. Nulla est ergo sanctitas, si manum tuam, Domine, subtrahas. Nulla*

ta prodest sapientia, si gubernare desistas. Nulla iuvat fortitudo, si conservare desinas. Nulla secura castitas, si eam non protegas. Nulla propria prodest custodia, si non adsit tua sacra vigilantia; nam relicti mergimur, & perimus; visitati verò erigimur, & vivimus.

CAPVT III.

De opere sex dierum.

DE hoc plerumque nihil Theologi in Scholis dictant, sed Philosophis & S. Scripturæ Interpretibus in primis Geneseos capitibus ea, quæ S. Thomas à quæstione 43. tractat de hac materia, discutienda relinquunt. Quia tamen ea ipsa non semper vacat in Authoribus, utpote fusiùs disputata legere, à Scripturæ verò Professoribus rariùs hæc materia tractatur, non oberit, breviter ea quæ S. Thomas & impressi Theologorum libri de hoc opere sex dierum disputant, indicasse.

ARTICVLVS I.

De Processione creaturarum à Deo.

I. Hanc quæstionem S. Thomas statim post absolutam materiam de Deo subjungit, & postea primùm de productione Creaturarum Spiritualium, id est, Angelorum, & corporearum, seu Vniversi in specie tractat. Quia tamen Materia de Angelis plerumque fusiùs discutitur à Theologis, ideò ut ea magis simplex, & inter se conjuncta foret, plerumque etiam separatur à reliquis quæstionibus, & ea, quæ S. Doctor de processione creaturarum in genere disputat, hoc loco breviter indicantur. Itaque de Creaturarum processione in genere hæ ferè quæstiones à S. Thoma proponuntur.

II. Q. 1. *Virum sit necessarium, omnes ens à Deo produci?* Resp. S. Doctor q. 44. a. 1. affirmativè; cùm enim omnis creatura habeat esse per participationem, necessario illud accipere debet ab ente, cui tale esse per se, & essentialiter convenit; tale ens autem est unicus Deus.

III. Q. 2. *Vtrum Deus sit causa Exemplaris omnium*

rerum? Resp. S. Thomas l. c. a. 3. iterum affirmativè : eò quòd omnis res producenda iuxta Ideam à producente conceptam fieri debeat ; solus autem Deus in sua infinita sapientia Ideas omnium rerum possibilium contineat, ut priori capite ostensum est.

IV. Q. 3. *An Deus sit causa finalis omnium rerum?* Resp. S. Doctor a. 4. affirmativè ; eò quòd omne agens propter finem agere debeat, ne casu omnia fieri dicantur ; idem autem finis agentis & patientis esse debeat ; ergo, cùm universa propter seipsum creaverit Deus, meritò omnium quoque causa finalis dicitur.

V. Q. 4. *An productio creaturarum sit communis toti Trinitati?* Resp. S. Thomas q. 45. a. 6. affirmativè, eò quòd producere aliquid, proprium sit agenti secundùm essentiam spectato ; essentia autem in Deo sit communis omnibus Personis. Per hoc tamen non negatur, quòd divinæ Personæ secundùm rationem suæ processionis habeant causalitatem respectu creationis rerum ; cùm enim Deus ut supremus Artifex per verbum intellectu conceptum, quod est secunda Persona : & per amorem suæ voluntatis, qui est tertia Persona, omnia operetur, meritò processiones Personarum dicuntur rationes productionis creaturarum.

VI. Q. 5. *An in omnibus creaturis reperiatur vestigium Trinitatis?* Resp. S. Doctor a. 7. cum S. Augustino affirmativè, eò quòd quælibet creatura subsistat in suo esse, ut sic repræsenter suum principium, atque adeò Personam Patris, qui est principium sine principio, demonstret. Et prærerea habeat quandam formam seu speciem, & ut sic repræsentet secundam Personam seu Verbum, quatenus omnis forma artificati oritur ex conceptione & Idea Artificis. Et denique habeat ordinem ad aliquid aliud, ob quem congruenter facta dicitur : & per hoc repræsentat amorem Dei seu tertiam Personam, ex quo ad operandum movente omnia procedunt.

ARTICVLVS II.

De creatione Mundi.

I. Occasione hujus tituli S. Thomas q. 46. & cum eo alii Theologi fusè hoc loco de creatione disputant, an scilicet ea sit ens distinctum à Deo aut creatura ; item an ita sit propria Deo, ut nulli creaturæ communicari possit potentia creandi, & similia, quæ hodie plerumque in Philosophia etiam traduntur. Quare omissis illis quæstionibus.

II. Q. 1. *An Mundus in tempore fuerit productus ; an verò ab æterno extiterit?* Resp. affirmativè ex communi Theologorum omnium sententia ; èstque de fide, utpotè in Concilio Lateranensi definita, & sat clarè in cap. 1. Gen. indicavit, vbi dicitur : *In principio creavit Deus cælum, & terram.*

III. Q. 2. *An totus Mundus simul in vno instanti, an verò per plures dies sit productus* ; Resp. ex communi SS. Patrum & Scholasticorum sententia contra S. Augustinum ac nonnullos Theologos. Mundum non simul fuisse productum, sed successivè per plures dies ; eò quòd Scriptura, quæ c. 1. Gen. apertè indicat, per plures dies illud opus fuisse absolutum, possit, atque adeò etiam debeat propriè accipi ; maximè cum variè etiam congruentiæ ad ipsum non inefficaciter suadentes ab Authoribus passim afferantur, vt apud Tannerum d. 6. q. 1. du. 6. n. 13. videre est.

IV. Q. 3. *Quo die Mundus fuerit productus.* ? Resp. Tannerus l. c. n. 23. de hoc non posse esse controversiam ; cùm enim DEVS septimo die, id est. Sabbato quieverit, hoc ipso primum diem, quo Mundus creari cœpit, Dominicum fuisse necesse est, unde, etiam canit Ecclesia die Dominico in Hymno matutino : *Primo dierum omnium, quo Mundus extat conditus.*

V. Q. 4. *Quo anni tempore Mundus sit conditus?* Resp. iuxta veriorem & communiorem sententiam, teste Tanneto l. c. n. 26. circa æquinoctium vernum, mense Martio, fuisse conditum : tum quia tunc etiam terra germinare solet ; tum quia hoc tempore etiam præcipua alia D E I opera, vt Liberatio Populi Israelitici ex Aegypto, Incarnatio, Mors & Resurrectio Christi, sunt patrata ; & præterea valde verosimile est, SS. Patres id per traditionem accepisse.

AR-

ARTICVLVS III.

De opere primæ diei.

I. Q. 1. *An cælum & terra prima die creati sint?* Resp. Etsi non pauci Authores cum S. Thoma sentiant, cœlum & terram, ante primam diem creata fuisse, eò quòd id obscurè S. Scriptura gen. 1. illis verbis: *In principio creavit DEVS cœlum & terram*: id indicare videatur; & præterea, ante Lucem non fuerit dies; probabiliùs tamen alij existimant, illa prima die creata fuisse, uti Tann. d. 6. q. 2. du. 1. cum multis aliis tum SS. Patribus, tum Theologis docet, estque conformior tum S. Scripturæ Exod. 11. asserenti, sex diebus fecisse DEVM cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt. tum SS. Patribus Mundi opificium opus Hexameron vocantibus: tum Concilio Lateranensi in cap. *firmiter* dicenti, DEVM in principio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, Spiritualem & corporalem; tum ipsi contextui Moysis, qui satis ostendit, ea, quæ ibi narrantur, una die creata esse.

II. Q. 2. *An omnes cœli quoad substantiam primo die sint creati?* Resp. probabiliùs iterum affirmativè Tann. du. 2. n. 3. contra multos volentes solum cœlum Empyreum primo die fuisse creatum, reliquos verò secundo die fuisse productos. Ratio autem hujus sententiæ est, quia ubique S. Scriptura cœli & terræ nomen conjungens per cœlum intelligit omnes cœlos, dicitque v.g. *igitur perfecti sunt cæli & terra &c.* sed ipse DEVS in Symbolo Apostolorum conditor cœli & terra vocatur; & præterea cùm omnes Cœli sint perfectiores, hoc ipso etiam decebat eos cum ipsis elementis creari.

III. Q. 3. *An etiam reliqua elementa primo die cum terra fuerint creata?* Resp. cum S. Thoma & alijs Doctoribus communius affirmativè, quia, ut S. Augustinus l. de gl. ad liter. c. 4. notat cœli & terræ nomine communiter à S. Scriptura totus Mundus cum omnibus elementis intelligitur: & verò etiam congruum valde erat, ut prius, quàm alia ex elementis componerentur, ipsa elementa & corpora simplicia producerentur.

IV. Q.

IV. Q. 4. *An etiam lux corporalis primo die fuerit producta?* Resp. Etsi S. Augustinus negativam tenuerit partem, ratus per lucem primo die creatam Angelos intelligi, eò quòd non conveniens fuerit, Moysen creaturæ spiritualis productionem prætermisisse; communis tamen SS. Patrum sententia, teste Tannero du. 3. est, eam corporalem fuisse, & quidem, ut communior sententia habet, accidentalem duntaxat, quæmodò huic, modò illi parti cælestis corporis inhæserit; sic enim S. Scriptura, dum ait: *Fiat lux, & facta est lux*: satis indicat, quæ potiùs dicere debuisset: *Fiat luminare*: si per lucem hanc corpus solis informe intelligi deberet, ut S. Thomas volebat.

V. Q. 5. *An lux hæc eodem instanti, quo cœlum & terra creata sunt, fuerit producta?* Resp. cum Tann. du. 1. n. 19. negativè juxta communem SS. Patrum & Doctorum ferè omnium sententiam; & colligitur apertè ex S. Scriptura gen. 1. ubi dicitur: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi*; quæ verba non bene de metaphoricis tenebris; scilicet de Angeli mali casu explicantur.

ARTICVLVS IV.

De Opere secundæ diei.

I. Q. 1. *Quid secundo die creatuum sit?* Resp. id satis ex libro geneseos c. 1. colligi dum dicitur: Dixit quoque DEVS: *Fiat Firmamentum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit DEVS Firmamentum, divisitque aquas ab aquis sub Firmamento ab his, quæ erant supra Firmamentum. Et factum est ita, vocavitque DEVS Firmamentum cœlum, & factum est mane & Vespere dies secundus.*

II. Q. 2. *Quidper Firmamentum hoc loco intelligatur.* Resp. varias esse circa hanc quæstionem sententias. Nam Origenes Firmamentum mysticè interpretatur de separatione Angelorum bonorum & malorum: Pererius & Valentia aerem intermedium inter nubes & aquas interiacentem: Tannerus dub. 1. q. 3: n. 13. non solùm octavam Sphoeram, quæ nunc juxta communem usum Firmamentum dicitur, sed etiam totum cælum sidereum sive mobile, ipsumque cælum Epyreum secundùm infimam partem intelligit, quatenus

tenus non de novo producta, sed consolidata fuit cùm primo die non nisi liquida producta fuerit.

III. Q. 3. *Quid per aquas supra & infra Firmamentum positas intelligatur?* Resp. etiam hic non convenire Authores, nam Origenes, de quo, supra dictum est per aquas Superiores bonos Angelos, per inferiores malos Angelos, intelligit. Valentia & Pererius per aquas Superiores, nubes, per inferiores naturales aquas intelligunt. Tannerus denique cum suis Authoribus per Superiores aquas corpus diaphanum & pellucidum, liquidum & spirabile, Beatorum habitationi destinatum; per inferiores verò ipsum elementum aquæ, seu potiùs omne corpus simplex diaphanum sublunare, hoc est, inter cœlum Lunæ & terram interiectum intelligi existimat, quia, ut S. Thomas qu. 68. a. 3. ad 3. advertit, Moyses propter invisibilitatem aeris & similium corporum, omnium hujusmodi corpora sub aquæ nomine comprehendit.

ARTICVLVS V.

De opere tertiæ diei:

I. Q. 1. *Quod fuerit opus tertiæ diei?* Resp. id in citato libro Geneseos c. 1. indicari, dum dicitur: *Dixit verò DEVS: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida, & factum est ita. Et ait. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.*

II. Q. 2. *Quomodo facta sit congregatio aquarum?* Resp. tres quidem modos à S. Augustino l. 1. sup. gen. c. 12. commemorari, scilicet ut vel aqua in quibusdam locis velut in montrarior terras ambiverit postea verò condensata, eas partes terræ, in quibus arida apparebat, nudas reliquerit: Vel certè terra subsidens, aquis aditum aperuerit in unum confluentibus, unde & maris denominationem accepit. Et hic modus velut commodissimus communiter præfertur.

III. Q. 3. *An terra tunc actu produxerit herbas & arbores; an verò in semine duntaxat?* Resp. ex communi SS. Patrum

trum & Doctorum sententia, actu fuisse producta hæc omnia; id enim ex claro Scripturæ textu colligitur, quidquid in contrarium S. Augustinus olim senserit.

IV. Q. 4. *An tunc etiam herbæ & plantæ noxiæ fuerint productæ?* Resp. affirmativè cum S. Augustino l. 5. gen. c. 3. & communi aliorum contra Basilium, eò quòd S. Scriptura apertè dicat omne virgultum agri fuisse productum; & hæ ipsæ herbæ tum hominibus, tum animantibus ad varios usus & commoda serviant.

V. Q. 5. *An terra tunc activè, an verè passivè duntaxat herbas illas produxerit?* Resp. Pererius, Valentia, Tanner & alij, passivè tantùm terram se tunc habuisse, eò quòd sine miraculo tam citò activè illas producere non potuisset.

ARTICVLVS VI.

De opere quartæ diei.

I. Q. 1. *Quid quarto die productum fuerit?* Resp. Solem & Lunam, ac stellas fuisse productas, uti Moyses c. 1. gen. indicavit, dum dixit: *Fecitque DEVS duo luminaria magna, luminare maius, ut præesset diei; Et luminare minus, ut præesset nocti, & stellas (tam errantes, quam fixas) & posuit eas in Firmamento cœli, ut lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras.*

II. Q. 2. *An hæc luminaria quoad substantiam fuerint ex materia elementari producta?* Resp. ita quidem Molinam, & nonnullos alios sentire: verùm S. Thomam & cum eo communius cæteros Theologos, & Interpretes docere, quòd ex materia cælesti producta, atque adeò primo die creata, hoc die accidentaliter duntaxat perfecta fuerit, quatenus scilicet lucem immobiliter sibi inditam, & motum uniformem acceperunt.

III. Q. 3. *Quare Luna dicatur luminare magnum, cum tamen plerequæ stellæ sint illa maiores?* Resp S. Thomas a. 1. ad 5. ideo vocari magnum, quia secundùm aspectum apparet hominibus major; aut quia, ut S. Chrysostomus ho. 6. in gen. notat, majorem præ cæteris stellis efficaciam habet.

IV. Q. 4. *A quo moveantur hæc sidera?* Resp. tum ipsa,

ipsa, quàm totos cælos ab Angelis moveri, uti cum S. Thoma, communiter docent Theologi, eò quòd à seipsis moveri non queant (alioqui enim post diem judicii quies ipsis violenta foret) atque adeò rectiùs ab Angelis moveri dicantur, utpote quos etiam in aliis casibus ad ministerium suum & hominum adhibere consuevit DEVS.

ARTICVLVS VII.

De opere quintæ diei.

I. Q. 1. *Quid quinto hoc die productum sit?* Resp. id sequentibus Sacri codicis verbis indicari: *Creavitque* DEVS *cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aqua in species suas & omne volatile secundum genus suum. Benedixitque eis dicens: Crescite, & multiplicamini & replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram. Et factum est mane & vespere dies quintus.*

II. Q. 2. *Quare productio avium & aquatilium aqua tribuatur, cùm tamen potius terra constare videantur?* R. S. Thomas q. 71. art. unic. ad 1. corpora avium, & pisc ium posse dupliciter considerari; uno modo secundùm se, & sic necesse est, quòd in eis magis terrestre alimentum dominetur, quia ad hoc ut fiat contemperato mixtionis in corpore animalis, necesse est, quod quantitativè in eo abundet elementum, quod est minùs activum, scilicet terra. Sed si considerentur, secundùm quod sunt nata moveri talibus moribus, sic habent affinitatem quandam cum corporibus, in quibus moventur, & sic eorum generatio hic describitur.

ARTICVLVS VIII.

De opere sextæ diei.

I. Q. 1. *Quid hoc die productum sit?* Resp. 1. producta esse omnia animantia terræ rationis expertia, quæ ex femine generantur, & virtutem generativam ad simile sibi generandum habent; non autem ea, quæ ex putri materia vel excrementis, vel ex coitu animalium diversæ speciei,

ciei, ut mulus & similia, generantur. Resp. 2. productum esse, & ex terra formatum ipsum Adamum, & postea ex costa lateri Adami exempta primam Mulierem Evam fuisse generatam.

II. Q. 2. *Quo sensu homo ad imaginem* DEI *factus dicatur?* Resp. S. Thomas q. 93. ar. 5. dupliciter eum factum ad imaginem DEI dici posse. 1. Vt vocula *ad* designet terminum factionis, atque adeò iste sit sensus: *Faciamus hominem, ut sit imago nostra.* 2. Vt vocula *ad* significet causam exemplarem ita ut sensus sit; faciamus hominem, sicut in natura nostra exemplar propositum habemus. Sed prior sensus communiter magis probatur. Est autem homo imago DEI propterea quia non tantùm secundùm genericam quandam rationem, sed etiam specificam, scilicet secundùm virtutem intelligendi & volendi habet similitudinem cum illo; & quia in eodem homine reperitur principium Verbi, Verbum seu Intellectio, & amor ex utroque procedens, & secundùm hoc DEI etiam ut Trini in Personis imago dici potest. Additur verò gen. 1. v. 26. faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut non quæcunque imperfecta, & malè expressa imago, sed valde exacta, atque adeò Exemplari suo simillima esse indicetur.

III. Q. 3. *Quænam fuerit conditio hominis in statu naturæ integræ?* Resp. 1. quoad intellectum fuisse perfectissima scientia præditum, ita ut omnes res naturales, quatenus ex primis principiis per se notis sciri possunt, vel ad alios gubernandos sciri debent, cognoverit. Sed & per fidem cognovisse DEVM ut Authorem rerum supernaturalium, ipsamque SS Trinitatem, & Incarnationem quoad substantiam, adeòque Mysterium conjunctionis Christi cum Ecclesia, ut cum S. Thomâ communiter docent Authores, & colligitur ex ipsa S. Scriptura Eccl. 17. dicente: *Cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus replevit illos. Creavit eis scientiam, Spiritus sensu implevit cor illorum, & multa bona ostendit eis: posuit oculum ipsorum super corda illorum, ostendere eis magnalia operum suorum.* Resp. 2. Quoad voluntatem fuisse conditum cum gratia justificante, & quidem originali, ita ut & ratio obediret DEO & rationi vires inferiores, & animæ corpus; quam ob causam Eccl. 7. dicitur;

DEVS

DEVS *fecit hominem rectum* Resp. 3. Quoad potestatem habuisse Dominum naturale in omnes bestias & animalia (ita ut nullum ei restitutum aut nociturum fuisset) in plantas quoque & alias res inferiores, ut sine impedimento potuisset eorum auxilio uti. Resp. 4. Quoad corpus verè impassibilem & immortalem futurum fuisse, non quidem ex natura sua, ut virtute intrinsecæ cujusdam qualitatis; sed propter protectionem DEI; & propter propriam industriam, qua cavere potuisset omnia ad corruptionem disponentia: & propter lignum vitæ, cujus esu humidum radicale semper restaurare potuisset.

IV. Q. 4. *Quænam tunc conditio prolis generandæ fuisset?* Resp. 1. omnes nascendos fuisse corpore sano & integro, licet necdum quoad usum & motum membrorum perfecto. 2. Etiam gratia originali præditos futuros fuisse, non tamen in eadem confirmatos, quia conveniens erat, ut proles non cum meliori conditione, quam parens nasceretur. 3. Nascituros fuisse non quidem cum pleno usu rationis, sed ea mentis & ingenij facilitate, qua absque difficultate sciétias didicissent. 4. Eodem modo, quo Parentes primi immortales & impassibiles extituros fuisse licet secundùm diversam dispositionem aeris, & situm stellarum aliqui majores, robustiores, ac pulchriores alijs quoad corpus: & ob diversam applicationem animi etiam in scientia, virtute, atque adeò etiam gratia ac gloria in æquales extituri fuissent.

V. Q. 5. *Quid de Paradiso, in quo tunc homines victuri fuissent, doceant Authores?* Resp. Sequentia communiùs doceri. 1. Paradisum hunc fuisse locum corporeum in aliqua parte convexæ ipsius terræ superficiei impositum, ubi S. Thomas q. 102. art. 1. post S. Augustinum docet. 2. Locum hunc saltem usque ad diluvium permansisse; cùm S. Scriptura Gen. 3. eum ab Angelo custoditum; & Eccl. 44. Enoch in eum traslatum fuisse dicat; ex quo probabilis ferè videtur S. Thomæ, & communius aliis SS. Patribus & Doctoribus, eum etiamnum hodie extare, saltem secundùm ea, quæ in ipso præcipua fuerant: ut erat varia omnis generis fructuum, arborumque amœnitas, aeris insignis temperies, arbor vitæ & similia, licet non desint aliqui, Recentiores, qui cum Pererio omnino tempore diluvij destructum putent. 3. Adamum in hoc Paradiso non

non

fuisse statim ab initio conditum, sed in illum post creationem primùm à DEO translatum, uti sat clarè Scriptura indicat, dum ait: *Tulit ergo Dominus DEVS hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur* (hoc est, excoleret, tum ob animi recreationem: tum ad comparandam experientiam de virtute naturæ) *& custodiret illum*, non adversus invasores injustos, qui tunc erant futuri, sed sibi, ne ipsum peccando amitteret, ut rectè S. Thomas interpretatur.

VI. Q. 6. *Quem fructum ex consideratione totius huius materiæ de operæ sex dierum haurire debeat Theologus?* Resp. triplicem præcipuè. Primus est, ut cum S. Davide Psal. 8. exclamemus: *Domine DEVS noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra! Quid est homo, quod memor es eius? aut Filius hominis, quoniam, visitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius*: ideòque, ut S. Basilius l. 1. Hexam. monet, debitam super omnibus Laudem Conditori impensiùs referamus. Secundus est, ut, quemadmodum idem sanctus hortatur, ex visibilium pulchritudine illum, qui nimis optimus est, contemplemur; & ex magnitudine corporum circumscriptorum metiamur illum infinitum & maximum, omnemque cogitationem cordis humani suæ virtutis amplitudine transgredientem, ideòque illud Salomonis monitum sap. 13. altè pectori impressum ob oculos semper habeamus; *Quorum si specie delectati Deos putaverunt, sciant, quantò his Dominator eorum speciosior est; speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis; à magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Tertius est, ut de hoc toto creationis beneficio illam cujusdam S. Patris sententiam applicemus, atque à Deo dici putemus: *Accipe beneficium, redde servitium, time supplicium*: ideòque ad rectitudinem primæ creationis, à qua per peccatum & inobedientiam primi Parentis cecidimus, per virtutem & plenam subjectionem erga Deum redire studeamus, atque non in terrestrem, sed cœlestem Paradisum voluptatis transferri olim mereamur.

PARS II.

DE FINE ULTIMO HOMINIS OBTINENDO VEL AMITTENDO.

POstquam S. Thomas in prima parte de Deo tum in se, tum in operibus suis cognoscendo egit; rectè de eodem nunc ut fruendo agit, ad hoc quippe Theologia potissimum ordinatur, ut non tantùm, quid sit Deus, doceat; sed etiam, quâ ratione ad ejus fruitionem, in qua felicitas & beatitudo hominis consistit, pervenire possimus, ostendat. Quia verò, teste S. Augustino in epist. ad Maced. 1. *ad Deum qui ubique præsens est, non pedibus licet ire, sed moribus; mores autem nostri non ex eo, quod quisque novit, sed ex eo, quòd diligit, diiudicari solent; nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali sint amores;* hinc meritò post explicatam Naturam Beatitudinis de actibus moralibus in genere, & postea de iisdem in specie tractatur. Vnde hæc Pars secunda tria præcipuè capita continebit, quorum primum de ipsa Beatitudine. Secundum de actu morali in genere. Tertium de actu morali in specie tractabit.

CAPVT I.

De Beatitudine velut ultimo fine Hominis.

IN hoc capite tria præcipuè explicare oportet. 1. Finem ultimum hominis in genere. 2. Eundem in specie. 3. Ea, quæ sunt annexa illi.

ARTICVLVS I.

De Vltimo fine hominis in genere spectato.

I. De hoc plures non inutiles quæstiones premittit S. Thomas hic q. 1. quæ proinde non sunt omnino ignorandæ Theologo. Itaque.

II. Q.

II. Q. 1. *An homini conveniat agere propter finem?* Resp. affirmativè; cùm enim homini propriè conveniat per rationem & voluntatem agere, hoc ipso omnes illius actiones propter aliquem finem elici necesse est; alioqui enim non magis hoc, quàm illud producere. Quia verò duplici modo ad finem aliquid moveri potest; à se, vel ab alio; sola autem creatura rationalis habet dominium suorum actuum, atque adeò seipsum per liberum arbitrium movere potest ad finem, hinc soli quoque creaturæ rationali proprium est agere propter finem, nam irrationales creaturæ aguntur potiùs, quàm agunt ob finem.

III. Q. 2. *An detur finis aliquis ultimus respectu hominis?* Resp. iterum affirmativè cùm S. Thoma a. 4. hoc ipso enim quod processus in infinitum admitti non possit in finibus, ad ultimum aliquem pervenire necesse est; alioqui enim agens nunquam quiescere posset.

IV. Q. 3. *An plures esse possint ultimi fines respectu eiusdem agentis?* Resp. S. Thomas a. 5. negative; cùm enim quodlibet agens ultimum finem appetat, ut bonum perfectum, & completivum sui ipsius, rectè concluditur, tam parùm plures esse posse ultimos fines respectu ejusdem agentis, quàm parùm plures ejusdem rei ultimatæ perfectiones esse possunt.

V. Q. 4. *An homo omnia agat propter ultimum finem?* Resp. affirmativè cum S. Thoma a. 6. Quia ultimus finis habet se in movendo appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens; ergo sicut nihil movetur, nisi à primo movente, ita nec homo agere potest, nisi à fine ultimo ad agendum moveatur.

VI. Q. 5. *An idem sit finis ultimus omnium hominum?* Resp. S. Thomas finem ultimum dupliciter spectari posse, secundùm se videlicet, & secundum id, in quo ratio finis ultimi constituitur; hoc posito respondet, si finis priori modo spectetur, omnes homines unum finem ultimum appetere, cum omnes appetant suam perfectionem adimpleri, in qua adimpletione consistit vltimi finis ratio. Si verò secundo modo spectetur, non omnes eundem ultimum finem habere, cùm alii in voluptatibus, alii in divitiis, alii in honoribus finem suum ultimum constituant.

VII. Q. 6. *In quo consistat ultimus finis hominis?*

Resp. eum S. Augustino 19. de Civit. c. 1. cum in beatitudine seu summi boni possessione consistere. cùm enim agens rationale appetitum habeat ad universale bonum, sicut intellectus habet appetitum ad universale verum; hoc ipso tamdiu satiari non potest, quousque omnis boni possionem sortitum sit.

VIII. Q. 7. *Quomodo Peccatores dicantur finem suum ultimum in creaturis constituere?* Resp. Quatenus ita bono creato per amorem inhærent, ut malint amore & fruitione Dei carere, quàm possessione boni creati, hac enim ratione per summam inordinationem & injuriam bonum creatum præferunt Deo.

ARTICVLVS II.

De Fine ultimo hominis in specie, seu de beatitudine.

I. Q. 1. *In quo consistat beatitudo hominis in genere?* Resp. 1. Objectivam beatitudinem non in ullo bono creato (puta nec in voluptate animi, ut Epicurus censebat: nec in voluptate corporis, ut Aristippus volebat: nec in bonis fortunæ, honoribus, fama, gloria, potestate, uti alii existimant) sed in solo Deo consistere; uti cum S. Thoma hic q. 2. ab art. 1. usque ad 8. communiter docent Theologi; & meritò, quia ad beatitudinem requiritur, ut nullum secum malum, aut defectum compatiatur, sed plenissimè satiet appetitum; hoc autem nulli bono creato, sed soli Deo convenit. Hinc eleganter S. Bernardus in Serm. super *ecce nos reliq.* notavit dicens: *Ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis cæteris rebus occupari potest, repleri non potest, capacem enim Dei quidquid Deo minus est, non implebit.* Resp. 2. Beatitudinem formalem in aliqua operatione immanente, partis intellectivæ consistere: uti iterum cum S. Thoma omnes ferè Theologi docent; quia beatitudo est ultima perfectio hominis attingens & possidens Deum velut summum bonum; hoc autem non potest haberi nisi per operationem immanentem hominis ergo &c.

II.

II. Q. 2. *In quo beatitudo in specie consistat?* Resp. juxta Scotum & Scotistas eam in solo actu voluntatis, videlicet caritate Dei: juxta S. Thomam & Thomistas in sola visione intuitiva Dei; juxta alios denique in utroque consistere; licet omnes in hoc conveniant, quòd uterque actus sive præsuppositivè, sive consecutivè requiratur.

III. Q. 3 *Quodnam sit obiectum beatitudinis huius formalis seu visionis beatificæ?* Resp. 1. objectum primarium hujus visionis esse non tantùm essentiam divinam & attributa absoluta illius, (ut aliqui existimant) sed etiam Personalitates & Attributa Dei relativa; eò quòd hæc omnia realiter idem sint, atque adeò Deus perfectè cognitus dici non posset, nisi omnia hæc cognosceretur in illo. Resp. 2. Objectum secundarium esse in primis creaturas eminenter in Deo contentas, de quibus vident. Beati omnia Mysteria Fidei, quæ in hac vita crediderunt: deinde omnes species rerum creatarum existentium: omnia quoque peculiari modo ad eorum statum pertinentia; totam seriem suæ prædestinationis; & denique probabiliter aliquas creaturas possibiles, plures vel pauciores pro beatitudinis diversitate.

IV. Q. 4. *Quæ principia necessaria sint ad hanc visionem producendam?* Resp. esse duo præcipuè, scilicet Intellectum, & lumen gloriæ, quod per modum comprincipii elevat intellectum ad talem visionem producendam. Vnde non requiritur species impressa Dei, utpote quę juxta non paucos omnino implicat; juxta communem verò sententiam saltem de facto non datur.

V. Q. 5. *An visio hæc in omnibus Beatis æqualis sit?* Resp. negativè, cùm enim merita Beatorum non sint æqualia, hoc ipso etiam præmium ipsis correspondens æquale esse non debet. Causa autem proximè determinans ad has potiùs creaturas, quàm illas videndas est ipsè Deus per concursum suum, suppositio tamen lumine gloriæ sic vel sic intenso, & exigentia status Beatorum.

VI. Q. 6. *An visio hæc connaturaliter alicui creaturæ convenire queat?* Resp. negativè ex communi SS. Patrum & Doctorum sententia; & colligitur ex ipia S. Scriptura, quæ passim visionem hanc, gratiam, & donum Dei vocat Vnde plerique etiam Theologi contra Vasquez & Arubal do-

 cent,

cent; nec demonstrari quidem posse possibilitatem visionis beatificæ.

VII. Q. 7. *An Deus saltem per absolutam potentiam oculo corporeo intuitivè videri possit?* Resp. negativè cum D. Thoma & communi Theologorum sententia; cùm hoc ipso, quòd oculus sit potentia sensitiva & organica, etiam objectum sensibile requirat; hinc passim Deus in S. Scriptura invisibilis vocatur.

VIII. Q. 8. *An Beati Deum comprehensivè videant?* Resp. negative, sive comprehensio sumatur pro cognitione, quæ in perfectione adæquet objectum; sive pro cognitione ita exhauriente cognoscibilitatem objecti, ut nihil lateat cognoscentem; imò nec possibilem esse talem comprehensionem plerique Authores docent, eò quòd potentia finita non possit exhaurire infinitam cognoscibilitatem.

ARTICVLVS III.

De Accidentibus finis ultimi seu beatitudinis.

I. Q. 1. *Quænam accidentia sint annexa beatitudini?* Resp. quatuor præcipuè numerari à Theologis, videlicet Impeccabilitatem, Perpetuitatem, Dotes, Aureolas, quæ proinde singula paulò clariùs sunt explicanda.

II. Q. 2. *Quid de impeccabilitate doceant Theologi?* Resp sequentia plerumque doceri: 1. Ad Beatitudinem omnino requiri eam voluntatis rectitudinem, qua mens reipsa sit expers omnis peccati: cùm teste S. Scriptura Apoc. 21. nihil coinquinatum intrare possit regnum cœlorum. & per se ad omnem finis acquisitionem recta mentis habitudo, & tendentia ad finem requiratur. Et præterea ipsa etiam visio beatifica concomitanter saltem, si non omnino formaliter involvat perfectissimum amorem Dei & delectationem de eodem, cum quibus stare non potest ullum peccatum 2. Ad eandem beatitudinem etiam requiri omnimodam impeccabilitatem, ita quidem, ut voluntas non solùm de facto non peccet, sed nec possit peccare, uti contra Origenem omnes Theologi docent; teste Tannero to. 2. d. 1. q. 3. du. 3. n. 21. cum,

cum passim S. Scriptura doceat beatitudinem esse hæreditatem incontaminatam, incorruptibilem, carentem omni luctu &c. quæ omnia dici non possent, si Beati adhuc peccare, atque adeò timorem amittendæ beatitudinis habere possent. 3. Hanc impeccabilitatem non tantùm ex Dei protectione extrinseca; ut Scotus & nonnulli antiqui Theologi docebant; sed ex ipsa beatitudinis natura, seu amore DEI appretiativè summo omne peccatum excludente oriri; quod usque adeò verum aliqui cum Vasquezio putant, vt visionem formaliter esse sanctitatem, adeòque nec per absolutâ Dei potentiam cum peccato stare posse arbitrentur, licet hoc postremum multi Recentiores Theologi negent cum tannero n 25.

III. Q. 3. *Quid de perpetuitate visionis sentiendum sit?* Resp. sequentia communiter doceri à Theologis. 1. Beatitudinem cœlitum reipsa futuram perpetuam; uti cum S. Scriptura passim; tum vnanimiter SS. Patres & Doctores docent contra Originem, qui nec beatitudinem, nec damnationem perpetuam fore existimavit. 2. Visionem Dei (saltem si cum duratione identificata non sit) ex intrinseca sua natura incorruptibilem & perpetuam esse, uti contra Scotum communiter docent Theologi, apud & cum Tannero du. 7. q. 3. n. 71. licet hi Authores non vegent, eam per absolutam DEI potentiam ex subtractione influxus perire posse. 3. Perpetuitatem hanc necessariò quidem requiri ad statum beatitudinis (alioqui enim perfectè satiare appetitum beatorum non posset) sed tamen non esse partem essentialem, beatitudinis, cùm non requiratur ad visionem præcisè quà visio est (ob quam causam Tannerus cum Scoto & aliis absolutè negat perpetuitatem esse de essentia beatitudinis) sed quatenus beatitudo est, atque adeò sit tantùm essentialis conditio, sine qua visio appetitum satiare non posset.

IV. Q. 4. *Quid sit Dos Beatorum?* Resp. per eam nihil aliud intelligi, quàm donum aliquod speciale, quod à Deo Beatis per Beatitudinis consecutionem Deo quodammodo desponsatis, & in domum cœlestis Patriæ introductis offertur, atque adeò à S Thoma 3. p q. 95. a. 1. *definitur perpetuus animæ vel corporis ornatum, vitæ sufficiens, in æterna beatitudine fruitur perfectam.*

V. Q. V. *Quinam sint animæ dotes?* Resp. tres à S.

Thoma & aliis Theologis plerumque numerari scilicet tribus virtutibus Theologicis respondentes, sed in earum explicatione non convenire Authores, cùm aliqui cum Vasq. & Valentia eas in actu duntaxat respectum ad virtutes Theologicas dicente consistere, atque adeò ratione duntaxat distinctas esse à beatitudine velint; Tannerus verò q. 3. du. 1. n. 5. cum S. Thoma & aliis in habitu consistere contendant, quarum prima scilicet *visio* eadem sit cum lumine gloriæ, atque adeò Fidei respondeat. Secunda *Comprehensio* seu *Tentio* eadem sit cum amore concupiscentiæ erga Deum, quo mens securè fruitur, eùmque per actum voluntatis & delectationis quasi præsentem tenet; & propterea spei respondet. Tertia *delectatio* seu *fruitio*, eadem sit cum habitu charitatis non quidem de novo producto, sed tamen multipliciter per visionem beatificam perfecto atque adaucto.

VI. Q. 6. *Quænam sint corporis dotes?* Resp. quatuor plerumque numerari, videlicet 1. *Impassibilitatem*; nam ut S. Paulus 1. Cor. 15 ait, oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. 2. *Claritatem*, nam Christo teste Matt. 13. fulgebunt Iusti sicut sol 3. *Agilitatem* juxta illud sap. 3. Tanquam scintillæ in arundineto discurrent. 4. *Subtilitatem*, nam, uti S. Paulus l. c. ait, seminatur corpus animale, surget spirituale, hoc est, vim penetrandi omnia corpora perinde ac substantiæ Spirituales habens; quorum numerus à Maldonato ex eo probatur, quòd corpus glorioſum debeat animæ perfectè subjectum esse tam *quoad esse* (quod per impassibilitatem, quæ omnem corruptionem excludit: & per claritatem, quæ opacitatem corporis eliminat, obtinetur) quàm *quoad operari*, quod agilitas & subtilitas, quarum beneficio Beati celerrime ad quemvis lorum moveri possunt, præstant.

VII. Q. 7. *In quo Impassibilitatis dos consistat?* Resp. varias esse in ea explicanda opiniones; nam alij ad providentiam DEI confugiunt; alij ad perfectum Dominium animæ in corpus; alij ad elementa, quæ qualitatibus activis caritura putant, alij ad conservationem dispositionis naturalis, alij denique ad qualitatem supernaturalem corpori superadditam confugiunt, quæ connaturaliter omnem qualitatem læsivam prohibent.

VIII. Q.

VIII. Q. 8. *In quo dos claritatis consistat?* Resp. eam juxta communem Theologorum in luce quadam speciali (quam aliqui cum Suarez supernaturalem, alij cum S. Thoma naturalem duntaxat esse volunt) corpori glorioso indita consistere, vi cujus corpora tota pellucida reddantur, ita ut ipsæ etiam venæ videri queant.

IX. Q. 9. *In quo dos agilitatis consistat?* Resp. juxta S. Thomam & communiorem sententiam, in qualitate motrice superaddita consistere; alios verò iterum ad extrinsecam DEI providentiam. vel ablationem gravitatis, vel corpus cæleste corporibus beatis admixtum confugere.

X. Q. 10. *In quo dos subtilitatis consistat?* Resp. etiam hic non convenire Authores, nam alij dicunt eam in parato concursu DEI ad corpora penetranda; alij in perfecto Dominio animæ in corpus; alij in impenetrabilitatis ablatione; alij in elevatione per potentiam obedientialem; alij in supernaturali qualitate superaddita consistere volunt.

XI. Q. 11. *An præter has dotes non aliæ insuper requirantur, per quas sensus aut potentiæ externæ perficiantur, ut objecta melius penetrent; vel ad nutum animæ obediant?* Resp. non deesse quidem, qui putent etiam sensibus habitus quosdam eum in finem infundi; alios tamen cum Suarez nullum horum habituum necessitatem agnoscere, eò quòd & corpus perfectissimè subjectum, sit animæ, & optimè dispositum, spirituque subtilissimos & indeficientes habeat, species verò ab objecto sufficienter accipiat.

XII. Q. 12. *Quid sit aureola Beatorum?* Resp. esse gaudium quoddam accidentale ob excellentem Victoriam adversus animæ hostes reportatam collatum; unde ad distinctionem præmii & gaudij essentialis, quod corona aurea vocari solet, aureola, seu, ut alij volunt, laureola appellatur. Quarum tres à Doctoribus numerantur, scilicet. 1. Aureola Martyrum, quæ omnibus illis confertur ex mente S. Thomæ & aliorum, qui mortem pro quacumque virtute supernaturali defendenda obierunt. 2. Aureola virginum, quæ ijs præcipuè confertur, qui ex proposito virginitatem usque ad vitæ finem servarunt, ita ut nulla pollutione corporis mortaliter peccaminosa (nam veniale peccatum non obstare putat Tannerus n. 28. q. 4. du. 3. cum S. Thoma)

castita-

castitatem violarint. 3. Aureola Doctorum, quæ ijs tribuitur, qui licitè & bona intentione alios ad Iustitiam Christianam erudiunt. Quale verò harum omnium Aureolarum sit gaudium, incertum est; hinc aliqui in gestatione certorum sertorum aut palmatum; alij cum S. Thoma in gaudio de victoria ab hostibus reportata, & honore inde consecuto consistere eam putant; alij qualitates quasdam spiritualium harum qualitatum repræsentivas ipsis superadditum iri arbitrantur, v. g. Martyribus singularem vivacitatem & robur membrorum; virginibus suavissimam corporis delectationem; Doctoribus clariorem rerum divinarum notitiam à visione beatifica distinctam.

XIII. Q. 13. *An ad beatitudinem hactenus descriptam etiam usus & delectatio sensuum; item externa bona & Societas Amicorum pertineat?* Resp. S. Thomas & cum eo communiter Doctores, hæc omnia non quidem ad beatitudinem essentialem pertinere (cùm hæc in sola visione fruitiva consistat, & ista sine illis haberi queat) requiri tamen ad accidentalem, eò quòd anima habeat statum essendi perfectiorem, magisque naturæ suæ consentaneum, cùm est corpori conjuncta, atque adeò ad accidentalem perfectionem felicitatis pertineat hæc conjunctio. Quod idem etiam de Loco & Societate cum proportione dicendum est, cùm ipsa quotidiana experientia doceat, hæc non modicè appeti ab ijs, qui felices esse cupiunt. Vnde S. Thomas & cum eo multi Doctores concedunt, singulos sensus speciali quadam delectatione fruituros, ut totus homo beatus dici possit. Quales autem hæ delectationes futuræ sint S. Laurentius Iustinianus lib. de disc. Monast. c. 23. sequentibus verbis indicat: *Caro spiritualis effecta per omnes sensus suos multimodis enuberabit deliciis. Delectabitur oculus amabili aspectu Redemptoris, cùm videbit Regem in decore suo ornatum, & diademate redimitum quo coronavit eum Mater sua. Melodica cantica Civium Superiorum non mediocriter mulcebunt auditum. Flagrans quoque suavitas cœlestium odoramentorum mira liquefactione resperget odoratum. Indicibilis etiam dulcedo omnium delectationum mellisflua quadam & iucunda suavitate oris saginabit palatum. Ipse demum tactus sibi congruis abundabit deliciis, quas experti narrant. Hæc enim non est,*

est, ut in illo cœlesti gloria quicquam vacet à laude DEI, quin potiùs iustum, ut cunctu corporis membra suum proprio modo efferant Conditorem, quatenus, sicut ab ipso sumpserunt principium, ita & illum deducant suæ beatitudinis finem, ut sit omnia in omnibus.

XIV. Q. 14. *An gaudium Beatorum omnem tristitiam excludat?* Resp. affirmativè ex communi doctrina; eò quòd voluptas vehemens, teste Aristotele 7. Eth. c. ult. omnem dolorem excludat, atque adeò hoc multò magis de summo gaudio Beatorum dicendum sit: unde Apoc. 21. dicitur: *Et absterget DEVS omnem lacrimam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Quòd autem Christus cum visione beatifica tristitiam habuerit, miraculo adscribendum est.

XV. Q. 15. *Quis fructus ex hac materia de beatitudine hauriendus sit?* Resp. triplicem potissimùm referendum. Primus est, ut magnum quisque concipiat desiderium hujus felicitatis, atque adeò exclamet cum S. Propheta Psal. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, Cor meum & caro mea exultaverunt in DEVM vivum.* Secundo est, ut consideratione tantæ felicitatis se ad contemptum rerum terrenarum, aliaque media ad ipsam obtinendam conducentia adhibenda excitet, ideoque salubertimum S. Hieronymi consilium Eustochio ep. 22. datum sibi applicet: *Quotiescunque te vana Sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo videris aliquid glorioſum, ad paradisum mente transgredere: esse incipe, quod futura es, & tunc poteris dicere: Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent eam.* Tertius est, ut ejusdem felicitatis recordatione & spe etiam in adversis se soletur, uti iterum S. Hieronymus Demetriadi subdit dicens: *Respice, quod promissum est: omne opus leve solet fieri, quando ejus pretium cogitatur: & spes præmij* solatium est laboris. Dicat ergo in omnibus adversis cum S. Paulo ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Momentanum, quod cruciat; æternum, quod delectat.

CAPVT

CAPVT II.

De mediis ad finem ultimum obtinendum necessariis in genere.

QVænam sint hæc media, breviter simul & clarè S. David Psal. 33. indicavit, dum dixit: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* (qui per beatitudinem maximè obtinentur) *Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem* (quæ in possessione ultimi finis consistit) *& persequere eam*: Vnde meritò post beatitudinem explicatam S. Thomas & cum eo Theologi de vitijs & virtutibus tum in genere. (videlicet quatenus sunt actus moralis) tum in specie spectatis agunt, quæ tamen quia magna ex parte etiam Theologiæ morali communia sunt, hoc loco non nisi breviter indicabuntur.

ARTICVLVS I.

De Actu morali in genere.

I. Q. 1. *Quid sit actus moralis?* Resp. Est actus voluntarius cum indifferente cognitione boni & mali elicitus. Seu brevius. Est libera electio honesti vel inhonesti objecti. Vnde ejusmodi actus propriè *humanus* dicitur, eò quòd ut S. Thomas q. 1. a. 1. ait, illæ actiones solæ propriè humanæ dicendæ sint, quæ homini conveniunt, quatenus homo, id est, suarum actionum per rationem & voluntatem seu liberum arbitrium Dominus est; reliquæ ergo actiones sine tali libertate ab homine procedentes potiùs *actione hominis* dicendæ sunt. Ex quo colligitur quænam sint genera remotiora actus moralis, videlicet remotissimum esse, quòd sit actus *vitalis*, minùs remotum, quòd sit *Spontaneus*, id est à principio intrinseco prævia cognitione procedens; proximum, quòd sit *voluntarius*, id est, non à quocunque principio, sed tali, quod cum cognitione perfecta finis operetur, procedens, quale principium est sola voluntas seu appetitus rationalis. Porro divisiones voluntarii varias, & oppositum

tum illi involuntarium, coactum, & violentum fusiùs explicant Theologi tum Scholastici, quàm morales, apud quos videri possunt.

II. Q. 2. *An de facto homo habeat potentiam ad eiusmodi actum morales eliciendos?* Resp. affirmativè ex communi omnium Theologorum, quia Scriptura passim dicit, hominem relictum esse in manu consilij sui ante ipsum positum esse bonum & malum, & quod pacuerit illi datum iri, item laudandos esse viros glorioso, & eos, qui potuerunt transgredi, & non sunt transgressi; hæc autem omnia verificari non possent sine actu morali, cùm laudari vel vituperari nihil sit aliud, quàm imputari alicui bonitatem vel malitiam sui actus; hæc autem imputatio non fiat, nisi quando quis habet liberum dominium sui actus.

III. Q. 3. *Vnde desumatur moralitas actus moralis?* Resp. immediatè eam desumi ex conformitate vel difformitate cum regula proxima, id est, conscientia, quæ est dictamen rationis practicum, quo judicamus antecedenter ad voluntatis electionem obiectum esse honestum vel inhonestum. Mediatè verò & remotè desumi ex conformitate vel difformitate cum regula remota seu moralitate objectiva, quæ est voluntas Dei aut etiam ipsa Natura probans vel improbans electionem objecti. Porro quia interdum moralitas ex ipsis etiam circomstantiis desumitur, notandum est, aliquas circumstantias ex parte principii se habere, (ut sunt dignitas substantialis seu gratia sanctificans, vel accidentalis, v. g. dignitas regia) alias ex parte actus, quales sunt libertas, duratio, intensio) alias ex parte objecti; inter quas hoc est discrimen, quòd circumstantiæ ex parte obiecti se habentes non refundant suam moralitatem in actum, nisi directè, formaliter expresè cognoscantur & amentur, (quod ob similitudinem rationis etiam de dignitate accidentali asseritur (reliquæ verò circumstantiæ etiam sine sui cognitione moralitatem refundant; cujus diversitatis ratio hæc redditur à Theologis, quòd illæ, quæ ex parte agentis vel actus se habent, conjungantur per identitatem vel vnionem physicam cum actu; posteriores verò hoc ipso, quòd terminent actum, debeant per cognitionem velut unionem intentionalem conjungi cum illo. Imò ad contrahendam ex objecto

jecto & circumstantiis bonitatem, non sufficit objectum velle materialiter, sed requiritur, vt formaliter appetatur propter bonitatem, licet ad malitiam contrahendam sufficiat nuda advertentia mali; cujus diuersitatis ratio est, quia, cùm tota bonitas consistat in conformitate cum beneplacito Dei vel approbatione Naturæ, non potest dici laudabiliter agere, qui non appetit hanc conformitatem. E contrario verò, qui scit objectum malum displicere Deo & Naturæ, nihilominus illud eligit, hoc ipso censetur displicentiam talem contemnere, quod vtique est rationi contrarium, & vituperabile.

IV. Q. 4. *An moralitas actus per metum, concupiscentiam, & ignorantiam tollatur?* Resp. 1. Per metum sæpe quidem minui moralitatem (quando scilicet actus eliciendus est voluntati operantis adversus) non tamen omnino tolli; eò quòd, vt S. Thomas discurrit q. 6. a. 6. actiones, cùm in particulari existunt, tales absolutè sint judicandæ, quales sunt à parte rei omnibus circumstantiis consideratis; atque adeò actiones quoque ex metu factæ, cùm sint à parte rei voluntariæ, & secundùm rationem duntaxat repugnantes voluntati, quatenus scilicet secundùm se spectantur, meritò secundùm quid quoque involuntariæ, absolutè autem voluntariæ dicuntur. Resp. 2. Per concupiscentiam minui quidem moralitatem (quia minuitur radix libertatis seu advertentia rationis, & quia facit, vt appetitus ab objecto fortiùs trahatur) non tamen *per se* involuntarium etiam secundùm quid causari, cùm nunquam per se objectum concupitum repugnet voluntati. Dixi *per se*: quia per accidens Tann. d. 2. q. 1. du. 7. putat involuntarium secundùm quid causari à concupiscentia posse, si videlicet quid arduum ac cum manifesto vitæ periculo conjunctum appetatur. Resp. 3. Ignorantiam antecedentem quidem (id est, quæ simpliciter impediri non potuit) tollere (saltem plerumque) moralitatem, non tamen consequentem Ignorantiam, quia hoc ipso, quòd impediri talis ignorantia consequens potuerit, & debuerit, censetur operanti effectus voluntarius fuisse, licet secundùm quid involuntarium causet; atque adeò minuat mortalitatem; concomitantem verò ignorantiam neque minuere, neque augere moralitatem, cùm perinde se habeat, ac si non adesset.

V. Q. 5.

V. Q. 5. *An moralitas sit essentialis actui morali?* R. hanc quæstionem à decisione controversiæ Philosophicæ de libertate actus dependere; qui enim hanc actui essentialem & intrinsecam esse contendunt, idem etiam de moralitate dicent; secus discurrent, qui in denominatione extrinseca libertatem constituunt.

VI. Q. 6. *In quo subiecto reperiatur actus moralis?* Resp. in omni & solo agente rationali libero; hoc enim colligitur ex ipsa illius definitione. Vnde quia ejusmodi libertas, à qua oritur moralitas, vel juxta Tannerum q. 1. dub. 2. n. 36. & alios omnino identificatur, etiam in Deo reperitur, hoc ipso etiam moralis actus eidem concedendus erit.

VII. Q. 7. *An actus externus moralitatem augeat?* Resp. non deesse quidem aliquos, qui affirment: communiorem tamen esse sententiam, quæ neget, eò quòd talis actus externus non videatur libertatem augere, atque adeò nec ipsam moralitatem augere possit.

VIII. Q. 8. *Quotuplex sit actus moralis?* Resp. variè ad hanc quæstionem responderi ab Authoribus; aliqui enim solummodo duplicem esse contendunt, bonum scilicet, & malum, sive de specie, sive de individuo actus sit sermo; alii tamen communiùs saltem quoad speciem dari etiam actum indifferentem, atque adeò actum moralem triplicem esse contendunt; eò quòd de facto dentur aliqua, quæ nec placent Deo positivè, nec displicent.

ARTICVLVS II.

De actu morali bono seu virtuoso.

I. Quatuor plerumque sunt rapita, quæ de actu morali bono seu virtuoso tractantur, videlicet natura, subjectum, diversitas, proprietates, de quibus proinde & hic totidem quæstiones proponentur, adeòque.

II. Q. 1. *Quid sit actus moralis bonus seu Virtus?* R. esse actum divinæ voluntati conformem; hanc quippe esse regulam remotam moralitatis respectu actuum moralium superiore articulo indicatum est. Ex qua definitione facilè colligitur 1. virtutem, prout habitum seu principium actûs

mora-

moralis significat, rectè à Theologis cum Granado sic definiri: Est habitus perficiens substantiam intelligentem, & ad opus bonum determinatè inclinans. 2. Tria ad virtuosum actum requiri, scilicet objectum honestum, advertentiam rationis, & intentionem sive actualem, sive virtualem, quà voluntas feratur in honestatem cuique virtuti propriam: uti, teste Tannero d. 3. q. 2. du. 3. n. 27. communiter requirunt Authores, nam vt S. Thomas hìc q. 19. a. 7. ad. 3. ait, hoc est discrimen inter actum bonum & malum, quòd malum contingat ex singularibus defectibus, bonum autem ex tota & integra causa. Vnde sive voluntas sit ejus, quod est secundùm se malum, & sub ratione boni appetitiva; sive sit elective boni sub ratione mali, semper erit voluntas mala; sed ad hoc, quòd sit voluntas bona riquiritur, quòd sit bona sub ratione boni, id est, quòd velit bonum, & propter bonum; quam doctrinam Tannerus n. 28. adeò communem esse ait, ut nullum Theologorum aut Philosophorum existimet, qui oppositum docuerit. 3. Colligitur, habitum moralem bonum non tantùm per se & ex natura sua ad bonos actus inclinare (vti contra Scotum sentit communis sententia cum D. Thoma) sed etiam per accidens tantùm non posse concurrere ad actum malum, uti iterum Theologi cum S. Thoma sentiunt dicente, virtutem esse talem qualitatem, quà rectè vivitur, & quà nullus malè vtitur. 4. Colligitur, virtutes à donis, & fructibus Spiritus Sancti atque octo beatitudinibus per se & realiter non distingui, sed in hoc tantùm differre, quòd dona Spiritus Sancti respectum dicant ad Spiritum Sanctum, qui ejusmodi actus sic inspirat, ut nulla ordinaria potentia tales actus producere posset, ut in heroicis factis & exemplis Martyrum & aliorum Sanctorum patet. Beatitudines verò, quarum Christus octo recensuit, sint actus donorum aut virtutum infusarum, & ideo beatitudines uocentur, quia præcipuè conferunt beatitudinem hujus & alterius uitæ, ac specialia præmia illis promissa, in quibus uera beatitudo consistit. Per fructus denique Spiritus Sancti intelligantur quicunque uirtutum infusarum actus, quatenus sunt ultimi quidam virtutum effectus ac gustui spirituali ualde suaves, & instar fructuum per se delectabiles, à uirtute uelut arbore, & à gratia uelut semine procedentes,

quales

quales S. Paulus ad Galat. 5. duodecim numerat; unde patet omnem beatitudinem esse etiam fructum Spiritus Sancti, non tamen viciſſim, ut notavit S. Thomas q. 70. a. 2.

III. Q. 2. *Quomodo dividatur actus moralis bonus seu virtuosus?* Resp. cùm omnis actus suum principium, & habitum virtuosum respiciat, eodem ferè modo illum dividi posse, sicut ipsi habitus dividuntur. Tripliciter autem plerumque dividitur virtus, prout habitum significat. 1. *Ratione subiecti*: secundùm quam considerationem dividitur in intellectualem & appetitivam seu moralem. 2. *Ratione causæ efficientis*: sub quo respectu in virtutes infusas & acquisitas dividitur; quales quidem virtutes per se infusas verè dari, easque specie distinctas esse ab acquisitis, & cum gratia ac caritate inseparabiliter conjunctas, communissimè docent Theologi cum S. Thoma contra Scotum, & nonnullos antiquos Theologos negantes, eas per se infusas esse. 3. *Ratione obiecti*: sub qua consideratione in Theologicas, quæ immediatè circa Deum versantur; & Morales, quæ circa objectum creatum occupantur; dividitur. Quæ quidem Morales virtutes à S. Thoma q. 71. a. 5. secundùm varium statum in *exemplares* (quæ nihil aliud sunt, quàm virtutes morales, prout in Deo tanquam exemplari seu Idea reperiuntur) *Politicas* (sic dictas, quia in ordine ad politiam seu societatem humanam conservandum ordinantur) *Purgatorias* (quatenus scilicet non communi & imperfecto modo, sed sublimiori & à nævis libero exercentur) *Purgati animi* (sic vocatas, quia in statu perfecto & divino eliciuntur) dividi solent.

IV. Q. 3. *In quo subiecto actus morales boni reperiantur?* Resp. 1. Proprium & ab omnibus meritò admissum subjectum actus moralis seu virtutis esse voluntatem, quia hæc est potentia verè libera, & boni prosecutiva. Resp. 2. Intellectum per se & sine ordine ad voluntatem non esse simpliciter subjectum actus moralis, quia ut sic liber non est; solummodo ergo subjectus illius dici potest, quatenus vel movet voluntatem ad bonum usum, vel movetur ab illa; hinc virtutes intellectuales Prudentiæ & Fidei inter virtutes morales & Theologicas recensentur, quia Fides movetur à voluntate per piam affectionem ad credendum, cùm; ut

S. Thomas loquitur, nullus credat, nisi volens; Prudentia supponat bonam voluntatis affectionem erga fines virtutum, ipsamque voluntatem dirigat, ac suo modo determinet ad rectè operandum. Ita Tannerus q. 3. dub. 1. nu. 7. ex communi & certa, ut ipse ait, Theologorum sententia, licet non desint pauci, qui in sola voluntate virtutem subjectari, in aliis autem potentiis solùm per denominationem extrinsecam reperiri eandem asserant. Resp. 3. Licet appetitus sensitivus hominis ipsi cum bestiis communis sit, quatenus tamen uterque appetitus tam concupiscibilis scilicet, quàm irasibilis, rationi subordinatur, & ab ea dirigitur, juxta S. Thomam & communiorem Theologorum sententiam verè etiam subjectum virtutis dici posse, cùm ut sic hæc potentia verè dici possit habere proprios motus ad bonum & malum, & propterea verè quoque bonum faciat, habentem, & opus ejus bonum reddat; licet non pauci etiam eum Scotistis sentiant, habitus istos, qui in appetitu sensitivo generantur, non esse veras virtutes, sed adumbrationes illius duntaxat, eò quòd non ferantur formaliter in ipsam honestatem, & sæpe cum malitia morali stare possint, cùm idem v. g. habitus abstinentiæ generetur, sive ex vana gloria, sive ex virtute quis abstineat; unde meritò aliquis hanc quæstionem de nomine vocant, cùm in re utrique Authores conveniant.

V. Q. 4. *Quænam sint proprietates actus moralis seu virtutis?* Resp. sequentes potissimùm à S. Thoma q. 64. & seq. numerari, non strictè sumendo hoc nomen, sed latè duntaxat quatenus scilicet sunt conditiones ad virtutem requisitæ. Prima est, quòd in medio consistere debeat; unde Aristoteles 2. Eth. cap. 6. eam per hoc medium definivit dicens: Virtus est habitus electivus in medio consistens, prout sapiens determinaverit: cujus rationem S. Thomas ex ipsa virtutis natura assignat; cùm enim hæc in conformitate cum regula sua consistat, hoc ipso nec excedere illam, nec ab ea deficere debet. Circa quam tamen proprietatem rectè notant Authores, eam Soli Fortitudini & Temperantiæ, non item cæteris virtutibus convenire, cùm in istis deficere quidem, non tamen excedere possimus, cùm nemo nimis tribuere jus suum alteri, aut nimis Deum diligere possit. Dicuntur

cuntur tamen interdum & istæ virtutes per accidens habere medium, *causaliter* & *medium rei*, quatenus scilcet determinat Iustitia, quid inter plus & minus debeatur, & in hac determinatione non ad circumstantias Personæ (ut faciunt Fortitudo & Temperantia, quæ proinde *medium rationis* habere dicuntur) sed ad solum jus in re ipsa fundatum respicit. Secunda proprietas est connexio virtutum inter se, de qua sequentes communiter doctrinæ à Theologis traduntur, nempe. Virtutes infusas & acquisitas non necessariò inter se connexas esse (cùm multi etiam Gentiles habeant virtutes acquisitas sine infusis) nec etiam virtutes infusas Theologicas inter se (cùm Fides & Spes sine caritate consistere possint) virtutes tamen morales infusas semper cum caritate & inter se conjunctas esse; acquisitas verò in statu perfecto quidem necessario inter se connexas esse debere (quia status perfectæ virtutis acquisitæ postulat, ut homo frequenter, facilè, & per multum tempus exercere possit omnes actus illius virtutis, quibuscunque obstaculis occurrentibus, quod fieri moraliter non potest ab eo, qui non omnes virtutes conjunctas habet) in statu tamen imperfecto eas à se separari posse, uti quotidiana experientia docet. Tertia proprietas est diversitas, virtutum, quoad perfectionem, quam licet Stoici negaverint putantes, nullam altera perfectiorem esse contrarium tamen unanimiter docent Theologi; cùm certum sit, Theologicas virtutes secundùm specificam perfectionem digniores esse moralibus, & Caritatem Fidei & Spei præcellere; imò & inter has ipsas virtutes unam altera quoad intensionem & extensionem perfectiorem esse (saltem in statu imperfecto) pariter sentiat communior sententia Theologorum, & ipia iterum experientia confirmet; licet in statu perfecto concedi possit, omnes inter se æquales esse, quòd solum forte voluerunt aliqui cum S. Thoma q. 66. a. 1. æqualitatem omnimodam virtutibus quoad intensionem tribuentes. Quarta proprietas est generatio, conservatio, & corruptio earundem, de quibus brevirer ex communi Theologorum doctrina sciendum est, virtutes infusas per actus meritorios generari & conservari cum gratia; cum eadem verò etiam omnes (excepta Fide & Spe) demeritoriè iterum per peccatum mortale corrumpi; acquisitas verò physicè pm

actus generari, & quamdiu per actus & habitus contrarios non corrumpuntur, conservari, post vitam verò infusas durare semper in Beatis (excepta Fide & Spe, quoad primarios saltem actus) imò & acquisitas; in damnatis autem omnes infusas perire, acquisitas verò celeriter per actus contrarios destrui.

VI. Q. 5. *Quæ sint media & instrumenta ad acquirendas virtutes adhibenda?* Resp. Triplicis generis à Theologis plerumque assignari; nam 1. aliqua se ex parte Intellectus habent, qualia sunt cognitio, & appretiatio seu æstimatio virtutis, quæ ex illius præstantia & utilitate considerata oritur. 2. Alia se ex parte voluntatis habent, quorum quinque enumerat P. Iacobus Alvarez to. 2. de vit. Spir. l. p. 2. 3. & 4. scilicet diffidentiam sui, desiderium virtutis, crebram intentionem actualem ejusdem virtutis, robur animi in difficultatibus vincendis, & denique particularem curam in vitiis contrariis eliminandis. 3. Denique alia ex parte ipsius operantis se tenent, qualia sunt assidua exercitatio; & sedula occasionum observatio, viriumque seria applicatio, de quibus omnibus fusiùs differens cit. P. Iacobus Alvarez & alii Ascetæ videri possunt.

ARTICVLVS III.

De actu morali malo seu peccato.

I. De hoc quinque potissimùm quæstiones moventur à Theologis, nimirum quid sit, quotuplex sit, in quo subjecto reperiatur, quæ sit causa illius, & qui effectus, de quibus & hic breviter agetur. Itaque.

II. Q. 1. *Quid sit actus moralis malus seu peccatum?* Resp. cum S. Augustino, peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. In qua definitione S. Doctor, ut notat S. Thomas q. 71. a. 6. pro materiali posuit dictum, vel factum &c. pro formali verò disconvenientiam cum lege æterna, quæ est prima regula actuum moralium, ut suprà dictum est. Vnde Recentiores clariùs peccatum, definientes dicunt illud esse actum elicitum cum advertentia ad displicentiam supremi Legislatoris. An autem

tem peccati malitia in pura privatione consistat, ut antiquiores Theologi docuerunt; an verò in ipsa entitate actus positivi antecedenter ad privationem uti communiter hodie Recentiores docent, controversia non levis est inter Doctores.

III. Quæst. 2. *Quotuplex sit peccatum?* Resp. duplex præcipuè in genere assignari. 1. *Originale*, quod nihil aliud est, quàm peccatum primum Adami, quatenus ob transfusam in ipsam Posterorum omnium (excepta Dei Matre) voluntatem in ordine ad gratiam originalem vel retinendam, vel amittendam, omnibus per seminalem generationem ab eo descendentibus, & pacto illo inclusis adscribitur; estque hoc peccatum non sola concupiscentia naturalis (ut Hæretici volunt) sed propriè dictum peccatum, afferens secum privationem gratiæ originalis, & corruptionem naturæ inducens, quæ in eo consistit, quod dissolvatur harmonia seu ordo, quem justitia originalis tanquam donum quoddam cœleste & naturæ indebitum in homine efficiebat, ut & corpus animæ, sine morbis ac moriendi necessitate, & sensualitas rationi sine inordinatione concupiscentiæ, & ratio sive voluntas Deo sine periculo & peccandi necessitate plenè subjiceretur. Vnde quatuor vulnera animæ inflicta dicuntur per peccatum originale, scilicet vulnus ignorantiæ in intellectu, vulnus malitiæ in voluntate, vulnus infirmitatis in parte irascibili, & vulnus concupiscentiæ in concupiscibili; ipsi verò corpori duo quoque vulnera sunt illata, scilicet moriendi necessitas, & morborum, aliorumque similium malorum corporalium capacitas. A quo tamen peccato originali exemptam fuisse B. Virginem, meritò plerique hodie Theologi contra Thomistas docent, idque novem, etiam rationibus probat Tannerus d. 4. qu. 7. dub. 2. imò non pauci etiam à debito proximo contrahendi peccatum originale eam liberare contendunt, dum eam in primo pacto cum Adamo inite exclusam esse putant ob maternitatem ejus prævisam. 2. *Actuale*, quod nihil aliud est, quam peccatum propria voluntate commissum, dividiturque in *mortale* & *veniale*, quorum differentia in eo consistit, quòd peccatum mortale sit voluntaria electio boni creati præ amicitia Dei, cum qua repugnare cognoscitur, atque, ut S. Thomas loqui-

quitur, homine simpliciter ab ultimo fine de ordine & abstrahat; non item veniale, utpote quod nec amicitiam DEI tollit, nec à fine ultimo separat, sed circa media duntaxat deordinat. Ad cognoscendam verò hanc differentiam sequens à Recentioribus regula assignatur, quòd scilicet illa omnia & sola peccata ex natura sua sint mortalia, quæ, si venialia duntaxat forent, vel Deus non esset infinitè perfectus; vel humano generi gravissimum præjudicium crearetur, reliquæ verò divisiones peccati, uti & regolæ, ex quibus differentia specifica & numerica peccatorum colligi solet, apud Theologos morales videri possunt.

IV. Q. 3. *Quodnam sit subiectum capax peccati?* Pro solutione hujus quæstionis Tannerus q. 8. dub. 1. num. 10 ex S Thoma notat, hæc duo diligenter distinguenda esse, actum alicujus potentiæ esse verè peccatum; & peccatum formaliter esse in aliqua potentia; ad priorem enim propositionem verificandam sufficit, si actus verè ac formaliter repugnet rationi; ad posteriorem autem verificandum insuper requiritur, ut vitio quodam illius potentiæ accidat, quam peccare denominant. Hoc notato Resp cit. Author cum S. Thoma & communi Thomistarum omnes potentias, quæ ita voluntati subjacent, ut impediri ab ipsa possint in actibus suis eliciendis, esse subjectum peccati; quia harum solarum potentiarum vitio (puta voluntatis, intellectus, & appetitus sensitivi) accidunt peccata; voluntatis quidem tanquam principalis & universalis causæ; rationis autem ut malè dirigentis; appetitus denique velut indirectè inclinantis; hinc cùm membra externa non agant, sed agantur potiùs despoticè à voluntate, non dicuntur subjectum peccatorum; licet actus ipsorum, qui subjectivè & materialiter in ipsis recipiuntur, propriè & formaliter rationem peccati habeant, uti post S. Thomam plurimi apud & cum Tann. l. c. n. 15. docent contra Vasq. & alios Recentiores, tum quia ejusmodi actus verè prohibentur à S. Scriptura; tum quia verè & formaliter sunt rationi difformes, & saltem per extrinsecam denominationem sunt liberi, quod isti Authores sufficere putant ad peccatum. Resp. 2. Tanner. dub. 2. num. 30 cum S. Thoma qu. 74. art. 4. in appetitu sensitivo veniale quidem, non mortale peccatum subjectari formaliter; quia, licet actus

actus illius, si verè deliberati sint, verè sint peccata mortalia aliquando, tunc tamen non ipsius vitio, sed voluntatis & intellectus accidunt atque adeò his adscribuntur, utpote tunc plenam libertatem habentibus; quando autem appetitus impedit plenam libertatem & relinquit semiplenam ad veniale quidem, non autem mortale sufficientem, tunc, quia ratio censeturab appetitu anteverti, rectè peccatum tale ipsi adscribitur.

V. Quæst. 4. *Quænam sit causa peccati?* Resp. 1. Solum hominem libertate præditum esse causam peccati per se; quia hic solus ex intentione causat actum prosecutivum mali, & determinat concursum indifferentem DEI ad actum peccaminosum potiùs, quàm virtuosum; DEVS autem, licet concursum indifferentem offerat, non tamen eo fine offert ut eodem ad malum homo utatur, sed potius optat, & hortatur, ut cum eodem bene operatur. Excœcationis tamen & indurationis causa dicitur, quatenus gratiam efficacem subtrahit, cujus defectu postea homo in suo peccato perseverat. Resp. 2. Etsi Diabolus, concupiscentia, & peccatum interdum alterius peccati causa dicantur, hoc tamen non de influxu & causalitate per se, sed per accidens intelligendum est, cùm & Diabolus, & concupiscentia impellere tantùm, non autem cogere possint ad peccatum; peccatum autem alterius causa eatenus tantùm dicatur, quatenus gratiam vel caritatem, vel verecundiam, vel quodcunque aliud à peccato retrahens tollit, & sic per accidens efficit, ut in aliud peccatum homo labatur.

VI. Quæst. 5. *Quinam sint effectus peccati?* Resp. duplicis generis effectus peccato communiter assignantur, scilicet maculam & reatum pœnæ, de quibus hæc duo duntaxat notanda sunt 1. quòd ut S. Thomas quæst 89 a. 1. loquitur sicut est duplex in anima nitor, unus habitualis, & quasi intrinsecus, alter verò actualis, & quasi externus fulgor; ita duplex quoque in anima macula detur habitualis scilicet in privatione gratiæ consistens; & actualis, qui nihil aliud est, quàm ipsum peccatum præteritum moraliter perseverans, (quod propterea habituale peccatum ab aliquibus vocatur) seu, ut Recentiores explicant, cum negatione condignæ satisfactionis aut gratuitæ remissionis] conjunctum. Vnde

quia sola gratia habitualis est verus decor animæ ; solum quoque peccatum mortale, quod eam gratiam tollit, veram maculam inferre dicitur ; peccatum autem veniale, quod gratiam illam relinquit, secundùm quid tantùm maculare animam dicitur per modum luti aut pulveris corpus maculantis ; in quem sensum Christus Io. 13. dixit: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, Sed est mundus totus*. 2. Notandum est, quòd, cùm peccatum mortale reatum pœnæ æternæ inferat, aliqui causam hujus æternæ durationis cum S. Thoma in ipsam malitiam dicti peccati coniiciant, utpote quod ab Personam infinitæ dignitatis graviter offensam meretur privationem amicitiæ divinæ, atque adeò inordinationem quantùm de se irreparabilem causat ; alii vero ex eo probant, quòd nulla condigna satisfactione à Peccatore deleri possit, alii effectui Peccatoris adscribant, quo sine fine vellet vivere, ut sine fine posset peccare ; unde, ut S. Gregorius l. 4. Dial. c. 44. loquitur, *ad magnam justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato*, alii denique ex ipsa necessitate talis pœnæ dictam durationem demonstrare conantur, utpote sine qua homines non sufficienter à peccato absterrerentur. Porro qualis hæc pœna sit futura, breviter indicat Lessius l. 13. de perf. divin. in fine dum triplicem ait ibi afflictionem futuram esse, nempe 1. Summos dolores sensuum, totiusque corporis exterius & interius, qui juxta communem sensum Theologorum per verum & corporeum, ac sulphureum ignem, ut S. Scriptura passim indicat, causabuntur, etsi verò aliqui etiam per aquas & vermes corporeos existiment damnatos cruciatum iri, Lessius tamen loc. cit. probabilius contrarium multis argumentis demonstrat, licit libenter concedat molestissimas & horribiles ibi tenebras externas eò quòd meritò damnari luce corporali priventur, ut qui lucem Spiritualem & divinam contempserunt. 2. Summam quoque tristitiam ibidem futuram ait Lessius, ex consideratione tantorum malorum, in quæ inciderunt & bonorum, quæ amiserunt, quæ amissio *pœna damni* vocatur, tantoque gravior erit, quantò major est gloria amissa, quantoque faciliùs eam obtinere potuissent. 3. Super omnia eos per considerationem æternitatis cruciatum iri, meritò

meritò idem Author affirmat ; ex quibus omnibus sequetur desperatio, furor, & maledicto, qua & seipsos, quòd tantorum malorum causa sibi extiterint, & DEVM, qui ipsos condidit ; & Parentes ; qui genuerunt, & dœmones, qui seduxerunt : & socios, creaturasque alias, qui ad peccatum ellexerunt, vel servierunt, maledicent. Locum verò inferni quod attinet. probabiliter Lessius putat in centro terræ eum existere, ita ut idem sit centrum inferni & terræ, nec solum seu planities sed nuda cavitas sulphure liquato ardente repleta ibi reperiatur, cujus diameter unius leucæ longitudinem non excedat (hoc enim spatium non tantùm ad multitudinem damnatorum, sed decuplo maiorem numerum capiendum sufficiens fore Mathematici demonstrant) in quam damnati velut in vnum cumulum conjecti tanquam victima pro peccato æternum ardebunt, sicque implebunt illud apoc. 20. *Qui non inventus est in libro vitæ, missus est in stagnum ignis.*

VII. Q. 6. *Quis fructus ex tota hac de actibus moralibus materia hauriendus sit à Theologo ?* Resp. triplicem præcipuè hauriendum esse. Primus est, ut, dum geminam peccati malitiam, scilicet aversionem à DEO, & conversionem ad creaturam, grandemque, quæ per eadem committitur, stultitiam & injuriam considerat, exinde gravitatem ejusdem æstimare discat, illaque Ieremiæ c. 2. Verba in mente habeat : *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit Populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Secundus fructus est, vt dignam de virtutum pretio æstimationem concipiat, vtpote quæ solæ illud S. Pauli 1. Tim. 4. elogium merentur *Pietas* (seu virtus, ut aliqui interpretantur) *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*. Vt adeò meritò illius possessor cum Salomone Sap. 7. dicere queat : *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebant me ista.* Tertius fructus est, vt ardentem concipiat Zelum peccatores convertendi, & à gehenna (in qua vt rectè quis & compendiosè omnia tormenta explicavit, & omnis mali præsentia, omnis boni absentia, & omnis pœnæ indesinentia) liberandi, eum

di: eumque in finem de se à quovis damnato dictum putet illud Luc. 16. *Rogo te Pater, vt mittas eum in domum Patris mei; habeo enim quinque* (imò innumeros) *Fratres vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

ARTICVLVS IV.

De principijs dirigentibus actum moralem.

I. Q. 1. *Quænam sint principia dirigentia actum moralem?* Resp. duo potissimùm assignari à Theologis, scilicet Legem internam seu Conscientiam, de qua S. David Psal. 4. ait *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, & externam à Superiore latam.

II. Q. 2. *Quid de Lege interna seu Conscientia sciendum sit?* Resp. tria præcipuè, nempe 1. quid sit. 2. Quotuplex sit Quænam obligatio sit illam sequendi, quæ tamen omnia resolvete, ex instituto ad Theologiam moralem pertinet, excepta fortè quæstione, qua quæritur, an relicta sententia probabiliore liceat minùs probabilem sequi; in qua controversia licet non pauci ex antiquioribus, & novissimè Iulius Mercorus ex Ordine S. Dominici per integrum libellum, quem *Basin totius Theologiæ moralis* inscribit, negativam propugnent sententiam; eamque plurimis argumentis stabilire conentur; affirmativam tamen communiùs hodie Recentiores tenent.

III. Q. 3. *Quid de Lege externa sciendum?* Resp. Sex præcipuè de ea quæstiones generales proponi, & decidi à Theologis, videlicet. 1. Quid sit, & quas conditiones involuat. 2. Quotuplex sit. 3. Quam obligationem inducat. 4. Quæ excusent ab hac obligationes. 5. Quia obligetur legibus. 6. Quis ferre, abrogare, vel interpretari possit legem; quæ tota materia, cùm prima principia ac fundamenta Theologiæ moralis contineat, ideòque ad praxin potiùs quàm Speculationem ordinetur, meritò à Theologis Scholasticis plerumque præteritur, & Theologis moralibus pertractenda relinquitur; exceptis fortè quæ de Legè æterna, Mosaica, Naturali, & Gratiæ moventur, de quibus proinde, quid Theologi Scholastici sentiant, hoc loco breviter indicandum est. Itaque.

IV. Q. 4.

IV. Q. 4. *Quid de Lege æterna S. Thomas & alii Theologi doceant?* Resp. sequentia ferè. 1. Legem æternam iuxta S. Thomam q. 93. a. 1. nihil aliud esse, quàm rationem divinæ Sapientiæ, secundùm quod est directiva omnium actionum & motionum ad suo fines, se, vt S. Augustinus l. 22. contra Faustum c. 27. definit. esse summam rationem in DEO existentem, cui semper est obtemperandum: vel voluntatem DEI ordinem naturæ conservari præcipientem, & dissipari vetantem; de qua proinde Sap. 8. dicatur: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* 2. Esse realiter unicam (cùm omnia sub vna ratione respiciat, quatenus scilicet ad divinam gloriam & Sapientiam manifestandam ordinantur) licet propter diversa objecta ratione nostra multiplex dici queat. Hinc iterum Sap. 7. dicitur: *Cùm sit vna, omnia potest, & in se permanens, omnia innovat. Est enim in illa Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex &c.* 3. Non nisi *latè* ac *Analogicè* Legem dici, cùm nec semper sit propriè dictum imperium (nempe respectu rerum irrationalium) nec ab æterno sit promulgata, sed eatenus tantùm æterna dicatur, quatenus ab æterno existit decretum, cui suo tempore res creatæ subijci debent. 4. Esse soli DEO & Sanctis in se notam, (cùm ipsi soli DEVM, cum quo identificata est lex æterna in se videant) Viatoribus autem in effectu tantùm, quatenus cognoscunt per habitum principiorum practicorum seu Syteresin veritates practicas ab ea derivatas. 5. Omnem legem ab ista æterna derivari juxta illud Sap. 8. *per me Reges regnant, & Legum Conditores iusta decernunt.* 6. Omnes res creatas huic Legi subijci; vti clarè S. Augustinus l. 5. de civ. c. 11. indicavit dicens: *Nullo modo aliquid Legibus summi Creatoris, ordinationique subtrahitur, à quo pax Vniversitatis administratur.* Vnde licet interdum res naturales fines suos particulares non assequantur, & homo vel Angelus legem æternam peccando violaverit, tamen isti ipsi defectus æternæ legi subduntur, cùm hoc ipsum propter bonum Vniversi Author naturæ ab æterno decreverit, unde eleganter S. Augustinus in Enchir. c. 100. ait: *Hoc ipso quòd contra voluntatem DEI fecerint* (homo & Angelus) *de ipsis facta est voluntas eius, qui per eandem creaturam voluntatem, quà factum est, quòd Creator noluit,*

noluit, implevit, ipse quod voluit. 7. Legem istam in se immutabilem esse, cùm sit ipsa ratio divina; dici tamen respectu objecti mutabilem, quatenus scilicet Deus aliquid, quod ob certas circumstantias decrevit producere, ob alias iterum annihilare, vel abrogare potest, vti in Lege Mosaica videre est.

V. Q. 5. *Quid de lege naturali doceant Theologi?* Resp: sequentia præcipue. 1. Eam nihil aliud esse, quàm rectum nobis ab æterna lege impressum evidenter cognoscimus, quid faciendum vel omittendum sit. 2. Duplicia hujus legis præcepta dari, nempe Vniversalissima seu simpliciter prima (qualia sunt, bonum esse faciendum, & malum fugiendum) & particularia, quæ ex prioribus deriuantur. 3. Esse propriè dictam legem, cùm & verè imperet, ac obliget sibi subjectos, & hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum naturaliter inserverit, sufficienter promulgata sit. 4. Materiam illius esse non omnes quidem virtutum actus (cùm multi jure duntaxat divino aut humano sint præcepti; aliqui verò omnino non sub præceptum, sed consilium duntaxat cadant) sed tamen aliquos saltem omnium virtutum *moralium* (nam supernaturales virtutes non pertinent ad legem naturalem) actus, cùm de facto in omni materia harum virtutum præcepta quædam naturæ tam affirmativa, quam negativa reperiantur. 5. Legem hanc in genere spectatam, & quasi inadæquatè seu abstrahendo à circumstantiis, in omnibus hominibus unicam & invariabilem esse; si tamen adæquatè & quoad omnes circumstantias spectetur, tum secundùm principia quidem universalissima (& juxta aliquos etiam secundùm eas leges, quarum dispensabilitas in Deo defectum primariæ alicujus perfectionis argueret) eandem in omnibus, & immutabilem esse, non item in aliis legibus, quæ ex principiis uniuersalibus deducuntur, aut nullum similem defectum arguunt. Quam totam doctrinam S. Thomas q. 94. a. 5. & q. 100. a. 8. ad 3. sequentibus verbis bene notandis indicat: *Sic igitur præcepta ipsa Decalogi, quantùm ad rationem iustitiæ, quam continent, immutabilia sunt; sed quantùm ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus (ut scilicet hoc vel illud sit homicidium, furtum,*

furtum, vel adulterium, an non) hoc quidem est mutabile, quandoque sola authoritate divina, in his scilicet, quæ à solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio & aliis hujusmodi: quandoque etiam authoritate humana, sicut in his, quæ commissa sunt Hominum Iurisdictioni, quantum enim ad hoc, homines gerunt vicem Dei, non autem quantùm ad omnia.

VI. Q. 6. *Quid de Mosaica lege sciendum sit?* Resp. sequentia præcipuè à Theologis doceri. 1. Legem hanc per Angelum Moysi fuisse promulgatam Mosaicam ideo tantùm dici, quia à Moyse primùm accepta, & postea per eundem populo promulgata fuit. 2. Legem eandem in suo quidem genere, & pro tempore, quo lata est, perfectam fuisse; non tamen absolutè perfectam bonitatis rationem habuisse, cùm per se, & sine respectu ad Christum novæ legis conditorem non fuerit sufficiens ad æternum beatitudinem obtinendam, sed figura duntaxat fuerit legis secuturæ, uti Apostolus ad Hebr. 10. indicavit, & ipse Deus Ezech. 20. insinuavit dicens: *Dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*. 3. Legem hanc solis Iudæis datam fuisse, atque adeò Gentiles non obligasse, nisi secundùm præcepta naturalia, quæ continebat. 4. Fuisse quoque eam legem, unicam unitate ordinis & finis, universim tamen tria genera præceptorum in se continuisse, *moralia* scilicet, seu ad moralium actuum, & cultus divini substantiam pertinentia; *cæremonialia* seu ad ritum & modum cultus divini spectantia quæ quadruplicis erant generis. videlicet sacrificia, sacra seu instrumenta cultus divini; sacramenta, & speciales observationes; & *judicialia*, quæ certum modum justitiæ in humano convictu observandæ determinabant, iterumque in quatuor genera subdividebantur, quorum primum determinabat, quis ordo inter Principem & Populum servandus sit: secundum, quis inter ipsos Populares: tertium, quis extra Popnlares & extraneos: quartum denique quis inter domesticos ejusdem Familiæ tenendus sit. 5. Legem istam juxta communiorem SS. Patrum & Theologorum sententiam in ipso mortis Christi articulo fuisse abrogatam, uti ipsum templi velum scissum indicabat, & ipsa Sacerdotii novi, quod per mortem Christi præcipuè institutum est, substitutio exigebat, nam, S. Paulo teste ad Hebr. 7. transla-

to Sa-

to Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat. 6. Eandem legem mortiferam (id est, mortem peccati observatoribus inferentem) probabiliùs primùm post sufficientem Evangelii promulgationem, (quæ juxta communiorem Theologorum sententiam quadragesimo anno à Passione Christi post Ierosolymitanæ Civitatis destructionem facta censebatur) esse cœpisse.

VII. Q. 7. *Quid de Evangelica Lege Theologi doceant?* Resp. sequentia potissimùm. 1. Per legem Evangelicam nihil aliud intelligi, quàm legem illam, quæ à Christo tradita, & ab Apostolis prædicata, legi Mosaicæ successit. 2. Legem hanc, si secundùm præcipuum caput, per quod à lege Mosaica distinguitur, spectetur, menti inditam potiùs, quàm scriptam vocari debere, cùm præcipuum in hac lege sit gratia Spiritus Sancti per fidem & merita Christi obtenta, quæ tota mentibus indita est, licet, quia interdum etiam per Scripturam manifestatur, secundariò scripta dici queat. 3. Materiam illius esse tum internos, tum externos virtutum actus, qui à Christo sunt præcepti; consilia verò, quæ ab ea proponuntur, hoc ipso, quòd neminem obligent, non nisi latiori sensu materia dici possunt. 4. Eandem legem omnes omnino homines obligare; hinc enim Apostoli jussi sunt illam universo mundo prædicare. 5. Illam secundùm se, & quoad obligationem nunquam abrogatum iri, nec aliam legem illi successuram; hinc enim Christus Ps. 109. Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech dicitur. 6. Legem hanc quoad moralia præcepta, & præcipuè quoad fidem explicitam in Christum, etiam ante mortem Christi obligasse; quia Christi Incarnatio per se omni tempore erat objectum necessarium fidei implicitè aut explicitè credendum; quoad cæremonialia tamen v. g. de Sacramentis, recipiendis probabiliter juxta S. Thomam statim post resurrectionem Christi; juxta alios verò post diem Pentecostes; aut juxta alios post ipsam promulgationem sufficienter factam obligare cœpisse. 7. Legem Evangelicam multis titulis præcellere legi Mosaicæ: nempe tam ratione credendorum, sperandorum, & præceptorum, quæ omnia longè perfectiora sunt, quàm illius, qui legem hanc attulit; & eorum, quos obligat; & modo, quo ad sui observationem impellit, scilicet per caritatem; & ob facilitatem servandi, ob quam onus leve, & jugum suave à Christo vocata est; & ob ipsam denique efficaciam, quam habet ad homines justificandos.

VIII. Q. 8. *Quem fructum ex hac materia de principiis dirigentibus haurire debeat Theologus?* Resp. duplicem præcipuè. Primus est, ut, dum conscientiam velut Pædagogum, qui ipsum dirigat, sibi datum à Deo fuisse consideret, eidem diligenter & perfectè obsequatur, ne ejusdem assiduosque durosque stimulos experiatur, illudque olim S. Paulo dictum act. 9. denuò audire cogatur: *Ego sum, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Secundus est, ut dum sub Evangelica lege se creatum fuisse meminit agnoscat beneficium, suavissimumque hoc jugum, & onus levissimum tantò alacriùs suscipiat, feratque quantò majorem sibi per illius impositionem gratiam ac favorem collatum esse agnoscit, ideòque illud ad Naaman olim à servis dictum l. 3. Reg. c. 5. sibi applicet: *Si rem grandem tibi dixisset Propheta (& Deus) certè facere debueras, quantò magis, quia nunc dixit tibi &c.*

ARTICVLVS V.

De principio adjuvante actum moralem, seu de Gratia.

I. Q. 1. *Quid de Gratia potissimùm sciendum sit Theologo?* Resp. quinque præcipuè. 1. Quid sit? 2. Quotuplex sit. 3. Quæ sit necessitas illius. 4. Quæ causæ. 5. Quinam effectus illius sint, de quibus in hoc articulo breviter agetur.

II. Q. 2. *Quid sit gratia?* Resp. esse donum ex divina benevolentia profectum; vel, ut S. Thomas q. 110. a. 2. definit, esse qualitatem, qua anima ad consequendam beatitudinem supernaturalem promovetur.

III. Q. 3. *Quotuplex sit gratia?* Resp. omissis aliis facilioribus divisionibus, potissimùm triplicem assignari à Theologis. Prima est in gratiam *habitualem*, quæ est habitus supernaturalis reddens verum Amicum & Filium adoptivum Dei, realiterque justificans: & *actualem*, quæ est pia illu-

illuminatio seu alia quæcunque actio, quà Deus hominem ad propriam salutem consequendam excitat, &, quantùm est de se, promovet. Et hæc subdividitur iterum in Gratiam *excitantem* seu *prævenientem*, quà Deus hominem impellit ad bene operandum: & *adjuvantem* seu *cooperantem*, quà Deus juvat, & cooperatur ad actiones hominis. Secunda est in gratiam *gratum facientem*, & in gratiam *gratis datam*, quæ primariò ad vtilitatem aliorum ordinatur, cujus novem species à S. Thoma & S. Paulo afferuntur; aliæ enim ad perfectionem cognitionis spectant, ut Fides, sapientia, & scientiæ sermo; aliæ ad doctrinæ confirmationem, vt gratia sanitatis, operatio virtutum, discretio Spirituum: aliæ ad pronunciandi facultatem, vt genera linguarum, & sermonum interpretatio. Tertia & celeberrima divisio est in gratiam *sufficientem*, cum qua quis posset quidem operari, sed nunquam operabitur; & *efficacem*, cum qua operatio à Deo per scientiam mediam prævisa infallibiliter connectitur; quæ proinde quia ex speciali affectu homini confertur, etiam speciale donum meritò censeri debet.

IV. Q. 4. *An & quomodo necessaria sit gratia actualis?* Resp. de hac sequentia ferè apud Catholicos Doctores certa esse. 1. Nec gratiam sanctificantem, nec ullum aliud donum aut virtutem supernaturalem posse sine speciali DEI auxilio obtineri. 2. Etsi possit homo absque speciali Dei gratia singulas veritatis ex objectis sensibilibus cognoscere, aut bonum opus aliquod facere, Deumque super omnia amare; non posse tamen hoc per longum tempus, aut tempore gravis tentationis; neque omnes veritates simul sumptas cognoscere posse; eò quod natura per peccatum Adami sit adeò debilitata, & obscurata; vt non possit sine speciali auxilio difficultatem in ejusmodi exercitio longiori occurrentem vincere. 3. Deum omnibus providere & offerre gratiam sufficientem, quatenus hæc nihil aliud dicit, quàm piam quandam illam illustrationem intellectus, & motionem voluntatis ad simplicem complacentiam objecti, cum qua potest homo operari, abstrahendo, an sit, vel non sit operaturus. Nec obstat, & multi Ethnici non habeant occasionem Fidei amplectendæ: nam Ethnici tales possunt per aliquod tempus servare legem Dei, & sic efficere, ut Deus

Deus vel per internam inspirationem ipsis revelaret mysteria fidei; vel certè ad eos Prædicatorem mitteret; cùm juxta commune Theologorum effatum, facienti, quod in se est, Deus gratiam non deneget. 4. Licet cum gratia sufficienti homo possit vitare omnia peccata mortalia, non tamen perinde etiam omnia venialia collectivè accepta vitare posse sine speciali auxilio Dei, uti passim S. Scriptura, Concilia, & SS. Patres docent; & vel ex ipso fomite & humanæ naturæ imbecillitate colligitur, quæ nec per gratiam quidem perfectè sanatur, atque adeò vitare non potest omnia peccata venialia ex subreptione patrari solita, ut S. Thomas discurrit.

V. Q. 5. *Quænam sint causa gratia?* Resp. 1. causam finalem nostræ justitiæ & gratiæ esse gloriam Dei, & Christi, ac vitam æternam, uti apertè Concilium Tridentinum Sess. 6 c. 7. definit. Resp. 2. Causam efficientem principalem esse solum & unicum Deum, uti idem Concilium l. c. insinuat; instrumentalem verò esse tum ipsum Christum, quatenus per suam passionem & caritatem nobis hanc gratiam promeruit; tum Sacramenta, quæ eandem ex opere operato causant. Resp. 3. Causam materialem gratiæ (posito, quòd à caritate distincta sit) esse solam animam, ex qua probabilius juxta S. Thomæ & aliorum opinionem educitur ipsa gratia; ita tamen ut ad eandem in adultis per modum dispositionis motus aliquis liberi arbitrii, per quem ad Deum convertatur, & donum tale voluntariè acceptet, prærequiratur. Ejusmodi autem dispositiones iuxta Concilium Tridentinum sunt actus fidei, Spei, timoris, caritatis, pœnitentiæ, & intentio Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ recipiendi.

VI. Q. 6. *Quinam sint effectus gratiæ habitualis?* R. sequentes præcipuè numerari. 1. Remissio peccati. 2. Adoptatio in Filium Dei. 3. Collatio juris ad vitam æternam. 4. Vis & virtus merendi, quam actibus supernaturalibus tribuit, si reliquæ conditiones ad meritum requisitæ etiam adsint, videlicet status viæ, promissio Dei, supernaturalitas, libertas, & honestas actus, & proportio inter meritum & præmium; his enim conditionibus positis de fide est, hominem mereri *de condigno* (id est, ut ob dignitatem ipsius operis, & non ex liberalitate detur præmium respondens operi) vitam æternam, & primam gloriam, atque adeò etiam auxilia requisita

quisita ad illam promerendam ; non tamen perinde etiam principium meriti, finalem perseverantiam, aut bona temporalia ; hæc enim de condigno eam mereri non posse, communiter docent Theologi, licet bona temporalia eum de congruo (id est, ita ut non quidem ob dignitatem operis & ex debito, sed tamen ex congruitate quadam conferatur) mereri posse concedant.

VII. Q. 1. *An gratia Santificans ex natura sua faciat hominem gratum Deo, atque adeò nec per absolutam Dei potentiam cum peccato mortali stare possit?* Resp. ita quidem sentire Vasquezium, qui sententiam suam Concilio Tridentino, & S. Thomæ conformiorem esse asserit ; alios tamen communiùs contrarium docere, licet non negent, gratiam habere peculiarem quandam congruitatem & aptitudinem ad expellendum peccatum mortale.

VIII. Q. 8. *An homo sine speciali revelatione DEI certò & infallibiliter cognoscere possit se esse in gratia DEI?* R. 1. S. Thomas & cum eo omnes Theologi, neminem physicam habere certitudinem posse de tali veritate, cùm & S. Scriptura passim, SS. Patres sic sentiant; & Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 9. id definierit, & nullum sufficiens motivum ; talis certitudinis assignari possit ; cum nemo certus esse possit vel de Sacramento Baptismi à baptizante legitimè administrato; vel de actibus supernaturalibus ad gratiam, si amisit, recuperandam necessariis à se ritè elicitis. Resp. 2. Idem etiam de morali certitudine communiter cum S. Thoma negare, teste Tannero d. 6. q. 4. du. 5. n. 119. Theologos contra Scotum, Vegam & nonnullos, alios, eò quòd & Scriptura, & Concilia absolutè asserent, nescire nos, an odio vel amore dignissimus. Solummodo ergo concedunt Theologi, eò aliquos in virtutis studio progredi posse, ut, licet formidare possint, se in statu gratiæ non esse, difficile tamen ipsis sit ejusmodi formidinem concipere, atque adeò actualiter eam excludant Resp. 3. de gratia ab alio obtenta posse certam & infallibilem notitiam haberi, si quidem vera sit sententia docens ex vna præmissa de fide, & altera evidenti conclusionem Theologicam & de fide haberi posse, cùm quilibet baptizans evidenter sciat, se legitimè baptizasse Infantem, & ex altera parte per fidem habeat, eos, qui legitimè baptizantur, in gratia constituros esse.

IX. Q. 9.

IX. Q. 9. *Quis fructus ex hac materia de gratia reportandus sit à Theologo?* Resp. triplicem præcipuè. Primus est, ut illud S. Ioannis 1. c. 3. in memoriam revocans: *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & simus:* agnoscat grato animo hoc beneficium, atque adeò gratiam non modò sollicitè conservare, sed etiam quotidianis augmentis tum per Sacramentorum frequentem & legitimum usum; tum per actuum supernaturalium crebrum exercitium augere studeat. Secundus est, ut, cùm ex vna parte animarum sibi curam commissam esse meminit ; ex altera verò parte necessitatem gratiæ ad salutem animarum agnoscit, juxta Christi summi Pastoris exemplum, omnem conatum & laborem impendat, ut animas sibi commissas vel in statu gratiæ conservet, vel, si amiserint in eundem, reducat, sicque dicere olim cum Christo possit: *Pater quod dedisti mihi, custodivi, & nemo ex iis periit.* Io. 17. Tertius est, ut, dum necessitatem gratiæ actualis ad actus supernaturales eliciendos, fructumque adeò in animarum salute faciendum agnoscit, hanc gratiam tum per assiduum orationis studium, tum per alia media constanter adhibita efficaciter obtinere studeat, atque hunc in finem illud Christi saluberrimum monitum semper in mente habeat: *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.*

CAPVT III.

De Mediis ad Finem Vltimum obtinendum necessariis in specie.

HOrum mediorum nomine potissimùm virtutes Supernaturales intelliguntur, quæ quidem a S. Thoma & aliis Theologis rectè in Theologicas & Morales dividuntur, de quibus in hoc capite, quid Theologi Scholastici doceant, breviter indicandum erit ; nam pleraque, quæ de iis dici possunt, à Theologis etiam moralibus explicantur.

Universidad de Deusto Biblioteca

ARTICVLVS I.

De Theologicis Virtutibus.

De his tria potissimùm quæri possunt. 1. Quid sint in genere. 2. Quid quælibet illarum in specie exigat. 3. Quæ sit necessitas earundem, quæ quidem quæstiones in sequentibus §§. resolventur.

§. I.

De Essentia Virtutum Theologicarum in genere:

I. Q. 1. *Quid sit Virtus Theologica?* Resp. ex S. Thoma eam nihil aliud esse, quàm Habitum infusum per se, quo bene disponimur in ordine ad vltimum finem, cujus objectum formale sit Deus aut Author supernaturalium. Vel brevius, esse Virtutem Supernaturalem infusam, cuius præcipuum objectum sit aliqua divina perfectio. Quæ definitio ut meliùs intelligatur, sciendum est ens supernaturale Theologicum in hoc consistere, quòd ex intrinseco prædicato ordinet naturam intellectualem formaliter vel tanquam medium ad felicitatem æternam, quæ per Visionem beatificam possidetur. Atque in hoc potissimùm sensu supernaturalitas in allata definitione accipitur; non autem in sensu Philosophicæ supernaturalitatis, quæ in eo consistit, quòd à Deo ut supremum Dominium & potestatem dispensativam habente procedat, vireque tam activas, quàm passivas agentis creati excedat.

II. Q. 2. *Quos sint Virtutes Theologica?* Resp. Tres duntaxat numerari à Theologis scilicet Fidem, Spem, & Caritatem, hæ namque sufficiunt, ut Deo tamquam fini ultimo adhæreamus, dum per fidem cognoscimus, per spem concupiscimus per caritatem apprehendimus, & possidemus ipsum.

III. Q. 3. *Quæ sint specialis prærogativa harum virtutum?* Resp. hanc præcipuè, quod quælibet Deum in ratione objecti formalis præferat omnibus in contrarium moventibus;

ventibus, nam Fides præfert veracitatem Dei omnibus contrarium suadentibus illi, quod Deus dixisse creditur, Spes probabilitatem objecti in divina promissione fundatam omnibus in contrarium inclinantibus præfert. Caritas denique præfert Deum omnibus ab amore illius avertere conantibus.

IV. Quæst. 4. *Quis sit ordo inter Virtutes has Theologicas?* Resp. hunc plerumque statui à Theologis, ut ordine quidem dignitatis & intentionis Caritas prima censeatur; ordine verò executionis & necessitatis Fides omnes duas antecedat, cùm hæc sine spe & Caritate subsistere, non autem istæ sine Fide manere possint; quam ipsam ob causam etiam Spes Caritati anteponitur.

ARTICVLVS II.

De Essentia Fidei.

I. Quæst. 1. *Quid de Virtute Fidei potissimùm sciendum sit?* Resp. Quatuor præcipuè. 1. Quid sit Fides. 2. Quotuplex sit. 3. Quod sit subjectum illius. 4. Quæ vitia eidem opponantur, quæ proinde quæstiones breviter hoc loco resolventur. Quare.

II. Quæst. 2. *Quid sit Fides?* Resp. esse habitum supernaturalem ad assensus certos & firmos ob auctoritatem DEI obscurè revelantis eliciendos inclinantem; unde objectum ipsius materiale est omnis veritas revelabilis, præcipuè verò ipse Deus, & vita æterna, quæ objectum attributionis respectu hujus habitus statuitur, quibus à quibusdam Recentioribus etiam Christus pro objecto partiali principali adjungitur; alii tamen cum Tannero tom. 3. d. 1. q. 1. dub. 2. n. 18. Solum Deum pro adæquato objecto attributionis assignant, & hanc sententiam S. Thomæ menti conformiorem esse contendunt. Objectum verò formale juxta communiorem sententiam S. Thomæ & aliorum apud Tann. l. c. dub. 3. num. 31. & seq. est partim ipsa veracitas divina, partim locutio Dei tum interna (seu conceptus, quem Deus format de veritate credenda) tum externa (seu signa externa, quibus conceptum suum manifestat) eaque obscura, atque, ut idem

Author cum multis contra multos existimat, etiam privata, qualis interdum Sanctis quibusdam facta est, cùm in hoc etiam certitudo infallibilis reperiatur. Vt autem elici possit hic actus Fidei, sequentia requiruntur. 1. Iudicium Supernaturale de evidentia tali credibilitatis, ut prudenter quis negare nequeat hoc objectum à Deo revelatum, atque adeò credendum esse. 2. Pia effectio voluntatis, quæ imperet intellectui assensum firmum fidei; & obtinetur per ea, de quibus in Institutionibus Polemicæ Theologiæ fusius est actum.

III. Q. 3. *Quotuplex sit Fides?* Resp. duplex precipuè, Interna, & Externa. Interna est, quæ per internum actum peragitur. Externa, quæ externo aliquo signo manifestatur, de qua duplici fide S. Paulus ad Rom. 10. ait: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: Circa quam divisionem notat Tannerus q. 7. dub. 1. alium esse credere Deum, aliud credere Deo, & aliud credere in Deum; nam per *credere Deum* significatur habitudo, quam habet intellectus ad materiale objectum, Fidei: per *credere Deo* significatur habitudo, quam ad formale objectum habet; per *credere in Deum* significatur habitudo, quam habet actus fidei ad actum voluntatis, per quem imperatur, & refertur ad Deum; unde credere Deum, & credere Deo etiam malis competit, non item credere in Deum.

IV. Q. 4. *Quod sit subiectum Fidei?* Resp. 1. Subjectum proximum habitus fidei inadæquatè spectati, prout est nudus assensus, esse solum intellectum; si verò adæquatè sumatur, prout etiam habitum piæ affectionis imperantis assensum involuit, tum ipsa etiam voluntas subjectum inadæquatum rectè dicitur, cùm habitus iste piæ affectionis (quem Tannerus nu. 16. cum Suarezio ab omni Virtute distinctum esse dicit) in ipsa voluntate immediatè recipiatur. Resp. 2. Subjectum remotum Fidei divinæ esse omnem purum hominem aut Angelum Viatorem, non autem Christum, aut Beatos, ac damnatos, quamvis hi ultimi acquisitum aliquem habitum Fidei naturalis habere possint.

V. Q. 5. *Quid de proprietatibus seu accidentibus fidei doceant Theologi?* Resp. sequentia ferè. 1. Habitum Fidei simpliciter Speculativum esse, utpote cujus primarium objectum sit Deus revelans & loquens; licet secundùm quid practicus dici queat ob veritates, quas circa obligationem actionum humanarum cognoscit. Ita Tann. q. 6. dub. 2. 2. Habitum Fidei etiam prout in solo intellectu situs est, & informis seu absque caritate in subjecto existens esse veram & essentialiter perfectam virtutem, cùm ut sic etiam à prudenti electione dirigatur, & ad salutem æternam ordinetur, atque adeò bonum reddat habentem. Ita iterum Tann. l. c. 3. Eundem habitum inclinare ad actus certitudine tam essentiali, quàm effectiva certiores quocunque assensu physicè vel moraliter evidente, uti cum S. Thoma communiter alii Theologi docent. 4. Habitum fidei probabiliter etiam discursivum esse, uti communiùs hodie Recentiores docent contra non paucos ex antiquioribus Theologis. 5. Probabilem quoque esse sententiam Tanneri q. 1. du. 6. & multorum aliorum docentium, quòd habitus fidei elicere possit actum fidei cum evidentia in attestante, vel evidentia abstractiva veritatis intrinseca conjunctum; licet non pauci etiam hoc ipsum negent. 6. Habitum Fidei habere intrinsecam repugnantiam cum falsitate, ita, ut neque per absolutam Dei potentiam ad falsum inclinare possit, cùm, Concilium Tridentinum absolutè asserat, Fidei non posse subesse falsum. 7. Tam ipsum habitum Fidei, quàm prævium judicium credibilitatis, & piam voluntatis affectionem debere quoad substantiam esse supernaturalia, cùm passim in S. Scriptura vocetur Fides donum Dei, sine quo nemo venit ad Deum; judicium verò & pia affectio proportionata esse debeant.

VI. Q. 6. *Quænam vitia Fidei sint opposita?* Resp. di rectè Fidei Infidelitatem opponi, prout non tantùm carentiam Fidei præceptæ in subjecto apto, sed etiam quamcunque positivam repugnantiam cum assensu vel habitu Fidei importat; de qua sequentia tradunt Authores. 1. Infidelitatem hanc immediatè quidem in ipso intellectu tanquam subjecto, in voluntate autem tanquam universali principio omnis peccati subjectari. Ita Tann. q. 8. dub. 2. cum S. Thoma q. 10. a. 2. 2. Eandem esse semper peccatum mortale, & quidem gravius quocunque peccato contra virtutes morales, non item contra Theologicas admisso; uti iidem cum

communi docent, licet non negent, posse interdum ex circumstantiis peccatum aliquod contra Virtutes morales gravius esse infidelitate; imò cæteris paribus de facto peccatum Fidelium gravius esse, quàm Infidelium. 3. Tres à S. Thoma q. 10. a. 5. & aliis Infidelitatis species assignari; eò quòd ea vel repugnet Fides nunquam susceptæ, & tunc *Paganismus* vocetur; vel repugnet Fidei tantùm in figura susceptæ, & tunc *Iudaismus* appelletur; vel repugnet ipsi Fidei in re susceptæ, & tunc *Hæresis* vel *Apostasia* vocetur. Alii tamen rationem triplicis hujus speciei ex fide in Messiam desumunt, dicuntque, Paganos esse, qui nec venisse, nec venturum credunt Messiam: Iudæos, qui venturum, non autem venisse credunt: Hæreticos, qui venisse quidem credunt, sed non omnia, quæ credi ipse præcepit, credunt. 4. Nullum quidem opus in infidelitate peractum de condigno meritorium esse (cùm hoc ipso, quòd fide careant, etiam gratiam habere non possint) non tamen omnia Infidelium opera peccatis annumeranda esse, sed posse ab illis opera quædam honesta fieri, quibus de congruo aliqua bona temporalia mereantur, ut communissimè cum S. Thoma sentiunt Theologi.

§. III.

De Essentia Spei.

I. Q. 1. *Quid de Virtute hac potissimùm sciendum sit?* Resp. Sequentia præcipuè. 1. Quid sit. 2. Quos actus involvat. 3. In quo subjecto reperiatur. 4. Quæ vitia illi sint opposita; quæ omnes quæstiones nunc breviter resolventur. Itaque.

II. Q. 2. *Quid sit spes?* Resp. cùm Tannero d. 2. q. 1. dub. 1. esse Virtutem Theologicam, qua voluntas nostra efficaciter tendit in Deum, ut est suprema beatitudo nostra legitimis mediis, Deo opitulante, possibilis obtineri. Vel, ut alii brevius definiunt, est exspectatio certa beatitudinis ex Dei gratia & nostris meritis obtinendæ. Vnde objectum materiale Spei primarium est ipse Deus, qui est beatitudo nostra, item visio beatifica, in qua consistit nostra beatitudo; secundarium verò objectum sunt omnia media ad dictam beatitudinem obtinendam conducentia. Formale verò objectum Spei est idem Deus quatenus bonus nobis, seu bonitas respectiva Dei per ardua media possidenda, ita tamen, ut arduitas hæc sit conditio tantùm, & non ipsa ratio formalis spei.

III. Q. 3. *Quos actus involvat Virtus Spei?* Resp. sequentes præcipuè involvi. 1. Cognitionem supernaturalem Fidei, quæ Deum ut bonum nostrum cum divino auxilio acquisibilem proponat. 2. Amorem supernaturalem, quo Deus ut bonum nostrum amatur. 3. Efficax desiderium, quo idem Deus, ut est beatitudo nostra, desideretur.

IV. Q. 4. *In quo subjecto Spes recipiatur?* Resp. subjectum proximum esse ipsam voluntatem, in qua desiderium, quod proprius & præcipuus actus Spei est, subjectatur. Remotum verò subjectum spectando secundùm S. Thomam q. 18. a. 2. & communiorem sententiam, teste Tann. n. 48. in omnibus necdum in termino ultimo constitutis hominibus subjectari; nullo autem modo in Christo, aut Beatis, aut damnatis; eò quòd hi beatitudinem impossibilem sibi esse sciant, Beati verò sibi aut aliis beatitudinem corporis non virtute Spei, sed ex caritate erga Deum super omnia amatum appetant; licet non pauci ex Recentioribus etiam in Beatis & Christo habitum Spei quoad substantiam manere existiment, eò quòd secundarios saltem quosdam actus v. g. gaudium de adepta beatitudine exercere possit.

V. Q. 5. *Quænam vitia sint opposita Spei?* Resp. duo præcipuè; per excessum *præsumptio*, qua quis præsumit, vel Sperat, se beatitudinem alio modo, quàm quo Deus eam dare decrevit, obtenturum; per defectum verò *desperatio*, qua quis beatitudinem tanquam bonum nimis difficile refugit, atque adeò ab ejus procuratione desistit, de qua potissimùm quæritur à Theologis, an licitè concipi posset ab eos, cui Deus suam damnationem revelasset? & respondent communiter affirmativè, cùm Spes nitatur judicio de possibilitate obtinendi objecti, quale judicium cùm imposito casu non adesse supponatur, meritò omne beatitudinis desiderium omitti posset.

§. IV.

§. IV.

De Caritatis essentia.

I. Q. 1. *Quid de Caritate sciendum sit?* Resp. sequentia præcipuè. 1. Quid sit. 2. Quod sit subjectum illius. 3. Quomodo augeatur, & corrumpatur. 4. Quis ordo. 5. Quæ vitia opposita; quæ quæstiones breviter nunc resolvendæ sunt. Itaque.

II. Quæst. 2. *Quid sit caritas?* Resp. esse virtutem supernaturalem, qua Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum. Vnde objectum illius materiale primarium est ipse Deus, secundarium verò homo & cæteræ creaturæ, quatenus sunt imago Dei, vel alio modo ad ipsum pertinentes. Formale verò objectum est ipsa bonitas Dei, non quatenus amanti homini, sed Deo amato bona est. Etsi verò Scotistæ negent hanc virtutem esse à gratia distinctam; Thomistæ tamen cum D. Thoma æquè probabiliter affirmant, eò quòd Gratia sit velut natura animæ, atque adeò convenjat, ut, sicut reliquæ duæ virtutes Theologicæ velut potentiæ ab eadem distinguuntur; ita idem quoque de habitu caritatis dicatur. Hoc tamen plerique libenter concedunt, Caritatem, qua Deus diligitur, non esse distinctam realiter à caritate, qua Proximus diligitur, cùm in utrumque caritas sub eodem objecto formali feratur. Licet Lessius l. 2. de just. c. 36. dub. 2. & alii Recentiores apud Tann. num. 57. existiment, dari adhuc in hominibus aliam virtutem supernaturalem amicitiæ erga Proximum, qua ille non propter participationem naturæ divinæ ut sic, sed absolutè propter bonitatem suam supernaturalem diligatur, quæque adeò non Theologica, sed moralis virtus infusa dici debeat.

III. Quæst. 3. *Quod sit subjectum Caritatis?* Resp. proximum subjectum esse ipsam voluntatem, cujus proprium est bonitatem appetere; remotum verò subjectum esse Christum & omnes homines tam in via, quàm in patria constitutos, exceptis damnatis; imò eundem habitum continuari in via & Patria, nec esse specie distinctum, ut S. Bonaventura & alii existimarunt, probabiliùs docent S. Thomas, & cum eò communiter alii Theologi.

IV. Q. 4.

IV. Quæst. 4. *Quomodo producatur, augeatur, & corrumpatur Caritas?* Resp. 1. Productionem quod attinet, eam à solo Deo physicè produci, animæque infundi; meritoriè, tamen ab homine per propriam dispositionem causari, uti S. Thomas & reliqui Theologi docent. Resp. 2. Posse quidem caritatem semper augeri in hac vita, uti S. Scriptura variis in locis indicat hortans, ut caritas nostra magis ac magis abundet; non tamen pervenire posse ultra terminum; quem Deus cuivis per prædestinationem præfixit. Etsi verò non desint, qui putent, hoc augmentum non nisi per intensiorem gradum fieri, quàm sit habitus præexistens, probabiliùs tamen à communi sententia docetur, quovis actu, quantumvis remisso, augeri meritoriè caritatem, eò quòd valor operis ad merendum non tam pendeat ex quantitate operis, quàm dignitate & affectu operantes. An verò quivis gradus secundùm totam latitudinem suam augeat caritatem, ita ut Actus ut quatuor gradibus intensus augeat caritatem, incertum est, teste Tannero num. 146. Resp. 3. Caritatem semel productam nunquam *propriè* imminui, ita ut aliqui gradus reliquis permanentibus destruantur (cùm nulla hujus destructionis causa afferri possit) sed ex toto duntaxat amitti posse, id quod per quodvis peccatum mortale contingit, ita tamen ut non physicè per illud destruatur, quemadmodum Vasquez & nonnulli alii apud Tann. n. 162. volebant, sed moraliter & demeritoriè tantùm, quatenus repugnat caritati, & sic meretur, ut Deus per subtractionem sui concursus destruat caritatem.

V. Q. 5. *Quis sit Ordo caritatis?* Resp. hunc præcipuè constitui à Theologis, ut ante omnia Deus, deinde anima nostra, & Proximi, & tandem corpora utrorumque ordinatè diligantur, & semper spiritualia priùs, quàm in corporalia bona procurentur. Reliqua, quæ ad hunc ordinem spectant, apud Theologos morales videri possunt.

VI. Quæst. 6. *Quæ sint vitia Caritati opposita?* Resp. Quemadmodum ad caritatem præcipuè pertinet erga Deum dilectio, & conformatio voluntatis cum divina, ac gaudium; erga Proximum verò misericordia, & correctio fraterna, ac concordia in consensione voluntatum consistens; ita è contrario eidem opponi odium Dei & proximi; Acediam,

Invi-

Invidiam, Discordiam, Contentionem, & Bellum injustum, de quibus itidem fusiùs Theologi morales discurrunt.

§. V.

Quæ sit necessitas Virtutum Theologicarum.

I. Quæst. 1. *Quæ sit Fidei necessitas?* Resp. omnibus adultis necessitate medii necessarium esse actum aliquem Fidei divinæ, cùm, teste Apostolo ad Hebr. cap. 11. impossibile sit sine Fide placere Deo; & Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 6. dicat, Fidem humanæ salutis initium, fundamentum, ac radicem esse; & per se congruum sit, ut, sicut homo justitiam amisit, serpenti potiùs credendo, quàm Deo; ita eandem non recuperet, nisi captivando intellectum in obsequium DEI. Etsi verò non pauci hodie doceant, explicitè duos duntaxat articulos necessitate medii credendos esse, scilicet quòd existat Deus, & inquirentibus se remunerator sit, probabilis tamen est sententia eorum, qui, teste Tannero qu. 7. dub. 2. num. 42. & seq etiam SS. Trinitatis, aliorumque articulorum ad divinitatem & Incarnationem pertinentium fidem explicitam esse necessariam volunt. Quæ verò necessitate præcepti credenda sint, & quando confessio externa obliget, apud Theologos morales videri potest.

II. Quæst. 2. *Quæ secundæ virtutis Theologicæ, videlicet Spei sit necessitas?* Resp. ad Iustificationem Adultorum semper præter Fidei actum etiam actum Spei esse necessarium; ad hoc enim Fides necessitate medii est necessaria, ut ad spem eliciendam juvet. De reliquo etsi tempus determinatum spei hujus eliciendæ assignari non possit, conveniunt tamen Theologi, quòd non diu debeat differri post perfectam propositionem beatitudinis, & saltem in confuso retributio supernaturalis speranda sit.

III. Q. 3. *Quæ tertia Virtutis Theologicæ, scilicet Caritatis sit necessitas?* Resp. necessitate quidem præcepti Deum appretiativè summè, non tamen intensivè, nec semper actu, sed tantùm in certis casibus, esse amandum, quales casus juxta communiorem sententiam sunt, si rationis usus obtentus, & Deus

Deus super omnia amabilis sufficienter propositus est. Item si ingruenti gravi tentatione foret periculum, ne in odium Dei quis labatur, nisi contrarium actum caritatis eliciat.

IV. Quæst. 4. *Quis fructus ex hac Virtutibus Theologicis materia à Theologo hauriendus sit?* Resp. duplicem præcipuè hauriendum esse. Primus est, ut agnoscat beneficium Vocationis ad Christianam Religionem, per quam ipsi occasio ad præstantissimas has virtutes participandas est facta, ideoque per dignam cooperationem gratum se exhibere, dictasque Virtutes conservare studeat. Secundus est, ut, cùm sine cognitione, desiderio, & amore boni cujuspiam vivere non possit, ad Deum potiùs velut præstantissimum bonum, imò fontem omnis boni cognoscendum, desiderandum, & amandum per triplicem hanc Virtutem se convertat, semperque meminerit noti proverbii: Dulciùs ex ipso fonte petuntur aquæ.

ARTICVLVS II.

De Virtutibus Moralibus.

De his partim Ascetæ & Ethici, partim Theologi morales fusiùs agunt, utpote quæ magis ad praxin, quàm speculationem ordinantur, quare Theologi Scholastici plerumque solam Iustitiam, quæ pleraque quidem materias practicas, non paucas tamen multùm controversas, atque adeò Scholastica discussione dignas continet, pertractandum sibi assumunt. Vnde breviter hæc tota materia expedietur, & indicabitur magis, quàm explicabitur.

§. I.

De Virtutibus moralibus in genere.

I. Quæst. 1. *Quid sit Virtus moralis?* Resp. esse virtutem supernaturalem ad dirigendos hominum mores seu actus humanos ordinatam; cùm enim *mos* ex prima sua institutione consuetudinem actibus introductam significet, homines autem inter se per actus humanos tanquam sibi proprios agere con-

consueverint, meritò nomen *morum* iisdem attribuitur à Theologis. Alii tamen Virtutem moralem brevius eam dicunt esse, quæ circa bonum morale sive honestum versatur.

II. Q. 2. *Quot sint Virtutes morales?* Resp. quatuor præcipuè numerari, Prudentiam scilicet, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam; cujus numeri ratio hæc redditur. Vel enim virtus circa morale bonum versans hominem rectè instituit ad seipsum, vel ad alterum; si priùs, tribus virtutibus indiget, scilicet Prudentia: quâ agnoscat, quid secundùm rectam rationem agendum sit; Temperantia, quâ moderetur affectiones Naturæ concupiscentis; & Forritudine, quâ compescere possit passiones irascentis; Si posterius, tum sola Iustitia indiget, utpote quæ plures habitus sub se contineat, qui hominem cum aliis bene componant.

III. Q. 3. *Quare virtutes hæ Cardinales seu Principales dicantur?* Resp. ideo eas sic appellari, quia Cardo totius humanæ vitæ instituendæ in his quasi cardinibus quibusdam volvitur, & ab harum principiis omnes reliquæ virtutes emanant, ideòque ad eas vel tanquam partes subjectivæ seu species; vel tanquam partes integrantes; vel denique tanquam partes potentiales, in quibus inadæquatè saltem natura virtutis moralis appareat, revocantur.

§. II.

De Prudentiæ Virtute.

I. Q. 1. *Quid de Prudentia præcipuè sciendum sit?* Resequentes terè à S. Thoma & Theologis de ea quæstiones moveri. 1. Quid sit. 2. Quinam sint actus illius præcipui. 3. Quotuplex sit. 4. Quomodo se ad reliquas Virtutes habeat. 5. Quod sit subjectum illius. 6. Quæ vitia eidem opponantur. 7. Quæ media adhibenda sint ad eam acquirendam. Ad quas quæstiones hoc loco breviter respondebitur.

II. Q. 2. *Quid sit Prudentia?* Resp. breviter à nonnullis eam definiri rectam agendorum rationem. Secundùm alios tamen clariùs eam explicantes est Virtus, quâ in quovis negotio occurrente, quid agendum, vel omittendum sit, cognoscimus. Unde rectè notant aliqui, eam differre

erre ab aliis virtutibus moralibus per hoc, quòd licet illæ quoque cum recta ratione eliciantur, non tamen fiant per ipsam rationem, seu non sint ipsa ratio, eò quòd non sint in intellectu, sed voluntate sitæ. Quam ob causam Aristoteles dixit, eam esse cum vera ratione activam, id est, per veram rationem activam, seu ipsam rationem agibilium. Unde patet objectum materiale Prudentiæ adæquatum esse singularia agibilia non tantùm quoad substantiam & in genere (ad hæc enim cognoscenda Syndereſis seu habitus primorum principiorum datur) sed etiam in particulari & quoad circumstantias. Objectum verò formale esse ipsam conformitatem agibilium cum recto appetitu. Quam ob causam licet Prudentia sit per se virtus intellectualis, non tamen secundùm quid tantùm, sed simpliciter virtus dicitur, & inter virtutes morales numeratur, eò quòd intellectum non nudè perficiat, sicut ars & scientia, sed in ordine ad voluntatem, quam movet, & ad bonum honestum impellit.

III. Q. 3. *Qui sint primarii actus & functiones Prudentiæ?* Resp. tres præcipuè numerari, quorum primus vocatur *Eubulia* seu *consultatio* de mediis ad finem conducentibus. Secundus *judicium* appellatur, quo concluditur, quæ media adhibenda sint; & si quidem hoc judicium secundùm communes regulas fiat, Synesis; si verò ex ratione æqui & boni deficiat à stricto tenore verborum legis, Gnome vocatur, cui in voluntate virtus Epychiæ respondet. Tertius denique & præcipuus Prudentiæ actus *Imperium* est, quo ipse mediorum electorum usus imperatur, estque juxta probabiliorem Lessii, Tanneri & aliorum sententiam ratione tantùm distinctus à ludicio, eò, quòd tantùm ipsam motionem voluntatis connotet, quam connotationem ipsum ludicium non involuit; ob quam causam Thomistæ distinctum actum esse contendunt.

IV. Q. 4. *Quotuplex sit Prudentia?* Resp. 1. Propriè & immediatè eam dividi in *Personalem* (quæ aliis nominibus etiam particularis ac Monastica appellatur) & *Gubernatricem*, quarum illa ad bonum proprium, ista ad bonum commune procurandum ordinatur, iterumque in *Politicam*, quæ bonum civitatis vel regni curat; *Oeconomicam*, quæ ad bonum Familiæ ordinatur; & *militarem*, quæ bonum

num exercitus respicit, subdividitur; sicut & Politicam S. Thomas iterum in *regnativam*, quæ est in Rectoribus; & *Politicam* strictè acceptam, quæ est in Subditis dividit. R. 2: Pro partibus integralibus octo ei attribui, uidelicet *memoriam*, quâ experientiam ex recordatione præteritorum capere possit: *intelligentiam* ad præsentem statum rectè cognoscendum: *docilitatem* ad capiendam ab aliis notitiam: *solertiam* ad media conjecturanda seu invenienda: *Ratiocinationem*, ad rerum inter se cohærentiam cognoscendam: *Providentiam* ad futurorum rectam ordinationem: *Circumspectionem*, ad circumstantiarum acutam perlustrationem: & *Cautionem* ad malorum, quæ boni speciem præseferunt, sollicitam vitationem. Resp. 3. Communiter quidem à S. Thoma & aliis Doctoribus pro partibus potentialibus Prudentiæ tres actus supradictos, Eubuliam scilicet, Synesin, & Gnomen assignari, sed has minùs propriè potentiales partes dici, cùm ad similes partes requiratur, ut diversam specie essentiam & objectum ab ea virtute, cujus pars potentialis dicuntur, habeant; hæ autem id non habeant, sed à Prudentia tantummodò tanquam incompletum à completo differant; cùm sint functiones prudentiæ, atque adeò inadæquatè ipsa prudentia. Resp. 4. Etsi plerumque eo, qui dictum est, modo dividi soleat Prudentia, solam tamen Prudentiam Personalem propriè nomen Prudentiæ mereri, ut ipse etiam Aristoteles 6. Eth. c. 8. notavit, tum, quia is solùm prudens absolutè dicitur, qui bonum proprium curat, is autem, qui alienum bonum curat; solummodò bonus cum addito, scilicet bonus Oeconomus, Rector &c. dicatur; tum quia sola Prudentia Personalis supponit alias virtutes morales quoad bonum affectum ad eas, quod non facit gubernativa Prudentia, cùm possit quis optimus esse Rex aut Paterfamilias, licet quoad suam Personam vitiosissimus existat. An verò hæc Prudentia personalis sit una specialissima & speciei infimæ virtus, controversia est inter Authores, in qua S. Thomas, Vasquez, Valentia & alii apud & cum Tann. d. 3. q. 1. n 3. affirmativam tenent partem, eò quòd respectu omniũ virtutum quas dirigit Prudentia, unicus sit judicandi modus, scilicet præscribere mediocritatem; & media ad finem conducentia; negativam tamen partem tenent etiam probabiliter Scotus, Granadus, Lessius & alii apud eundem Tann. ce. eò quòd, sicut ipsæ virtutes morales non sunt connexæ, sed quævis diversum

sum habet objectum, & difficultatem, ita nec prudentia, quæ ipsas dirigat, eadem dici debeat.

V. Q. 5. *Quomodo se Prudentia habeat ad alias virtutes?* Resp. duplicem Ordinem seu habitudinem in Prudentia cum aliis virtutibus comparata considerari posse, naturæ scilicet, & dignitatis. Si prior consideretur, tum Prudentiam quidem esse natura priorem cæteris virtutibus moralibus, quatenus hę circa particularem materiam versantur, ut sic enim Prudentia mediocritatem tenendam illis præscribit; non tamen perinde etiam prior est illis, prout in communi proprium suum finem & honestatem consectantur, ut sic enim ipsa potiùs pendet ab illis, & suppponit eas, cùm rectum agibile in particulari supponat rectum affectum judicantis circa idem agibile, &, ut S. Thomas q. 47. a. 6. loquitur, prudentiæ officium non sit præstituere finem virtutibus moralibus, sed disponere de his, quę sunt ad finem. Si verò posterior Ordo, dignitatis videlicet spectetur, Prudentiam quidem juxta S. Thomam l. c. a. 6. ad 3. reliquis virtutibus moralibus digniorem esse, eò quòd illos tum circa exercitium, quàm specificationem actus dirigat; Theologicis tamen Virtutibus dignitate cedere, eò quòd hæ habeant nobilius longè objectum, & quoad exercitium tantùm, non autem quoad specificationem dirigantur à Prudentia.

VI. Q. 6. *Quodnam sit subiectum Prudentiæ?* Resp. Proximum subjectum esse ipsum intellectum; remotum verò subjectum prudentiæ simpliciter perfectæ esse solos homines justos, cùm juxta Aristotelem l. 6. Eth. c. 12. impossibile sit prudentem esse eum, qui bonus non existat, licet enim Peccatores possint bona consilia invenire ad malum (quæ Prudentia carnalis vocatur) aut ad bonum peculiare, ad bonum tamen totius vitæ non sunt perfectè consiliativi, ut loquitur Aristoteles, quia consilium ad effectum non perducunt. Etsi verò Prudentia infusa in omnibus justis seu habentibus gratiam reperiatur; acquisita tamen & perfecta in solis senibus & viris, non autem juvenibus reperitur, eò quòd non nisi experimento & tempore comparetur, quæ in juvenibus non reperiuntur.

VII. Q. 7. *Quæ sint vitia opposita Prudentiæ?* R. 1. in genere quidem Prudentiæ Imprudentiam volut speciale

vitium opponi, ut S. Thomas q. 53. a. docet, cujus totidem sunt species, quot prudentiæ sunt assignatæ. Resp. 2. In specie de vitiis prudentiæ loquendo, per defectum eidem opponi *Præcipitationem*, quæ est inordinata quædam festinatio in consiliando: *Inconsiderationem*, quæ est negligentia in considerandis veritatibus, ex quibus rectè esset judicandum? *Inconstantiam*, quæ est mobilitas inordinata voluntatis in iis, quæ rectè judicata sunt, exequendis: *Negligentiam*, quæ est omissio diligentiæ requisitæ in actu intellectus excitantis & dirigentis voluntatem ad bonam electionem, & potentias externas ad celerem executionem. R. 3. Per excessum opponi Prudentiæ Prudentiam fucatam, quæ, etsi similitudinem habeant Prudentiæ, revera tamen talis non est; cujus sex species enumerat S. Thomas, nempe *Prudentiam carnis*, quæ finem malum sibi præstituit; bona scilicet solius corporis & carnis, propter quæ plerumque appetuntur alia bona externa. *Astutiam*, quæ est notitia seu inventio pravorum mediorum ad finem cum voluntate exequendi illa: *Dolum*, qui est executio astutiæ per verba vel facta de circumveniendum ordinata. *Fraudem*, quæ est executio astutiæ facta per sola verba: *sollicitudinem temporalium*, quæ est immoderata cura temporalium, & tripliciter contingit, nempe vel temporalia sola quærendo tanquam finem suum, vel nimio studio ea procurando, vel immoderata cura de iis, quæ eventura sunt. Quibus aliqui etiam Curiositatis vitium addunt, quæ est occupatio in vanis & inutilibus rebus ad finem honestum nihil conducentibus.

VIII. Q. 8. *Quæ media adhibenda sint ad Prudentiam comparandam?* Resp. sequentia ferè præscribi à Doctoribus. Primum est *Oratio*: nam, ut rectè advertit Salomon Prov. 16. *Cor hominis disponit viam, sed est Domini dirigere gressus eius*. Secundum est *vitæ probitas*: quia Virtutes comprimunt inordinatos motus & impetus Passionum, qui sincerum Prudentiæ judicium corrumpere solent. Tertium est *frequens Meditatio & reflexio super suos actus*: nam ut S. Ignatius docere solebat, multùm cohibet, & quasi vinculis quibusdam exuberantem naturam constringit meditatio & ccmparatio animi, & assidua, accurataque eorum, quæ cogitaveris, dixeris, egeris, commemoratio. Quartum est recur-

recursus ad alios: per hunc enim suppletur experientiæ defectus; hinc Salomon Prov. 3. dixit: *Si dilexeris audire, Sapiens eris*. Et clariùs Eccl. 8. *Narratio seniorum non te prætereat; ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum*. Quintum est *Librorum lectio*: quod medium Aristoteles Alexandro suasit dicens: Annales Patrum discute, inde enim poteris exempla extrahere, quia acta præterita dant certum documentum in futuris. Hinc Rex Alphonsus interrogatus, quibus Consiliariis maximè delectaretur? Libris respondit, à quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, audiret. Sextum est *Linguæ custodia*, per hanc enim fit, ut audire magis delectet, quàm loqui, sicque verificetur illud Prov. 5. *audiens sapiens sapientior erit*. Hinc idem Salomon Prov. 20. dixit: *Qui moderatur labia suo, prudentissimus est*.

§. III.

De Iustitiæ Virtute.

I. Pro meliori intelligentia hujus tituli notandum est Iustitiæ nomen à justo & jure derivari, quia Iustitia facit justum. Dicitur autem justum, & per Syncopen jus, quod est adæquatum & commensum suæ regulæ; unde ea virtus, quæ facit hanc commensam rationem cum sua regula justitia dicitur. Quoniam verò triplex est regula, cui se conformare debent humanæ actiones, scilicet recta cujusvis hominis ratio, lex Superioris, & denique bonum particulare cujusvis hominis. Hinc triplex quoque Iustitia exurgit. Et primæ quidem regulæ debent omnes virtutum actiones conformari, unde ut sic Iustitia complectitur omnes virtutes, & boni homines hoc sensu Iusti à S. Scriptura, & SS. Patribus vacantur. Ex secunda regula justitia legalis oritur, quæ quidem aliquo modo ad hanc, de qua nunc agetur, Iustitiam spectat, sed minùs propriè, ut infrà dicetur. Ex tertia tandem regula Iustitia particularis exurgit, de qua hoc loco sermo erit, atque adeò.

II. Q. 1. *Quid de Iustitiæ Virtute præcipuè sciendum*

sit? Resp. sequentia præcipuè. 1. Quid sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quod sit fundamentum illius. 4. Quod subjectum. 5. Quæ vitia illi sint opposita. 6. Quam obligationem trahant secum hæc vitia; ad quas quæstiones breviter hoc loco rtspondebitur; nam fusior discussio ad Theologos tam morales, quàm Scholasticos pertinet.

III. Q. 2. *Quid sit justitia?* Resp. esse virtutem moralem, quæ jus suum unicuique tribuit; per jus autem hoc loco intelligitur actio, vel omissio actionis præstanda illi, qui titulum habet ad talem actionem vel omissionem ab altero exigendam; qui quidem titulus *Ius activum*, sicut actio vel omissio præstanda Ius passivum appellatur. Ex qua definitione patet objectum materiale Iustitiæ non esse actus humanus, sed actiones ad Personam à se distinctam spectantes; formale vero objectum esse honestatem ex æqualitate inter Ius activum & passivum procurata relucentem; per hanc enim ipsa Iustitia à Iustitia legali, aliisque virtutibus moralibus distinguitur. Ac propter hanc æqualitatem sola Iustitia dicitur *medium rei*, & non *medium rationis*, ut aliæ virtutes respicere; quia licet debeat in exercitio etiam intendere ipsam honestatem operantis (in qua intentione medietas rationis consistit) hac tamen medietate non contenta, insuper ad medietatem realem ponendam tendit, dum neque minùs, neque plùs, quàm alterius jus activum requirat, præstare facit.

IV. Q. 3. *Quotuplex sit Iustitia?* Resp. 1. Partes subjectivas seu Species Iustitiæ esse duas præcipuè, *commutativam* scilicet, & *distributivam*, quæ in hoc distinguuntur, quòd illa respiciat jus alteri debitum secundùm proportionem & æqualitatem Arithmeticam, non attendendo ad qualitatem Personarum contrahentium, sed ipsius duntaxat rei pretium; ista verò respiciat jus alteri debitum secundùm proportionem & æqualitatem Geometricam, prout scilicet ipsarum Personarum conditio requirit. Resp. 2. Partes integrales Iustitiæ itidem duas esse, scilicet *facere bonum*, id est, jus suum alteri reddere; & *declinare à malo*, id est, à jure alterius violando positiva voluntate abstinere. Resp. 3. Partes potentiales Iustitiæ duplicis generis dari; nam aliquæ à vera Iustitia deficiunt defectu æqualitatis vel alteritatis, qua

quales sunt Religio, Pietas, Iustitia Legalis, (seu virtus, quæ Patriæ seu communitati jus suum tribuit) Observantia, cùm neque Deo, nec Patriæ, nec Parentibus, nec excellentibus Personis debitum cultum condignè exhibere possimus; Iustitia verò legalis etiam defectum alteritatis habeat, eò quòd pars communitatis propriè non sit distincta ab ipsa communitate. Aliæ verò deficiunt ex debiti legalis defectu à rigore Iustitiæ quia videlicet vel omnino non pariunt obligationem in altero, vel certè non talem, quæ ex stricto Iure alterius oriatur, sed tantùm ex decentia quadam & honestate ortam. Et tales sunt Gratitudo, Vindicatio, Veracitas, Affabilitas, Eutrapelia, Liberalitas, Magnificentia, & similes, de quibus in Theologia Ascetica aliquid insinuatum est.

V. Q. 4. *Quod sit fundamentum Iustitiæ?* Resp. Hoc fundamentum non aliud esse, quàm Dominium, quod, si plenum est, definitur jus disponendi perfectè de re aliqua, nisi lege quis prohibeatur; cujus variæ divisiones, & modi acquirendi apud Theologos morales videri possunt; apud Scholasticos duæ potissimùm quæstiones celebriores de hoc Dominio moventur. Prima est, an tale Dominium duobus Dominis in eodem instanti respectu ejusdem rei in solidum competere possit; ad quam quæstionem C. Lugo & Mendoza quidem affirmativè; alii tamen communiùs negativè respondent. Altera est, an Dominium in rebus primo usu consumptibilibus ab ipso usu separari possit; ad quam quidem antiquiores Theologi negativè; Recentiores tamen communiter affirmativè respondent, putantque ab ipsis etiam Pontificibus definitam esse suam sententiam.

VI. Q. 5. *Quod sit subjectum Iustitiæ?* Resp. de subjecto proximo loquendo, certum esse, Iustitiam immediatè in voluntate tamquam proprio subjecto recipi; subjectum verò remotum quod attinet, breviter dici posse, omnem & solam naturam creatam rationalem actu existentem esse capacem hujus virtutis, cùm adversus Deum nulli creaturæ propriè jus stricti competere possit, uti communiter docent Theologi; alioqui enim Deus creaturæ jus suum exigenti quodammodo subjectus & obediens esse deberet, quod sine imperfectione admitti non potest.

VII. Q. 6. *Quæ vitia sint Iustitiæ opposita?* Resp. in

genere Iustitiæ solam Injustitiam, quæ est vitium, quo alienum jus per veram injuriam violatur, opponi, in specie verò de subjectivis partibus Injustitiæ loquenndo, Iustitiæ quidem distributivæ acceptionem Personarum; commutativæ omnem læsionem sive in bonis fortunæ sive corporis, sive animi oppositam esse. Integralibus verò partibus omissio mali debiti, & illatio mali injusti opponi censetur; devitiis autem quæ potentialibus partibus Iustitiæ opponuntur, passim Theolog morales agunt, qui videri queunt.

VIII. Q. 7. *Quæ obligatio oriatur ex vitiis Iniustitiæ?* Resp. Restitutionis præcipuè, quæ prout est actus Iustitiæ commutativæ, est rei alienæ vel in se, vel in æquivalente redditio; prout autem ex delicto oritur, est reparatio læsionis juris alieni; de qua obligatione pluribus Theologi morales agunt, Scholastici verò de ea sequentes potissimùm quæstiones formant. 1. An sufficiat culpa venialis ex defectu advertentiæ ad obligationem restituendi damnum grave? ad quam quæstionem Vasquez quidem c. 2. de rest. §. 2. du. 1. Turrianus & alii affirmativè respondet, putantquè talem non positivo duntaxat jure, sed etiam naturæ ante sententiam Iudicis obligari ad restitutionem; alii tamen communius negativam tradunt sententiam, eò quòd nemo ad majorem diligentiam adhibendam obligetur, quàm quæ communiter ab hominibus ejusdem conditionis adhiberi consueuit; nec leges in contrarium citatæ aliter sint receptæ. 2. Quæritur, an ex sola intentione nocendi possit actio nociva reddi injusta, & inducens obligationem restituendi? ad quam quæstionem multi apud Lugonem d. 8. n. 24. affirmativè respondent, eò quòd intentiò verè possit facere, ut damnum sit voluntarium, atque adeò etiam inducens obligationem restituendi; licet Lessius. c. 9. n. 143. non improbabiliter contrarium doceat. 3. Quæritur, an obligatus restituere teneatur una cum re etiam fructus restituere, & quales? ad quam quæstionem respondent communiter Authores possessorem bonæ & malæ fidei teneri ad rem alienam Domino restituendam, ejusque fructus naturales, seu à sola industria non provenientes, si extent; aut si res ipsa vel fructus consumpti sunt, in quantùm ex illis ditior est factus, licet subtrahere possit expensas non tantùm necessarias, sed etiam utiles, quas dominus erga rem suam facturus fuisset, item

item mercedem proprii laboris & industriæ, uti rectè notant. Molin. Sanch. & alii communiter.

§. IV.

De Fortitudinis Virtute.

I. Q. 1. *Quid de Fortitudine præcipuè sciendum sit?* Resp. sequentia præcipuè. 1. Quid sit. 2. Quotuplex. 3. Quinam sint actus illius præcipui. 4. Quod sit subjectum illius. 5. Quæ vitia eidem opponantur. 6. Quibus mediis possit obtineri, die quibus nunc breviter agendum.

II. Q. 2. *Quid sit Fortitudo?* Resp. esse virtutem moralem, quæ motus animi in periculjs, & difficultatibus suscipiendis moderatur; seu, ut alii brevius definiunt, est considerata periculorum & laborum susceptio ac perpessio. Vnde objectum illius materiale proximum sunt passio timoris & audaciæ; remotum verò sunt actiones externæ circa labores & pericula, præcipuè mortis, quæ omnium terribilium terribilissima dicitur, versantes. Objectum verò formale est honestas specialis, quæ in sustinendo & aggrediendo supradicta pericula & labores reperitur; licet enim in exercitio Fortitudinis plerumque alterius virtutis, quam ipsa fortitudo tuetur, motivum ac finis sit annexus; hi tamen fines sunt tantùm extrinseci ac remoti respectu fortitudinis.

III. Q. 3. *Quotuplex sit Fortitudo?* Resp. 1. Cùm Fortitudo juxta S. Thomam q. 118. a. unic. sit virtus infimæ speciei, hoc ipso non habere propriè partes subjectivas seu species subjectas; quia, licet versatur circa objecta specia diversa, hæc tamen, cùm eidem rationi formali substent, specificam differentiam in Fortitudinem non refundunt. Resp. 2. Pro partibus integralibus simul & potentialibus sequentes octo Virtutes (de quibus in Theologiæ Ascеticæ Instructione actum est) videlicet Fiduciam, Magnanimitatem, Securitatem, Magnificentiam, Patientiam Longanimitatem, Perseverantiam, & Constantiam assignari; quæ quidem dicuntur partes integrales Fortitudinis, quatenus hic & nunc idem habent objectum materiale prin-

cipale, & quia multùm faciunt, imò non rarò neceſſariæ ſunt ad integrum Fortidinis officium, potentiales verò appellantur, quia, licet ſimilitudinem aliquam habeant cum Fortitudine, deficiunt tamen ab ea, quòd præcipuè exerceantur in illis materiis, quæ, ſicut minùs habent difficultatis, ita minorem quoque, quàm ipſa Fortitudo firmitatem requirunt.

IV. Q. 4. *Quinam ſint præcipui actus Fortitudinis?* Reſp. in genere quidem omnes illos actus ad Fortitudinem pertinere, quibus animum adverſus triſtitiam, audaciam, & timorem inordinatum firmamus, & eaſdem paſſiones actu reprimimus; in ſpecie tamen duos præcipuos actus ejuſdem Virtutis aſſignari, ſcilicet *ſuſtinere & aggredi*; ideo namque moderamur timorem & audaciam, vt decenter ſuſtineamus, & aggrediamur. Inter hos ipſos autem duos actus ipſum ſuſtinere ſpecialius & præſtantius eſt in Fortitudine, quam ipſum aggredi, ut docet Ariſtoteles 3. Eth. c. 9. & S. Thomas a. 6. idque ob tres rationes. 1. Quia magis plerumque laudantur, qui fortiter ſuſtinent, quam qui agunt fortiter: 2. Quia difficilius eſt cum fortior pugnare, quàm cum debiliori; atqui hoc facit is, qui tolerat, dum cum eo pugnat, qui ipſum aggreditur, atque adeò fortiorem ſe reputat eo, quem agreditur. 3. Quia ſuſtinens malum jam præſens ſentit; atqui difficilius eſt malum præſens, quàm abſens vel futurum tolerare, maximè cùm in ſimili tolerantia plerumque etiam diuturnitas temporis interveniat, quæ in aggreſſione, utpote motu repentino fieri ſolita ordinariè non reperitur. Atque ob has cauſas præſtantiſſimus jure merito actus Fortitudinis Martyrium cenſetur, quod nihil aliud eſt, quàm voluntaria mortis propter Chriſtum obeundæ acceptatio; quod fieri ſolet, non tantùm, quando quis in odium Fidei, ſed etiam quamcunque alia virtutem ad Deum aliquo modo relatam mori paratus eſt, & actu periculum ſuſcipit; hoc enim Chriſtus Matt. 5. indicavit, dum dixit: *Beati, qui perſecutione patiuntur propter Iuſtitiam*: ad Iuſtitiam autem (prout generalis eſt virtus) non ſolùm Fides, ſed etiam aliæ virtutes pertinent. Licet autem Martyrium præſtantiſſimus actus caritatis cenſeatur (quia tantò quiſque magis amare reputatur, quantò gratiora propter rem amatam contemnit, & acerbiora ſuſtinet; nihil autem eſt carius vita, quam Martyr contemnit; & terribilius morte, quam ſuſtinet) & propterea Laureolam Specialem à Deo promiſſam habeat, per hoc tamen tantùm probatur, Martyrium tanquam actum imperatum ſpectare ad caritatem; non autem prout elicitus eſt, & honeſtatem ex firmitate animi in ipſis mortis periculis retenta oriri ſolitam intendit.

V. Q. 5. *Quod ſit ſubiectum Fortitudinis?* Reſp. ſubjectum proximum, ut conſtat; eſſe ipſam voluntatem; remotum verò eſſe ſolam & unicam Perſonam rationis uſu præditam, & periculi circa bonum aliquod propter, Deum amittendum, vel malum voluntariè ſuſtinendum capacem. Vnde patet etiam Angelos in ſtatu viæ fuiſſe Fortitudinis quoad unum ſaltem alterumve Virtutis hujus actum capaces. Nec obſtat, quòd Innocentes propter Chriſtum occiſi pro Martyribus habeantur, etſi non voluntariè mortem pro Chriſto oppetierint; nam, ut S. Thomas notat, Martyrium illud non fuit actus proprius Fortitudinis, ſed per modum baptiſmi ſe habuit, in quantùm ſcilicet Chriſtus ob meritum Martyrii ſui Innocentibus illis perinde contulit palmam Martyrii, ſicut parvulis baptizatis ob eadem merita ſua gratiam baptiſmalem conferre ſolet.

VI. Q. 6. *Quæ vitia Fortitudini opponantur?* Reſp. tria quidem à S. Thoma q. 125. numerari, ſcilicet *Timiditatem*, qua inordinatè timentur pericula mortis: *Intimiditatem*, quæ eſt vacuitas juſti timoris: & *Audaciam*, qua quis periculum aliquod aggreditur quod ſecundùm rectam rationem, vel omnino non, vel certè non eo modo aggredi deberet; verùm Cajetanum ad quæſt. 107. a. 2. his tribus vitiis etiam quartum, ſcilicet *Ignaviam* ſuperaddere utpote quæ non ſemper ſequitur ex timore (ob quam cauſam S. Thomas & Ariſtoteles, ut putat idem Cajetanus, eam inter vitia diſtincta non numerabant) ſed quandoque etiam ex innata quadam animi parvitate oriatur, atque adeò meritò diſtinctum à Timiditate vitium conſtituat. Et hæc quidem vitia directè ipſi Fortitudini opponuntur. Loquendo verò de partibus potentialibus illius, Magnanimitati quidem & Magnificentiæ per exceſſum Præſumptio; Ambitio, & Inanis gloria, per defectum autem Puſillanimitas opponitur

uti &

uti & Fiduciæ & securitati per excessum nimia præfidentia ; per defectum verò nimia diffidentia : *Patientiæ* & Longanimitati per excessum Impatientia , per defectum Insensibilitas : & Perseverantiæ denique per excessum Pertinacia , per defectum mollities animi seu inconstantia , qua quis facilè mutat propositum vel tædio difficultatis , vel diuturnitatis.

VII. Quæst. 7. *Quibus mediis utendum sit ad Fortitudinis virtutem obtinendam ?* Resp. sequentibus præcipuè . 1. *Ardenti desiderio :* nam , ut bene advertit S. Laurentius Iustin. de casto connub. c. 3. magna vincendi pars est vincendi desiderium , hoc namque vires auget , cor attollit , debilitat Adversarium , laborem temperat , exhilarat mentem , disponit ad gratiam , & Deo amabilem reddit . 2. *Ferventi oratione :* nam , uti S. Prosper l. 3. de vit. contempl. c. 20. rectè dixit , hæc animi Fortitudo ab illo est nobis , cui cum Propheta cantamus : *Fortitudo & Laus mea Dominus , & factus est mihi in salutem* . 3. *Vita bona ;* nec enim aliter vincemus , inquit S. Chrysostomus ho. 6. in gen. quàm si per vitam optimam supernum nobis auxilium conciliemus . 4. *Correctione Phantasiæ* , qua adversitates ut malum apprehenduntur ; nam , ut bene Epictetus c. 10. Enchir. advertit , homines non perturbantur rebus , sed iis , quas de rebus habent opinionibus . Verbi causa : mors malum non est : alioqui enim & Socrati sic visum esset : sed opinio de morte , quæ malam eam facit . 5. *Amore Dei* : nam fortis est , ut mors , dilectio . Cant. 8. Et , ut pius Asceta l. 2. c. 5. ait , amor IESV nobilis ad magna operanda impellit , & ad desideranda semper perfectiora excitat : onus non sentit , labores non reputat , plùs affectat , quàm valet . 6. *Exemplis Sanctorum consideratis* : si enim ille & illi potuerunt , cur nos non possimus cum eodem Dei adjutorio .

§. V.

De Temperantiæ Virtute.

I. Quæst. 1. *Quid de Temperantiæ Virtute præcipuè sciendum sit ?* Resp. sequentia præcipuè . 1. Quid sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quæ vitia eidem opponantur . 4. Quod sit subjectum

jectum illius . 5. Quibus mediis obtineri queat , de quibus nunc breviter agendum est .

II. Quæst. 2. *Quid sit temperantia ?* Resp. esse virtutem moralem moderatricem earum Passionum , quæ circa delectationes corporis in usu cibi , & potus , & venereorum versantur . Vnde objectum illius materiale sunt dictæ delectationes ; formale verò honestas , quæ in moderatione passionum circa easdem delectationes relucet .

III. Quæst. 3. *Quotuplex sit Temperantia ?* Resp. 1. Partes illius subjectivas seu species , tres potissimùm numerari , scilicet *Abstinentiam* , quæ delectationes circa cibum : *Sobrietatem* , quæ delectationes circa potum : & *Castitatem* , quæ delectationes circa Venerea moderatur . Resp. 2. Pro partibus integralibus ipsi *Verecundiam* (quæ hoc loco sumitur pro virtute inclinante ad horrorem & timorem illius turpitudinis , quæ honestati Temperantiæ adversatur) & *Honestatem* , quæ est virtus inclinans ad amorem illius decori , quod in operibus Temperantiæ elucet . Resp. 3. Pro partibus potentialibus eidem Fortitudini assignari *Continentiam* (prout est virtus inclinans ad firmum propositum voluntatis continendi se in bono rationis contra impetus malorum passionum , maximè concupiscentiarum Venerarum , ne ab iis per consensum voluntas abripi se sinat) *Clementiam* (sub qua etiam Mansuetudo venit) quæ est virtus ad modum rationi congruum in punitione adhibendum inclinans , & *Modestiam* , per quam moderatio in affectibus minorem difficultatem habentibus intelligitur , & in varias species subdividitur ; vel enim reprimit appetitum excellentiæ , & tunc *Humilitas* vocatur ; vel appetitum sciendi , & tum *Studiositas* appellatur ; vel componit motus externos in corpore , & tunc si in seriis id facit , *modestia morum* , si in ludricis , Eutrapelia nominatur ; vel denique componit externum apparatum in vestibus , suppellectili &c. & tunc *Modestia cultus* , seu , ut alii vocant , *Simplicitas* resultat , ad quam *Paupertatis virtus* , sicut & ad Modestiam morum *Taciturnitas* reduci potest .

IV. Quæst. 4. *Quæ vitia Temperantiæ sint opposita ?* Resp. in genere quidem Intemperantiam eidem opponi ; in specie verò Continentiæ Incontinentiam , Abstinentiæ Gulam Sobrietati

Universidad de Sevilla Biblioteca

etat i Ebrietatem, Modestiæ Immodestiam, & sic de reliquis partibus potentialibus loquendo, opponi.

V. Q. 1. *Quod sit subiectum Temperantia* ? Resp Proximum esse ipsam voluntatem : re motum verò omnem hominem rationis capacem, saltem respectu plerarumque virtutum ad Temperantiam Spectantium, nam Clementia in Solis Superioribus potestatem puniendi habentibus reperitur.

VI. Q. 6. *Quibus mediis hæc virtus obtineri possit* ? in Resp. sequentibus præcipuè. 1. *Diffidentia* in propriis viribus, & refugio ad Deum per orationem ; sic enim Salom. Sap. c. 8. indicavit, dum dixit : *Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens ; nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum, adii Dominum, & deprecatus sum*. 2. *Meliorum delectationum*, scilicet Spiritualium, quæ ex Deo hauriuntur, *prosecutione* ; nam, ut S. Augustinus l. 6. de Music. c. 11. dixit : *Mente in spiritualia suspensa, atque ibi fixa & manente, consuetudinis impetus frangitur. & paulatim repressus extinguitur*. 3. *Novissimorum consideratione* : sic enim Siracidem c. 7. suasit dicens : *In omnibus operibus* (& tentationibus) *memorare novissima* (id est, tristem exitum) *& in æternum non peccabis*. 4. *Generosa victoria* : nam hic maximè locum habet illud pii Ascetæ l. 1. c. 25. *Tantùm proficies* (in virtute Temperantiæ) *quantùm tibi vim intuleris*.

VII. Q. 7. *Quis fructus hauriendus sit ex hac de virtutibus moralibus materia* ? Resp. duplicem præcipuè hauriendum esse. Primus est, ut magnificare & amare discat Theologus has virtutes ; si enim Artifex amat instrumenta, quibus Artem suam expeditiùs exercere, magnumque lucrum facere potest : si miles diligenter conservat, & custodit arma, quibus contra hostes corporales se defendere queat ; quantò magis quivis homo virtutes morales. quæ sunt & optima Instrumenta ad artem quæstuosissimam, & honestissimam amandi Deum excercendam, & potentissima tela adversus spirituales animæ hostes, magni æstimare, summoque studio conservare, & perficere debet. Secundus fructus est. ut, cùm tantopere sponsæ hujus mundi studeant ; pulcherrimos vniones & gemmas comparare, quibus se ornare,

uare ; Sponsoque suo se amabiliores efficere queant, tantò majori studio anima Christiana & per Caritatem Deo desponsata præciosissimas has virtutum moralium gemmas desideret, & consectetur, quantò dignior est Sponsus, cui placere capit : & quantò præstantiores sunt gemmæ, quas quærere debet, & verò etiam pro voto potest.

CAPVT IV.

De Variis statibus hominum.

POst media ad beatitudinem tamquam finem ultimum obtinendum necessaria, S. Thomas ad varios Status Hominum explicandos progreditur, & quæ cuivis propria sint, sat fusè explicat, quæ, licet in scholis hodie ob brevitatem temporis vix attingantur, quia tamen impressi Authores, & præcipuè Suarez post S. Thomam de hac materia disputant, non videntur ea, quæ ibi differunt, omnino ignoranda Sacerdoti. Quare tria breuiter hoc capite dicentur. 1. Quid & quotuplex sit status in genere. 2. Quid de Clericali statu præcipuè sit sciendum. 3. Quid de Religioso statu sciendum sit.

ARTICVLVS I.

De Statum in genere.

I. Q. 1. *Quid sit Status* ? Resp. eum nihil aliud esse, quàm constantem & immobilem conditionem hominis : sicut enim *efficium* dicitur per comparationemm ad actum ; & *gradus* secundùm ordinem Superioritatis vel inferioritatis, ita *Status* consideratur secundùm *immobilitatem* conditionis. Vnde ea, quæ facilè variantur, v. g. divitiæ, paupertas, non constituunt statum.

II. Q. 2. *Quotuplex sit status* ? Resp. 1. In genere dividi in *Laicum* & *Ecclesiasticum* : iste desumitur ab obligatione, quà homines speciali ratione Deo obligantur ; ille ab oppositа libertate ; qui proinde dividitur in Statum. Virginum Viduarum, & Conjugum, sicut Ecclesiasticus quoque subdividitur in *Clericalem* simpliciter, eumque vel *curatum* vel non curatum, & *Religiosum*, de quo plura a. 3. dicentur

Resp.

Resp. 2. Aliam quoque Status in genere distinctionem esse, qua dividitur in Statum perfectionis, & eum, qui, non est Status perfectionis; in Statu perfectionis esse dicuntur ii, qui se cum aliqua solemnitate obligant ad ea, quæ sunt perfectionis, perpetuò sectanda; & tales sunt Episcopi & Religiosi, cum hoc tamen discrimine, quòd Episcopis perfectio conveniat tanquam *Perfectioribus*, ut loquitur S. Thomas, atque adeò hi supponantur perfectionem jam assecuti; Religiosis verò tanquam perficiendis, seu in via ad perfectionem constitutis attribuatur. Reliqui omnes non sunt in Statu perfectionis, uti clarè indicavit S. Dionysius c. 5. Eccl. Hier. dum ait: *Pontificum quidem ordo consummativus est, & perfectivus; Sacerdotum autem illuminativus, & lucidativus, ministrantium verò purgativus & discretivus est.*

III. Quæst. 3. *Quis ex his Statibus sit perfectior altero?* Resp. cum S. Thoma q. 184. a. 7. & 8. primùm Statum quoad dignitatem esse Episcopalem statum, quia, ut dictum est, iste jam supponitur actu perfectionem possidere. Proximus est Clericorum Sæcularium Curatorum, quia difficilius est bene conversari cum cura animarum in sæculo propter exteriora pericula, & præterea officium omnium divinorum proximum est cooperari Deo in salutem animarum. Tertius denique est Religiosorum, qui Clerici non sunt, aut animarum curam non habent, si enim hæc habeant, tunc absolutè perfectior est censendus Religiosorum status, cum & in cura animarum æquivaleant, & quoad ipsum statum, vi cujus se obligant ad perfectionem sectandam, digniores illis existant. Inter ipsas autem Religiones ea est præferenda alteri, quæ vel finem habet nobiliorem; vel certè, si finem etiam eundem habet, aptiora saltem media adhibet ad finem talem consequendum. Vnde communiter vita contemplativa activæ, & mixta utrique præfertur.

ARTICVLVS II.

De Clericali Statu?

I. Quæst. 1. *Quid sit Clericalis Status?* Resp. eum nihil aliud esse, quàm talem statum, qui, ut ipsum nomen præsefert,

sefert, in sortem Domini assumptus, nec tamen ad religiosa vota obligatus est; de hoc enim solo hic agitur, prout scilicet à Religioso statu distinguitur.

II. Q. 2. *Quotuplex sit Clericalis status?* Resp. In genere duplicem esse, *Curatum* scilicet seu animarum curam gerentem; & non *Curatum*; quorum prior iterum subdividitur in Episcopalem, & non Episcopalem; & Episcopalis quidem in Papatum, Patriarchatum, Archiepiscopatum, & Episcopatum simplicem iterum dividitur; Non Episcopalis verò in Parochorum, Vicariorum, & Cooperatorum.

III. Q. 3. *An Curati Clerici licitè possint Gregem suum deserere?* Resp. cum S. Augustino in ep. 180. ad Honorium, ubi sic loquitur. *Fugiant de civitate in civitatem servi Christi, quando eorum quisque à Persecutoribus specialiter quæritur, ut ab aliis, qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia. Cùm autem omnium est commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent. Si enim perniciosum est Nautam in tranquillitate navem deserere, quantò magis in fluctibus?*

IV. Q. 4. *An Clerici Curati possint cum vel sine licentia Episcopi ad Religionem transire?* Resp. 1. Certum esse, quòd cum licentia Episcopi id possint, cùm nullo peculiari voto ad curam animarum obligentur, sicut ipsi Episcopi obligantur. Resp. 2. Quòd si quis non petita Episcopi licentia Religionem profiteatur bona fide ac pietatis, Studio, revocari ab Episcopo non debere; secus foret, si ex levitate Religiosum Ordinem fuisset amplexus, & Professionem necdum feciisset, uti ex Glossa in cap. Datæ sunt q. 19. q. 2. colligitur.

V. Q. 5. *An Clericus Religionem ingressus, si Vicarium substituat, tempore Novitiatus gaudeat redditibus, qui sustentationi & Salario Vicarii sunt superflui?* Resp. etsi, nonnulli putent cum Glossa in cap. *beneficium*, eos ad Ecclesiam, quam habuit, pertinere, probabiliùs tamen Tannerum d. 6. q. 3. dub. 5. n. 142. cum aliis docere, quòd ad ipsum Novitium pertineant.

AR-

ARTICVLVS III.

De Religioso Statu.

I. Q. 1. *Quid sit Religiosus Status?* Resp. esse Fidelium ad divinæ caritatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ castitatis, paupertatis, obedientiæ, stabilem in communi vjvendi modum, ab Ecclesia approbatum. Vnde colligitur, non requiri ad hunc statum solennitatem votorum, seu, ut ab Ecclesia & Religiosis Superioribus acceptentur, & Religio vicissim obligetur ad Religiosum tanquam membrum suum alendum gubernandum, ac retinendum, nisi propter incorrigibilitatem ejici mereatur: neque regulam etiam esse de essentia illius; sed præcisè ad valorem Professionis tres sequentes conditiones requiri. 1. Vt annus decimus sextus completus sit, & anni spatium in Novitiatu consumptum. 2. Consensus & acceptatio Superioris legitimi. 3. libertas in professione edenda, ipsaque postea tria vota substantialia actu voveantur, quorum trium votorum necessitatem S. Thomas pulchrè sic ostendit, quia Religiosus status tripliciter considerari potest. 1. Quatenus est quædam via & exercitatio tendens ad perfectionem caritatis, & sic necesse est removeri ea, quæ hominem impediunt, quò minùs totaliter feratur in Deum, qualia sunt cupiditas exteriorum bonorum, quæ per votum paupertatis tollitur: concupiscentia sensipilium, ac præsertim venereorum voluptatum, quæ per votum castitatis excluditur: & inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. 2. Considerari potest, quatenus est quædam renunciatio sæculi removens à mente hominis exteriores sollicitudines, quales sunt dispensatio bonorum exteriorum, gubernatio Vxoris & Familiæ, & dispositio proptiorum, actuum; quæ itidem, vt patet, per tria vota religiosa removentur. 3. Quatenus est quoddam holocaustum, quo quis se & sua totaliter offert Deo, & sic necesse est, ut omnia bona sua scilicet extetiora, corporis & animæ abdicentur per eadem tria religiosa vota.

II. Q. 2. *Quotuplex sit Status Religiosus?* Resp. in genere triplicem esse. Primus est eorum, qui vitam activam, id est, in Spiritualibus vel corporalibus misericordiæ operibus occupatam cum Martha profitentur. Secundus est eorum, qui vitam Contemplativam & soli propriæ saluti cultuique divino vacantem elegerunt; & si quidem in solitudinem vivunt, *Anachoretæ*; si autem in communitate *Monachi* vocantur. Tertius eorum, qui vitam mixtam susceperunt, suæque ac æternæ saluti invigilant, & hi communiter Clerici regulares appellantur. Aliqui quintuplicem Statum Religiosorum assignant. 1. *Monachalem*, qui per se ad solum cultum divinum ordinatur. 2. *Mendicantem*, qui & vitam mixtam profitetur, & paupertatem vovet excludentem Dominium bonorum immobilium in communi possidendorum. 3. *Clericalem*, qui per se ad divina mysteria circa proximos exercenda institutus est. 4. *Militarem*, qui per se ad militandum pro Ecclesia & Patria ordinatur, etsi castitatem tantùm coniugalem voveat 5. *Hospitalem*, qui per se ad hospitalitatem erga Peregrinos vel Infirmos exercendam introductus est.

III. Q. 3. *Ad quid obligentur Religiosi ratione suæ Professionis?* Resp. ad sequentia. 1. Vt nihil habeant proprium ob votum paupertatis; cui tamen non repugnat, si possideant aliquid ad nutum Superiorum revocabile, Si tamen Religioso beneficium Ecclesiasticum administrandum detur, probabile est, validas esse, non tamen licitas donationes in usus, non pios. 2. Vt non externa tantùm, sed etiam interna voluptate Venerea abstineant ratione voti Castitatis. 3. Vt omnia, quæ Superior secundùm Regulas & Constitutiones Ordinis præcipit, impleant ratione voti obedientiæ. Contra hoc tamen Votum non peccatur per Regularum transgressionem, si sub peccato non obligent.

IV. Q. 4. *Quinam intrare Religiosum Statum queant?* Respond. 1. Omnes, qui non sunt vinculo matrimoniali reali (ut Conjuges) aut Spirituali (ut Episcopi) aut alio impedimento (qualia tamen non sunt repugnantia Parentum, & variæ promissiones ac obligationes etiam juramento firmatæ, ut docet Tann. d. 6. qu. 3. dub. 5. num. 139. excepta obligatione servitutis & rationum vel debitorum gravium) obstricti. Respond. 2. Ad strictiorem Religionem transire

posse quemvis Religiosum post petitum (licet non obtentam) licentiam, si quidem Constitutiones propriæ speciali-ter id non vetent.

V. Quæst. 5. *Ad quid Fugitivi vel Ejecti tentantur?* Resp. 1. Si sint Professi, eos suis Votis post Ejectionem vel Fugam perinde ut antè obstrictos manere, licet quoad alias observantias religiosas penitùs liberi sint, tutoque in sæculo manere queant, si in Monasterio non recipiantur. Resp. 2. Fugitivos & Apostatas non modò ipsos redire debere, sed etiam à Superioribus inquiri & recipi, si non omnino sint in corrigibiles.

PARS III.

DE INCARNATIONE CHRISTI ET SACRAMENTIS.

REspondet hæc pars tertiæ parti S. Thomæ, in qua de Incarnatione Christi, & Oeconomia Verbi divini, & Sacramentis, per quæ status gratiæ amissus iterum recuperatus est, agit. Vnde & hæc tota materia tribus Capitibus absolvetur, quarum prima de Incarnatione; secunda de Oeconomia Christi, id est Vita & morte illius, de qua vix aliquid dictatur in Scholis; tertia de Sacramentis aget.

CAPVT I.

De Incarnatione Christi.

TOta hæc materia, dignissima sanè, quæ à quovis Sacerdote cognoscatur, tribus potissimùm articulis absolvi potest quorum primus de substantia: secundus de causis: tertius de effectibus Incarnationis tractabit.

AR-

ARTICVLVS I.

De substantia Incarnationis.

De hac tres præcipuè quæstiones formari solent à Theologis Scholasticis, nempe an sit; quid sit, & an conveniens aut necessaria fuerit ad salutem generis humani, quæ tres quæstiones, quia plures alias particulares in se continent, rectiùs distinctis §§. deciduntur.

§. I.

An sit Incarnatio.

I. Quæst. 1. *An de facto detur Incarnatio?* Resp. affirmativè; sic enim & S. Scriptura asserens Verbum carnem factum esse; & varia Symbola ac Concilia; & unanimis SS. Patrum consensus docent.

II. Quæst. 2. *An possit hoc mysterium, abstrahendo à revelatione, perfecta notitia cognosci, aut evidenti aliqua ratione demonstrari?* Resp. cum communi Theologorum negativè; eò quòd nec à priori per claram & quidditativam cognitionem cognosci queat Verbi divini existentia, & omnipotentia Dei, ac potentia Obedientialis Creaturarum, à quibus talis demonstratio à priori dependet; nec à posteriori utpote ens supernaturale quoad substantiam demonstrari queat, & ideo frequenter à S. Scriptura mysterium inenarrabile, incomprehensibile, Sacramentum absconditum à sæculis vocetur.

III. Quæst. 3. *An saltem possibilitas Incarnationis coniecturaliter & probabiliter per solum lumen naturæ cognosci queat?* Resp. ita quidem existimare C. Lugonem, dum putat, Angelum hoc ipso, quòd Christi Humanitatem comprehensivè cognoverit, & in ea subsistentiam creatam non viderit, suspicari potuisse, ne fortè eadem Humanitas per divinam subsistentiam subsistat; sed contrarium communiter docent reliqui Authores asserentes tum sublime esse hoc mysterium, ut Angelus potiùs sibi persuadere potuisset, Humanitatem

Christi aut sine omni subsistentia subsistere per miraculum, aut certè sibi concursum ad eam cognoscendam negari.

IV. Q. 4. *An saltem, suppositâ revelatione Incarnationis haberi possit de ea evidens, licet imperfecta cognitio?* Resp. affirmativè ex communi, quia non apparet ratio, cur homini aliquid affirmanti actu naturali assentiri valeamus, & non perinde etiam Deo, quid nec falli, nec fallere potest, mysterium Incarnationis revelanti assensum præbere possimus.

V. Quæst. 5. *An impossibilitas Incarnationis lumine naturali demonstrari queat?* Resp. negativè ex communi Authorum sensu; eò quòd verum vero non repugnet, atque ad eò nullum falsum (quale etiam est Incarnationem esse impossibilem) demonstrari queat vera & evidenti demonstratione.

ARTICVLVS II.

Quid sit Incarnatio.

I. Q. 1. *Quid sit Incarnatio?* Resp. esse conjunctionem divinæ & humanæ Naturæ in eadem Persona; seu productionem unionis inter Humanitatem ex Virgine natam, & subsistentiam Verbi divini.

II. Quæst. 2. *Quid sit terminus Incarnationis?* Resp. 1. Terminum partialem illius esse unionem hypostaticam supernaturalem ac substantialem, vel realiter modaliter, ut communiùs hodie sentiunt Doctores; vel certè formaliter, ut alii contendunt, distinctam. Resp. 2. Terminum totalem esse Christum, seu compositum ex humanæ Naturæ cum Verbi subsistentia conjunctione resultans.

III. Quæst. 3. *Quæ sint extrema Vnionis Hypostaticæ?* Resp. 1. Ex parte subsistentiæ solam Verbi subsistentiam terminare Vnionem istam, uti de fide certum est. Resp. 2. Ex parte Humanitatis probabiliter ex Suar. & aliorum sententia omnes & singulas partes *ut quod*, atque adeò omnes quatuor humores, ungues, dentes, capillos fuisse Verbo unitos; eò quòd hæ omnes partes ad integritatem corporis pertinere videantur, atque adeò meritò credatur, Verbum ut integrum corpus, sic & partes hos integrales assumere voluisse.

luisse. Resp. 3. Probabiliùs etiam illum sanguinem, qui in triduo mortis Christi effusus fuit, ab eoque in resurrectione iterum assumptus est, fuisse Verbo hypostaticè unitum, cùm non major sit ratio, cur cadaver unitum manserit, quàm ipse ille sanguis.

IV. Q. 4. *An de possibili Verbum etiam Naturam irrationalem aut Angelicam assumere, potuisset?* Resp. affirmativè ex communiori sententia, quia hæ omnes Naturæ sunt capaces effectus formalis, quem subsistentia divina tribuit, scilicet ut fiant incommunicabiles alteri supposito; ob quam rationem communiùs hodie contra Valentiam & alios docent Recentiores, nullum accidens à Verbo assumi potuisse.

V. Quæst. 5. *Quo ordine partes Humanitatis, & ipsa Humanitas à Verbo assumpta fuerint?* Resp. 1. Ordinem temporis spectando, simul omnes fuisse, eodem instanti assumptas à Verbo, uti expresè in Concilio Constantiensi quinto can. 2. definitum est. Resp. 2. Ordine dignitatis, & intentionis primò assumptam fuisse ipsam Humanitatem (utpote propter quam ipsæ partes assumptæ sunt) deinde animam, (quam velut meriti capacem meritò ante corpus intendit Deus) & postremò corpus & unionem. An verò prius natura etiam assumpta fuerit Humanitas, quàm partes illius, controversia est inter Theologos, in qua Vasquez & alii affirmativam, alii non minus probabiliter negativam tenent partem.

ARTICVLVS III.

De Convenientia & necessitate Incarnationis.

I. Quæst. 1. *An conveniens fuerit Incarnatio?* Resp. ex omni parte & sub omni respectu convenientem fuisse. Nam 1. Conveniens fuit respectu Dei, quia ex illa perfectiones Dei plùs, quàm ex ullo alio opere relucebant. 2. Pariter respectu Verbi conveniens erat, quia decentissimum fuit, ut immutabilis & naturalis imago Patris humanum genus ad imaginem Dei factum, & per peccatum corruptum pristino suo nitori restitueret; & ut Filii adoptivi & hæredes regni cœlestis per eum efficerentur homines, qui est Filius naturalis æter-

æterni Patris ? 3. Naturæ quoque humanæ conveniens erat, quia decebat, ut sicut homo Deum offenderat, sic homo quoque satisfaceret; Sed & major confusio Dæmonis erat, si ab ea Natura, quam vicerat, vinceretur. Et præterea tota humana Natura, quantùm est in se, ceciderat, & maxima ex parte per alienam voluntatem, quæ omnia, simul in Angelica Natura non reperiebantur, ita vel maximè suadebant, ut humana potiùs, quàm Angelica Natura assumeretur. 4 Conveniens quoque erat respectu totius universi, quia sic auctum fuit nobilissimo entis genere, & Natura duplici in una subsistentia subsistente, quæ non minus sunt possibiles, quàm una Natura tribus subsistentiis, subsistens. 5. Denique in ordine ad genus humanum reparandum conveniens erat, quia sic misericordia & justitia obviaverunt sibi, ut jam olim S. David Ps. 44. prædixerat.

II. Quæst. 2. *An moraliter fuerit necessaria Incarnatio, ita ut à parte rei quidem omitti potuerit, nunquam tamen omittenda fuerit?* Resp. ita quidem sentire Granadum & Ruiz fusissimè probantes Deum semper facere, quod optimum est, ita ut physicè quidem, non tamen moraliter aliud facere queat. Contrariam tamen sententiam cum Suar. Vasq. Lug. communiter à Recentioribus teneri.

III. Quæst. 3. *An physicè fuerit necessaria Incarnatio, ita ut sine ea genus humanum redimi non potuisset?* 2. Resp. affirmativè ex communi sententia Theologorum contra nonnullos antiquos existimantes posse quemvis hominem purum pro suo peccato satisfacere. Probatur autem sententia partim ex S. Scriptura, partim ex SS. Patribus passim dicentibus necessariam fuisse Incarnationem ad genus humanum redimendum; partim quia nullus homo purus satisfacere potuisset pro peccato, quia vel offensa est infinitè gravis, ut Mendoza, Conincк & alii voluerunt; vel quia Deus offensus est infinitæ dignitatis, Persona verò satisfaciens finitæ duntaxat; ut S. Thomas Suar. & communiter Recentiores docent; vel quia omnis satisfactio puri hominis supponit partem debiti jam condonatam, uti Vasquez d. 2. c. 5. & alii ab eo computant.

IV. Quæst. 4. *An Incarnatio Christi sufficiens fuerit ad condignam satisfactionem pro genere humano præstandam?* Resp. affirmativè ex communiori Theologorum sententia, eò quòd merita, Christi ob dignitatem infinitam Personæ infiniti sint valoris; licet contrarium Scotus cum aliis non omnino improbabiliter doceat.

V. Quæst. 5. *An Incarnatio Christi fuerit actus rigorosæ Justitiæ?* Resp. 1. Deum juxta communiorem quidem sententiam Vasq. & aliorum non potuisse obligari ex justitia ad debitum humano generi remittendum, quia sic alteri tribueret jus adversum se, quod sine imperfectione non videtur admitti posse; contrarium tamen non improbabiliter etiam Suar. Valent. Arriag. & alios tueri. Resp. 2 ex aliqua parte probabilius dici Christi satisfactionem fuisse actum rigorosæ justitiæ, quatenus scilicet homo veram Deo injuriam intulit, ejus honorem lædendo, & sic Christus ex justitia hunc honorem reparare potuit, & reparavit, uti rectè plerique contra Vasquez docent.

CAPVT II.

De Causis Incarnationis.

DE Finali potissimùm & efficiente tam physica, quàm morali hoc loco sermo est; nam cum nulla forma *ut quod* pro altero extremo, sed sola subsistentia Verbi habeatur, hoc ipso propriè dicta causa materialis & formalis dari non potest.

ARTICVLVS I.

De causa finali Incarnationis.

I. Quæst. 1. *An redemptio generis humani fuerit finis totalis & adæquatus Incarnationis?* Resp. Ita sentire communiorem sententiam cum S. Thoma & tota sua schola, ac meritò, eò quòd conformior sit hæc sententia, tum SS. Patribus, tum S. Scripturæ passim affirmantibus, Christum venturum non fuisse, nisi Adamus peccasset; responsio verò Scotistarum & aliorum asserentium Deum Incarnationem quoad substantiam decrevisse propter suam gloriam, & quoad mo-

dum duntaxat propter hominum Redemptionem, sine sufficienti fundamento excogitata videatur.

II. Quæst. 2. *An si sola peccata actualia sine originali fuissent commissa, Christus adhuc venturus fuisset?* Resp. iterum cum communiori negativè; quia tunc principale motivum cessaret, quod est afferre remedium generi humano per Adamum lapso. Qui tamen non motivo principali cum Scotistis gloriam Dei statuunt, consequenter etiam hoc loco affirmativam tuebuntur sententiam.

III. Quæst. 3. *Quis ordo decretorum in Christi Incarnatione, hominumque propter ipsius merita facta prædestinatione statuendus sit?* Resp. varias esse in hoc ordine statuendo sententias, prout scilicet quivis diversum finem adæquatum Incarnationi statuit; unde quia tales ordines non nisi magnis ambagibus referri possunt; rectiùs omnino omittuntur.

ARTICVLVS II.

De causa Efficiente physica Incarnationis.

I. Quæst. 1. *An præter Deum alia fuerit causa efficiens principalis Incarnationis?* Resp. cum communi omnium Theologorum negativè; eò quòd nulla creatura per modum causæ principalis ens supernaturale, quale est unio hypostatica, producere possit.

II. Q. 2. *An tota SS. Trinitas Incarnationem physicè produxerit?* Resp. affirmativè, quia juxta commune Theologorum dogma, opera ad extra toti Trinitati sunt communia; tale autem est ipsum etiam opus Incarnationis.

III. Q. 3. *An B. Virgo saltem instrumentaliter concurrerit ad unionem hypostaticam producendam?* Resp. affirmativè SS. Ambrosius & Bernardus, eò quòd hæc opinio B. Virginis dignitati & Maternitati sit conformior; non improbabiliter tamen id negant Suar. Tann. & alii.

IV. Quæst. 4. *An etiam Christi Humanitas fuerit causa efficiens, instrumentalis Incarnationis?* Resp. negativè ex communi sententia, si de prima productione unionis hypostaticæ sit sermo; cùm, ut supra dictum est, in variis Conciliis definitum sit, Christum non prius extitisse, quàm fuerit homo; & in Concilio Constantiensi quinto pariter definitum sit, nec Humanitatem prius tempore, quàm vnionem extitisse. Si tamen de conservatione unionis hypostaticæ sit sermo, Tannerus n. 227. du. 5. cum Suarez putat, sine absurdo concedi posse, Humanitatem instrumentaliter concurrere ad istam vnionem, si enim B. Virgini conceditur hoc priuilegium à SS. Patribus, ut priori numero dictum est, quantò magis Humanitati Christi concedenda erit.

ARTICVLVS III.

De causa morali Incarnationis.

I Q. 1. *An Christus meruerit suam Incarnationem?* R. 1. Christum non meruisse suam Incarnationem, nec mereri potuisse ullo merito antecedente; Ita communiter Theologi sentiunt, & meritò, quia merita Christi acceperunt suam dignitatem ab ipsa unione hypostatica, atque adeò eandem supponunt ut existentem. Resp. 2. Operibus unionem consequentibus Christum neque de congruo mereri potuisse suam Incarnationem (cùm intrinseca radix meriti non possit cadere sub meritum) operibus tamen unionem ratione antecedentibus, potuisse quidem de absoluta potentia de congruo mereri Incarnationem, de facto tamen non meruisse, quia non apparet ulla necessitas dicendi, quòd Deus immutaverit naturæ ordinem, qui requirit, ut operationes à principio substinere procedant, atquè adeò ipsa etiam subsistentia supponatur ad operationem, atque ita Suarez apud & cum Tann. n. 143. discurrit: qui etiam uterque concedit, Christum saltem quoad circumstantias (saltem, quæ consecutæ sunt Incarnationem) promeruisse unionem hypostaticam, id quod Vasquez etiam de antecedentibus concedit. Resp. 3. Christum probabiliter saltem continuationem unionis, ejusque extensionem ad partes materiæ per nutritionem acquisitas; item restitutionem unionis deperditæ per mortem, promeruisse, uti iterum Tann. n. 249. cum Suar. docet, eo quòd doceat, ut Christus, quæ Incarnationem consecuta sunt, potiùs per meritum obtineret, quàm sine illo; addit tamen

men Tannerus hoc non adeò certum esse, eò quòd illa omnia connaturaliter fuerint debita unioni hypostaticæ.

II. Q. 2. *An B. Virgo meruerit Incarnationem* . 2. Resp: I. Certum esse apud Theologos , B. Virginem non meruisse Maternitatem suam de condigno , quia ipsius merita sufficienter per gratiæ sanctificantis præmium erant compensata . Resp. 2. Certum quoque videri , B. Virginem fuisse condignè dispositam ad Maternitatem ; hoc enim ad minimum locutiones Patrum & Ecclesiæ indicant , dum ajunt, eam meruisse matrem Dei fieri . Resp. 3. probabiliter eam etiam de congruo meruisse suam Maternitatem , uti Tann. n. 252. citans Suar. Valent. , & plures alios , addensque esse communem Theologorum , docet ; Et meritò ; hoc enim illa Angeli verba Luc. 1. *Invenisti gratiam apud Deum , ecce concipies & paries Filium* . Et illa Ecclesiæ : *quia quem meruisti portare &c.* indicant. Nec obstat, quòd Christus ipsis Matri Maternitatem meruisse dicatur ; nam hoc ut P. Haunoldus l. 4. Tr. 1. c. 7. contr 2. n. 358. fusè ostendit. de merito compensativo intelligendum esse , quatenus scilicet Christus suis meritis futuris , & à Deo prævisis movit Deum vt anticipata solutione daret B. Virgini auxilia supernaturalia ad promerendam Maternitatem necessaria . Non desunt tamen , qui negant cum Lugone & Arriaga B. Virginem meruisse Maternitatem , ideoque docent , Christum a Deo prævisum , quatenus in Cruce moriens à solo Deo miraculosè conservabatur & dependebat , meruisse ut sic Maternitatem Matris suæ , suamque existentiam in infantili ætate .

III. Q. 3. *An Progenitores Christi Incarnationem Christi meruerint* ? Resp. Authores eodem modo de his discurrere , sicut priori capite de B. Virgine responsum est , nempe de congruo quidem probabiliter eos meruisse Incarnationem (uti communius sentiunt TT. cum S. Thoma q. 2. a. 11. vbi ait , eos petendo & desiderando eam obtinuisse ; congruum quippe erat , vt Deus exaudiret eos , qui ei obediebant) non tamen de condigno , id quod S. Thomas tribus rationibus ostendit . 1. Quia opera hominis meritoria propriè & ordinariè ordinantur ad beatitudinem , quæ est virtutis præmium ; Vnio autem hypostatica , transcendit unionem beatæ mentis ad Deum , quæ est per actum fruentis , & ideo non potest

test cadere sub meritum de condigno . 2. Quia gratia , quæ est merendi principium , non potest cadere sub meritum de condigno, ergo nec Incarnatio , quæ est principium gratiæ . 3. Quia Incarnatio Christi est reformatio totius naturæ humanæ , ergo non potest cadere sub meritum de condigno hominis singularis , quia bonum alicujus puri hominis non potest esse causa perfecta boni totius naturæ.

ARTICVLVS IV.

De effectibus Incarnationibus .

Duplicis generis effectus plerumque attibuuntur Incarnationi , scilicet communicatio quarundam perfectionum ; & communicatio idiomatum , seu quarundam denominationum , quæ ipsi propter vnionem hypostaticam convenire censentur , de utrisque nunc breviter per distinctos §. §. agendum.

§ I.

Quæ perfectiones Christi humanitati per unionem hypostaticam advenirent.

I. Q. 10. *Quæ potissimum perfectiones Christi per vnionem hypostaticam obvenerint ?* Resp. sequentes præcipuè numerati à Theologis , sanctitatem , scientiam , virtutem merendi , Libertatem , Potentiam , Dominium , Filiationem , adorabilitatem , Sacerdotium ; de quibus , quid Theologi doceant, sequentes quæstiones explicabunt.

II. Q. 10. *Quid de Sanctitate Christi doceant Theologi ?* Resp. 1. probabiliter tam per divinitatem , quàm per Subsistentiam Verbi fuisse physice Sanctificatam Humanitatem Christi ; cum participatio Naturæ divinæ ipsi gratiæ concedatur , atque adeò multo magis Naturæ & subsistentiæ divinæ concedenda videatur : licet Mendoza & alii à sola Personalitate Verbi eam sanctificari concedant ; Arriaga verò à divinitate moraliter duntaxat eam sanctificari contendat.

dat. 2. Præter sanctitatem hanc increatam etiam creatam seu gratiam habitualem, in entitate quidem finitam, interi eas tamen, quæ hominibus conferri possunt, maxima quoad intensionem, concessam illi fuisse, vt esset principium connaturale & mensura habituum supernaturalium; & quia congruum erat, vt Christus haberet ipse quoque eam sanctitatem; quam velut caput & vitis volebat in membra sua & palmites derivare. Resp. 3. Sanctitatem hanc increatam effeciisse, ut Christus non tantùm de facto, quamdiu vixit, non peccarit, sed nec potuerit etiam peccare; cùm enim non repugnet gratia seu sanctitas communicata creaturæ, quæ repugnet cum peccato veniali, hæc utique unioni hypostaticæ à fortiori concedenda est; quæ juxta probabilem sententiam ejus est perfectionis, vt connaturaliter imò ut communius docent Authores, teste P. Haunoldo n. 219. nec per absolutam Dei potentiam, destrui aut impediri possit per peccatum; seu, quod idem est, coniungi cum actu proximo peccandi.

III. Q. 3. *Quid de potentia seu virtute merendi respectu Christi sentiant Theologi?* Resp. Sequentia ferè doceri. 1. Christum per omnes suos actus supernaturales meruisse; uti, teste Tannero q. 6. dup. 4. n. 157. S. Thomas & communius alii docent contra Vasquez negantem, quod per actus dilectionis aliquid meruerit. Ratio est, quia respectu omnium horum actuum nulla conditio ad meritum requisita defuit, & per se actus caritatis Viatori vel maximè est conveniens, atque adeò Christo non negandus. 2. Non tantùm per priores actus in vita elicitos, sed etiam per ipsam mortem liberè acceptatam meruisse, etiamsi supponatur præceptum habuisse (quod tamen multi negant) de morte; quia libertas ista vel saluari potest, si vel cum Lugone dicatur, quòd potuerit dispensationem circa mandatum petere, & non petierit, vel quòd potuerit ex hoc vel illo motivo, hoc vel illo tempore & modo mortem obire, vt cum S. Thoma communius docent Authores; vel quòd ex duplici motivo adæquato eandem mortem acceptare potuerit. 3. Non tantùm exaltationem nominis, & gloriam corporis, sed probabiliter etiam visionem beatificam, gtatiam habitualem, & similia dona sibi meruisse, vti quoad priorem partem omnes Catholici, quoad posteriorem probabiliter,

teste

teste Suar. aliqui veteres docent, eò quòd melius sit aliquid habere ex merito, quàm sine illo; & præterea convenientius sit, ut Christus velut caput cum membris suis simili titulo possideat visionem beatificam; licet S. Thomas & communius alii contrarium sentiant. 4. Non sibi duntaxat, sed aliis etiam, tam hominibus scilicet, quam Angelis meruisse omnes gratias supernaturales, quæ ad justificationem ipsis collatæ, sunt, uti communius hodie sentiunt Doctore cum S. Thoma, & SS. Patribus, ut hac ratione Christus verius caput Angelorum & Hominum dicatur, licet quoad Angelos Lugo & alii non pauci dissentiant.

IV. Q. 4. *Quid de scientia Christi sentiant Theologi?* Resp. 1. Ipsum statim à principio creationis visionem beatificam habuisse, tanquam Filio naturali debitam, & per eam probabiliter omnia, quæ sunt formaliter in Deo, & quæ in aliqua differentia temporis existunt atque adeo etiam futura, in quibus non est specialis repugnantia; & quæ in potentiam naturali creaturæ continentur, cognovisse, non tamen comprehendisse Deum, aut omnes creaturas possibiles in eo cognovisse. Ita S. Thomas, & communis Doctorum, teste Tannero q. 5. dub. 4. à num. 97. Quia horum omnium cognitio vel ratione ipsius visionis, vel certe ratione Officii Iudicis & Gubernatoris ei debetur. Resp. 2. Etiam scientiam infusam; quà objectum per proprias species independenter à phantasmate cognoscat, eidem statim ab initio fuisse communicatam, & per eam vidisse omnia, quæ in Verbo per scientiam beatificam cognovit, uti iterum S. Thomas & communiter docent Theologi; per eam tamen probabiliter non semper omnia actu cognovisse, uti contra Scotum & nonnullos alios docet S. Thomas cum aliis communiter, eò quòd connaturalius sit, ut, sicut Angeli & Homines non omnia semper actu cognoscunt, ita idem etiam de Christo dicatur. Resp. 3. etiam scientiam acquisitam atque experimentalem, quæ in suo formali conceptu includit experientiam sensibus externis haustam, communiter Christo à Theologis contra Scotum & nonnullos alios concedi, cujus objectum juxta Lugonem & alios fuerint omnia objecta sensum externorum, omnes substantiæ materiales, omnia secreta cordium, omniaque actu existentia. Et scien-

tiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

iam quidem naturalem Tann. Vasq. & multi alii statim ab initio communicatam volunt, alii tamen cum Suar. & aliis Recentioribus æquè probabiliter dicunt, eam successivè ab eo comparatam fuisse, sicut à nobis acquiritur; imò eorum objectorum, quæ nunquam per hanc scientiam cogniturus erat, species omnino non fuisse infusas, sic enim & conformitas major Christi cum hominibus servatur; & multi textus S. Scripturæ, in quibus Christus aliquid didicisse vel profecisse dicitur, meliùs Salvantur.

V. Q. 5. *Quid de potentia animæ Christi doceant Theologi?* Resp. Sequentia 1. Potentiam istam non fuisse infinitam, sicut de omnipotentia DEI dicitur. 2. Neque connaturaliter extendisse se ad Naturas rerum immutandas, & miracula facienda, aut supernaturales effectus producendos; Sed hæc omnia instrumentaliter duntaxat propter conjunctionem cum Verbo, & potentiam Obedientialem effecisse, physicè tamen, uti S. Thomas & multi alii à Tannero nu. 182. cit docent; licet Scotus, Vasq. & multi alii ibid. n. 180. cc. non improbabiliter doceant, illam moraliter duntaxat patrasse miracula, quatenus scilicet ad tactum, vel vocem, vel voluntatem illius DEVS determinatus est ad talia miracula patranda.

VI. Q. 6. *Quid de Dominio Christi doceant Theologi?* Resp. Sequentia communius & probabilius doceri. 1. Ipsum habuisse Spirituale Dominium in totum orbem; id enim ad minimum illa verba Matt. ultimo indicant: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* 2. Hoc ipso, quòd talis potestas Spiritualis illi concessa fuerit, indirectè etiam potestatem in temporalia fuisse concessam, quatenus scilicet necessaria fuerat. 3. Etsi non defuerint, qui Christum etiam in temporalibus verum & legitimum Regem Iudæorum, sive jure hæreditario, ut Abulensis & alli apud Tann. q. 7. nu. 65. putabant; sive ex Iudæorum consensu, ut Piglius; sive ex successione secundùm vulgi opinionem, ut Burgensis existimabant; horum tamen opinionem communiter ab aliis rejici; si de actu secundo loquatur; secus verò, si de actu primo sit sermo, ut sic enim Dominium illud verè à Christo fuisse possessum, licet eo uti noluerit, etiam Suar. Vasq. Molin. & multi alii concedunt, licet id ipsum æquè probabiliter

biliter Bellarminus, Valentia, & plures alii apud & cum Tann. nu. 68. & 71. negent, eò quòd ex una parte Christus ipse Io: 18. dixerit, regnum suum non esse de hoc mundo; ex altera verò parte non conduxerit tale Dominium ad finem Incarnationis; imò hoc ipso, quòd omnes virtutes, & inter has præcipuè paupertatem docere voluerit, magis expediens fuerit, ut non assumeret tale Dominium, id quod non obscurè SS. PP. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Athanasius apud Tann. cc. indicant 4. Christum non fuisse de jure Subditum Regibus & Principibus temporalibus; ita enim Ioannes XXII. definivit; damnans errorem Marsilii Patavini, & Ioannis de Ianduno, qui id asseruerant, sed contra expressum S. Scripturæ Matt. 17 textum, ubi Christus satis apertè significavit, se liberum esse à solutione tributi, sed tantùm propter vitandum scandalum voluisse illud solvere.

VII. Q. 7. *Quid de Filiatione Christi sentiant Theologi?* Resp. 1. Etsi Durandus & alii plures apud Tann. num. 85. docuerint, Christum cum addito Filium adoptivum dici posse, hoc tamen communiùs à S. Thoma & aliis negari; eò quòd adoptivus, ut S. Doctor loquitur, non dicatur, nisi qui est alienus, & adoptatur ex indulgentia, quod utrumque Christo non competebat. Hoc tamen non obstante posse eundem Christum aliquo modo dici servum DEI in quantum servus nihil aliud dicit, quàm esse hominem ordinabilem ab alio ad omne id, quod agere libuerit; sic enim Christus, teste Apostolo ad Philipp 2. formam servi accepit, & obediens usque ad mortem factus est; secus loquendum foret, si servus acciperetur pro eo, qui negationem æqualitatis in dignitate & throno includeret. Resp. 2. Christum verè Filium naturalem dici posse totius SS Trinitatis, si minùs strictè, sed tamen in sensu Theologicè primo dicatur: Filius naturalis ille, qui est hæres non per gratiam & favorem accidentalem, sed per substantiam suam; sic enim ratione unionis hypostaticæ illi Filiatio verè convenit. Secus foret loquendum, si strictissimè sumeretur denom natio Filii naturalis, prout scilicet pro eo solo sumitur, qui est in similitudinem naturæ genitus.

VIII. Q. 8. *Quid de Sacerdotio Christi Theologi doceant?* Resp. Sequentia communiter doceri. 1. Christum non tan-

tantùm fuisse Sacerdotem in latiori significatione, prout significat Personam DEO consecratam, sed etiam in strictiori & propria, prout sumitur pro Persona, quæ publica authoritate constituta est ad Sacrificium DEO pro Populo offerendum; hoc enim significant verba illa Ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum &c.* 2. Christum tantùm secundùm humanam naturam fuisse Sacerdotem; ita enim communiter & rectè sentiunt Theologi contra Lutherum & Calvinum docentes, Christum secundùm utramque naturam fuisse verum Sacerdotem, quod tamen falsum est, cum Christus quà Deus non habuerit superiorem. 3. Christum rectè dici Sacerdotem secundum Ordinem Malchisedech, eò quòd hic præ cæteris præfiguraverit Christi Sacrificium, uti S. Apostolus ad Hebr. 7. ostendit; quod etsi graves Authores apud Tann. n. 54. etiam de cruento Sacrificio verum esse contendant, communis tamen sententia rectiùs de incruento duntaxat intelligendum putat. 4. Effectum principalem Sacrificii fuisse expiationem Peccatorum unde quatenus propitiatorium fuit, solis hominibus; quatenus verò impetratorium aut Eucharisticum, etiam ipsi Christo probabiliùs profuit, uti Suar. d. 46. S. 4. contra Valentiam docuit. 5. Idem Christi Sacerdotium probabiliter usque ad finem Mundi duntaxat duraturum, uti Arriaga & alii sentiunt, eò quòd officium Sacerdotis usque ad certum duntaxat tempus, sicut & officium Advocati, datum videatur.

IX. Q. 9. *Quid de Mediatoris & Advocati Officio sentiant Doctores?* Resp. Sequentia communiter doceri. 1. Christum secundum solam naturam humanam verum fuisse Mediatorem, licet radix, unde opera ipsius virtutem suam traxerunt, ipsa Natura divina dici debeat. Ita Tann. num. 148. cum S. Thoma & communi Doctorum; qui proinde etiam asserunt, Christum, quatenus Deus homo est verè Mediatorem dici posse. 2. Eundem Christum probabiliter etiamnum in cœlis Mediatoris & Advocati officio fungi, atq; adeò pro nobis apud Patrem intercedere, uti Suar. & Tannerus n. 27. cum S. Thoma & communiori sententia docent, & ex ipsa S. Scriptura Io. I. epist. c. 2. colligitur dicente. *Sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud patrem IESVM Christum*; contrarium tamen sentiunt Lugo & Vasq. & alii

alii judicantes hoc ipso, quòd Christus omnem potestatem acceperit in cœlo & terra, non jam ampliùs petere aliquid à Patre, sed per se conferre posse.

X. Q. 10. *Quid de advocatione Christi doceant Theologi?* Resp. Sequentia doceri. 1. ipsum Christum verè cultu Latriæ & adoratione (quæ nihil aliud est, quàm cultus alteri tanquam præstantiori in testimonium excellentiæ exhibitus, vel, ut brevius alii cum S. Damasceno definiunt, animi submissi significatio) honorandum esse, uti Fides nostra docet. 2. Humanitatem Christi Verbo unitam eodem quidem cultu Latriæ coli posse & debere, sed diversa ratione; nam ad verbum terminatur tanquam primarium objectum & per se; ad humanitatem verò concomitanter duntaxat, & tanquam ad objectum materiale ac secundarium. 3. Posse Christi Humanitatem si per se spectetur inferiori aliquo cultu hyperduliæ vel latriæ imperfectæ coli, quia ut sic adorationem Latreuticam non meretur, atque adeò saltè hyperduliam. Ita Tann. n. 124. ubi asserit esse communem sententiam, licet Vasquez & nonnulli antiqui se opponant. 4. Non tantum B. Virginem & Sanctos, sed etiam quamvis rem in mundo existentem adorari posse, si consideretur ut imago bonitatis DEI, vel effectus illius unum quasi moraliter componens cum eo; licet ejusmodi propositiones & venerationes cautè & prudenter usurpari debeant, ne quis putet, soli creaturæ secundùm se spectatæ hunc cultum tribui.

XI. Quæst. 11. *Quid de defectibus à Christo assumptis doceant Theologi?* Resp. sequentia. 1. Christum assumpsisse omnes defectu naturæ lapsæ communes, qui Specialem cum ipsius perfectionibus repugnantiam non involvunt; uti S. Thomas & cum eo communiter alii sentiunt, & meritò, quia ad finem Incarnationis expediebat, ut passibilis & mortalis esset. 2. Defectus corporales particulari naturæ convenientes non fuisse ab eo assumptos, quia isti vel ex culpa, vel ex defectu virtutis formativæ oriuntur, quorum neutrum in Christo locum habet. 3. Etiam animæ defectus plerosque assumpsisse Christum, excepto peccato, ignorantia, errore, & similibus, qui cum perfectionibus Christi stare non possunt. Ita iterum S. Thomas & cum eo Theo-

logi unanimiter, ita ut aliqui de fide esse dicant, eundem passionibus fuisse obnoxium.

§. II.

De Communicatione Idiomatum.

I. Q. 1. *Quid sit communicatio Idiomatum?* Resp. per Idioma hoc loco nihil aliud intelligi, quàm *prædicatum*, atque adeò communicationem Idiomatum idem esse, ac communicationem Prædicatorum; quæ Christo attribuuntur secundum unam naturam ob quod ipsi formaliter non conveniunt, spectato, propter conjunctionem cum altera natura, ob quam ipsi similia prædicata propriè debentur ut si dicatur Deus passus propter unionem cum Homine, qui passus est;

II. Q. 2. *Quæ prædicata Christo attribui possint per communicationem Idiomatum?* Resp. In genere Humanitati Christi ratione unionis hypostaticæ attribui posse omnia prædicata, quæ divinitati conveniunt, cùm plùs non dicant ejusmodi propositiones, quàm quòd tale prædicatum insit Humanitati. Pro clariori tamen intelligentia & majori securitate in loquendo sequentes circa hanc materiam Regulæ à Theologis assignantur.

III. Prima Regula: Quæcunque prædicata insunt supposito, possunt de eo, & de se invicem prædicari in concreto; hinc dicere licet: *Deus est Homo: Homo est omnipotens: Deus est mortalis &c.*

IV. Secunda Regula: Proprietates Humanitatis neque in abstracto, neque inconcreto prædicantur de Deitate, & vicissim. Hinc malè dicitur: *Verbum est assumibile: Homo est communicabilis verbo.*

V. Tertia Regula: Prædicata, quæ conveniunt Naturæ in abstracto duntaxat acceptæ, non possunt de Natura divina aut supposito prædicari. Hinc malè dicitur: *Deitas aut Deus assumibilis.*

VI. Quarta Regula: Prædicata, quæ involvunt imperfectionem creati suppositi, non possunt de Persona Christi prædicari. Hinc falsa est propositio: *Christus est purus Homo, peccabilis &c.*

VII.

VII. Quinta Regula: *Quædam propositiones* absolutè veræ, adjecta reduplicatione fiunt falsæ, ut si dicam: *Christus quà Homo est Deus, omnipotens &c.*

VIII. Sexta Regula: Quæ alterutri Naturæ sunt essentialia, non debent de Christi denominativè prædicari. Hinc non bene dicitur: *Christus est Dominicus, humanus &c.*

IX. Septima Regula: *Quædam propositiones* in rigore veræ propter grassantes Hæreses non facile sunt usurpandæ sine limitatione; quales sunt: *Christus est creatura, incorporeus, impassibilis &c.*

X. Octava Regula: Unumquodque dicitur factum, quod de novo esse incepit. Hinc rectè dicitur: *Deus factus est Homo:* non tamen vicissim: *Homo factus est Deus*: quia secundùm Humanitatem quidem, non autem secundùm subsistentiam incepit esse unita.

XI. Quæst. 3. *An Christus unus vel plures dici debeat?* Resp. 1. Christum absolutè dicendum esse unum, sive unum masculinè, sive neutraliter accipiatur. Ita S. Thoma q. 17. a. 1. & cum eo unanimiter Theologi, & colligitur ex ipso S. Athanasii Symbolo, ubi dicitur: *non duo tamen, sed unus est Christus.* Resp. 2. In sensu identico quidem dici posse, Christum esse plura, non simpliciter, sed cum additione, *coniuncta* vel *unita*; hinc S. Thomas ex S. Gregorio Nazianz. epist. 1. ad Chelid. ait. *Aliud & aliud sunt ea, ex quibus salvator est, non alius & alius.*

XII. Q. 4. *Quem fructum ex hac materia de Incarnatione haurire debeat Theologus?* Resp. triplicem præcipuè referendum esse. Primus est, ut dignam de hoc beneficio æstimationem concipiat, &, dum considerat, Deum sic dilexisse Mundum, ut Filium suum unigenitum daret, se per hanc amorem ad mutuum amorem excitet, illamque S. Bernardi sententiam sibi ipsi assiduò objiciat: *Amat caritas, amat immensitas, & nos vicem rependimus cum mensura?* Secundus est, ut, dum perpendit, & credit, Christum propterea Incarnatum esse, ut nos per suum exemplum ad imitationem, vitamque adeò sanctè instituendam excitaret, huic studio se impendat (maximè cùm primus discendi ardor, teste D. Bonaventura, sit nobilitas Magistri) eumque in finem saluberrimam S. Gregorii Naz. ora. 40. in Pasch. adhortatio-

nem animo volvat : *Simus ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos. Efficiamur Dii propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos Homo factus est.* Tertius est, ut insignem quoque de animabus, utpote ob quas tanta egit, & passus est Christus, æstimationem, & Zelum concipiat, ideoque omni studio & conatu efficere studeat, ne tantus labor & caritas effectu suo frustretur. Eum in finem iterum dignissima illa S Gregorii Naz. orat. 1. sententia perpendenda est: *Huc Magistra lex tendit. Huc inter Christum & legem interiecti Prophetæ: huc spiritalis legis perfector & finis Christus: huc exinanita Deitas: huc assumpta caro: huc nova illa mixtio, Deus, inquam, & Homo. Atque hæc omnia propter omnia, & pro uno illo generis nostri Principe in unum coierunt.*

CAPVT II.

DE OECONOMIA VERBI.

PEr Oeconomiam istam SS. Patres nihil aliud intelligunt, quàm ea, quæ Christus in natura humana vel gessit, vel passus est, vel deinceps aget. Vnde S. Thomas p. 3. q. 27. totam hanc materiam in quatuor quasi partes dividit, in quarum prima considerat, quæ pertinent ad ingressum Christi in mundum. In secunda, quæ spectant ad progressum vitæ ipsius in mundo: In tertia, quæ pertinent ad egressum ipsius ex mundo. In quarta, quæ spectant ad exaltationem illius post hanc vitam; quæ quidem divisio etiam in hoc capite retinebitur, ita tamen, ut quoniam multa ex illis, quæ S. Thomas hic tractat, ex instituto examinare ad Scripturæ Interpretes pertinet, hoc loco non nisi breviter attinganturr.

ARTI-

ARTICVLVS I.

De ingressu Christi in mundum.

In hoc ingressu S. Thomas à q. 27. duo præcipuè considerauda in genere notat, aliqua nempe, quæ ad Matrem concipientem ac parientem; & alia, quæ ad Filium conceptum, natum, & educatum pertinent, quæ breviter sequentibus duobus §§. indicabuntur.

§. I.

De iis quæ ad Matrem Christi pertinent.

I. De hac quinque præcipuè capita post S. Thomam discutiunt Theologi, scilicet conceptionem, Sanctificationem, scientiam, & gratias gratis datas, virginitatem, Assumptionem, de quibus totidem quæstiones proponentur.

II. Q. 2. *Quid de Conceptione B. Virginis doceant Theologi?* Resp. Sequentia fere, 1. Eandem secundum lineam paternam ex tribu Iuda, ac stirpe Regia Davidis natam esse juxta illud Isaiæ 11. *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* 2. Eandem habuisse etiam cognationem cum tribu Levi; licet autem Tann. d. 2. de Inc. q. 1. n. 4. incertum esse dicat, qua ratione id acciderit, addit tamen n. 5. verius esse, & SS. Patrum doctrinæ conformius, eam ex tribus Sacerdotali seu Levitica descendisse. 3. Etiam ex eadem Familia cum Iosepho fuisse; id enim in Matrimoniis Deus Num 36. præceperat. 3. Etsi probabile sit, Genealogiam B. Virginis esse illam, quam S. Lucas c. 3. describit, quæ usque ad Davidem diversos à S. Iosepho progenitores habuerit; atque adeò Iosephum ex Davide per Salomonem, B. Virginem verò ex Davide per Nathan descendisse, uti non pau-

ci apud Tann. n. 8. censent, veterem tamen & veriorem sententiam esse, quòd Genealogia vera B. Virginis sit illa, quam S. Matthæus c. 1. naturales S. Iosephi Parentes describens assignavit quodque adeò S. Lucas legales tantùm S. Ioseph. Progenitores numeraverit; hæc enim opinio & variis S. Scripturæ textibus, & communi SS. Patrum & Fidelium sensui conformior est, ut fusè Tannerus n. 13. & seq. ostendit.

III. Quæst. 3. *Quid de sanctificatione B. Virginis doceant Theologi?* Resp. Sequentia. 1. Eam per gratiam sanctificantem in ipso adhuc utero sanctificatam fuisse. 2. Verisimillimum esse, eidem tunc gratiam (atque adeò propter connexionem etiam virtutes infusas) in majori gradu & intensione fuisse collatas, quàm ulli unquam Angelo aut Homini data fuerit, cùm per eam fuerit B. Virgo ad Maternitatem disposita, atque adeò sicut Maternitas excedit dignitate omnes alios favores & gratias, ita etiam ipsa gratia velut dispositio eosdem excedere debuerit. 3. Tam perfectè fuisse sanctificatam, ut concupiscentia seu fomes peccati nunquam rationem, prævenerit, & in actum eruperit; etsi verò S. Thomas, & multi alii putent in prima sanctificatione ligatum duntaxat, in ipsa verò Filii conceptione primum extinctum fuisse, alii tamen apud & cum Tann. n. 38. probabiliter statim ab initio sanctificationis extinctum fuisse existimant. 4. Non obstante hac sanctificatione B. Virginem per totam vitam meruisse augmentum gloriæ, utpote quæ, sicut viatrix æquè ac alii exstitit, ita meritò privilegio quoque viatorum gaudere debuerit. Etsi verò Suar. Vasq. & alii apud & cum Tann. n. 54. valdè probabile putent, eidem etiam perfectum rationis usum in ipso conceptionis instant concessum; & hunc usum S. Albertus, S. Bernardus, S. Bernardinus & plures alii apud Tann. n. 55. nec per ipsum etiam somnum interruptum fuisse contendant; sicque ad tantum meritorum cumulum ipsam pervenisse Suar. d. 18. S. 4 existimet, ut in fine vitæ omnes Angelos & Homines collectivè acceptos in gratia superarit; hæc tamen omnia non satis certa sunt, cùm primum S. Thomas & alii neget; secundum Tannerus. n. 55. cit. naturæ ordini adversum, nec ab antiquis SS. Patribus & Theologis assertum dicat; tertium verò primus Suarez docuerit, ideoque idem

Tann.

Tann. n. 60. piè quidem & probabiliter dici, sed tamen coram simplici Populo non facilè adstruendum judicet, maximè cùm S. Thomas q. 27. a. 5. ad. 1. satis innuat, soli Christo velut Filio Dei & cepit omnium Sanctorum proprium fuisse, ut haberet tantum plenitudinem gratiæ, quæ in omnes redundaret iuxta illud Ioan. 1. c. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. 5. Probabile quidem à Canisio & aliis nonnullis judicari, B. Virgini in conceptione originalem etiam Iustitiam fuisse concessam; hoc tamen à Suar. & aliis apud & cum Tannero nu. 49. probabiliùs negari, quia licet habuerit aliquos originalis justitiæ effectus (speciatim verò hunc, quòd ex speciali Dei protectione nec venialiter quidem peccare potuerit) non habuit tamen omnes, cùm nec immortalis, nec impassibilis quoad animam & corpus extiterit.

IV. Q. 4. *Quid de Scientia B. Virginis, & gratiis gratis datis sentiant Theologi?* Resp. Sequentia communiùs doceri. 1. B. Virginem cognitione Mysteriorum Fidei superasse omnes Apostolos & Theologos, uti unanimiter sentiunt SS. Patres, teste Tann. n. 68. & præ cæteris clarissime S. Anselmus affirmat dicens: *Licet Apostoli per revelationem Spiritus Sancti edocti fuerint omnem veritatem, incomparabiliter tamen eminentius ac manifestius ipsa per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat; & per hoc multa eis per hanc revelabantur; quæ in se non solùm simplici scientia sed ipso effectu, ipso experimento didicerat.* 2. Probabiliter eam etiam habuisse scientiam Theologicam, & habitus scientiarum naturales per accidens infusos, utpote quos & ipse Adamus habuerit, & verò etiam ad exactam Scripturarum intelligentiam, & morum perfectam prudentiam requirebantur, uti Suar. & alii apud & cum Tann. n. 71. & 72. docent, indeque merito concludunt, nullam in ea ignorantiam fuisse, cùm nihil nesciverit eorum, quorum scientia necessaria, aut statui suo consentanea fuerit. 3. Scientiam per se infusam, qualem Christus habebat, ipsi quoque B. Virgini concedi quidem à S. Bernardino & pluribus aliis apud Tann. n. 74. hunc tamen cum Suar. negativam sententiam probabiliorem judicare, eò quòd nec apud antiquiores Patres ac Theologos ulla hujus doctrinæ mentio reperiatur; nec scientia ista ad sanctitatem

illius necessaria, aut statui viatoris accommodata fuerit; licet non negent hi Authores species quasdam altioris ordinis eidem fuisse probabiliter infusas, quibus sine conversione ad phantasmata uti potuerit. 4. Quoad gratias gratis datas, probabiliter illi donum Sapientiæ, & Scientiæ quoad intelligentiam Scripturarum, Interpretationis sermonum, Discretionis Spirituum, imò & donum linguarum, & gratiam miraculorum & Sanitatum concessam fuisse; maximè post adventum Spiritus Sancti, quando & ipsa fidei mysteria passim adstruebat & confirmabat; licet S. Thomas & alii illi usum Sapientiæ in docendo, & ideo etiam facultatem patrandi miracula negent.

V. Q. 5. *Quid de Virginitate Deiparæ doceant SS. Patres ac Theologi?* Resp. duo præcipuè. 1. Eam ante, in, & post partum verè Virginem quoad corporis integritatem extitisse; ita namque unanimiter SS. Patres & Theologi docent; non enim fas erat, inquit S. Augustinus S. 6. de Nativ. ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta. Et ideo hæc integritas per portam Orientalem Ezech. 44. præfigurabatur, de qua ibidem dicitur: *Porta hæc clausa erit, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* 2. Eandem non tantùm ante Matrimonium contractum habuisse propositum Virginitatem servandi, sed etiam voto illud confirmasse; eò quòd Virginitas in ea, velut prima Observatrice excellere debuerit, perfectior autem sit Virginitas cum, quàm sine voto. S. Thomas tamen & nonnulli alii apud Tann. nu. 121. putarunt, eam hoc votum non nisi post desponsationem cum S. Iosepho concepisse; ante istam verò conditionatum duntaxat Virginitatis propositum habuisse, si scilicet Deo magis placere cognitura esset. 3. Matrimonium B. Virginis cum S. Iosepho fuisse verum & legitimum, ac probabiliter ante conceptionem verbi contractum, uti teste Tann. n. 133. communius sentiunt SS. Doctores, eò quòd sic fieri ad prospiciendum famæ B. Virginis oportebat. Licet non defuerint, qui putent probabiliter defendi posse, inter B. V. & S. Iosephum tantum Sponsalia de futuro intercessisse, quorum tamen sententiam Tann. n. 132. vix sine temeritate defendi posse censet, eò quòd S. Scriptura B. V. expressè vocet vxorem.

VI. Q. 6. *Quid de ipsa morte & Assumptione B. Virginis sentiant Theologi?* Resp. sequentia duo. 1. Etsi alii doceant, B. Virginis mortem anno sexagesimo illius alii septuagesimo secundo contigisse, communiùs tamen probari sententiam, quæ sexaginta tres annos ei pro vita concedit, juxta Suar. & aliorum opinionem apud & cum Tann. n. 240. eò quòd hæc opinio & Chronicis Historiæ Ecclesiasticæ & Fidelium concordi persuasioni Salutationem Angelicam ter & Sexagies ad honorem hujus ætatis recitantium sit conformior.

§. II.

De iis, quæ ad ipsum Christum conceptum pertinent.

I. N. Q. 1. *Quid de Conceptione Christi doceant Theologi?* Resp. Sequentia communiter doceri. 1. Christum verè ex substantia B. Virginis conceptum fuisse, corpusque assumpsisse; sic enim S. Paulus Gal. 4. testatur dicens; *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*. 2. Corpus Christi fuisse formatum in utero B. Virginis tanquam naturali in loco conceptionis; vti ex Matt. 1. c. colligitur. 3. Causam principalem efficientem formationis corporis Christi fuisse Spiritum Sanctum, de quo in Symbolo Apostolorum potiùs conceptus dicitur; quàm de alii Personis, eò quòd Incarnatio fuerit opus amoris, gratiæ, & sanctificationis, qui omnes effectus propriè Spiritui Sancto attribui solent, B. Virginem verò, etsi D. Bonaventura & Scotus physicè concurrisse putent, D. Thomas tamen & alij plures apud & cùm Tann. n. 15. tantùm passivè ministrando materiam cooperatam fuisse existimant. 4. Formationem hanc in primo statim instanti conceptionis contigisse, uti S. Thomas & alii SS. Patres apud Tann. n. 18. cc. docent, eò quòd non decuit, corpus non perfectè organizatum à Verbo assumi.

ARTICVLVS II.

De progressu Christi in Mundo.

I. Q. 1. De hoc S. Thomas à q. 35. Sequentes materias tractat, scilicet de Nativitate, legalibus observatis, Conversatione, Baptismo, Tentatione, Miraculis, Transfiguratione, de quibus proinde & hic totidem quæstiones proponentur.

II. Q. 2. *Quid de Nativitate Christi doceant Theologi?* Resp. Tria à S. Thoma & aljs doceri. 1. Nativitatem hanc salva Matris integritate, & probabiliter etiam sine omnibus Puerperij Sordibus contigisse; eò quòd hic modus magis decuerit Dei Nativitatem. 2. B. Virginem verè in hac Nativitate officium Matris exercuisse; ita vt verè Θεοτόκος, id est, Dei Mater diceretur. 3. Manifestationem Nativitatis sapientissimo modo fuisse peractam; cùm enim salus & redemptio futura per Christum ad totam Hominum Vniversitatem pertineat, idcirco ut hoc in ipsa Nativitate præfiguraretur, omnibus conditionibus hominum est manifestatus; nam, vt notat S. Augustinus S. 4. de Epiph. Pastores fuerunt Israelitæ; Magi Gentiles; illi prope, isti longè, utrique tamen ad angularem lapidem concurrunt.

III. Q. 3. *Quid de Legalibus à Christo observatis doceant Theologi?* Resp. per Legalia à S. Thoma, qui q 37. a. 4. hunc titulum proponit, aliud nihil intelligi, quàm circumcisionem, & Oblationem Christi in Templo ex antiquæ legis præscripto factas, de quibus sequentia docent Theologi cum S. Thoma. 1. Circumcisionem licet fuerit in remedium peccati originalis, & in signum fœderis cum Abrahamo initi, & promissionis de Christo ex semine ejus nascituro factæ instituta, qui vterque finis in Christo locum non habere videbatur, convenienter tamen Christo adhibitam esse, tum quia per circumcisionem primariò etiam consignabatur Populus Dei, & Homines peculiari cultui Dei destinati, qui finis etiam in Christo locum habebat; tum quia sic expediebat ad veritatem carnis suæ ostendendam; approbationem circumcisionis à Deo iustitiæ, probationem suæ stirpis ex Abraham

braham descendentis: tollendam Iudæis excusationem, ne eum velut incircumcisum non reciperent; obedientiam exemplo commendandam; conformationem cum Hominibus, dum, sicut in similitudinem carnis peccati venerat, ita etiam remedium peccati non respuebat: legis onus in se suscipiendum, ut alios ab eo liberaret. 2. Oblationem Christi ex præscripto legis factam esse, quia, licet Suarez d. 16. S. 1. illa verba legis Num. 18. *Quidquid primum erumpit ex vulva cuncta carnis quam offerunt Domino tui, iuris erit, &c.* intelligenda existimet de modo ordinario nascendi, quo viæ & meatus carnis perfectè aperiuntur. Tannerus tamen n. 67. cum aliis putat, æquè probabiliter ea intelligi de eo, quod primò quomodocunque erit per vulvam.

IV. Q. 4. *Quid de Conuersatione Christi doceant Theologi cum D. Thoma?* Resp. Sequentia quatuor à S. Thoma doceri. 1. Convenienter Christum vitam non solitariam, sed socialem instituisse, eò quòd venerit in mundum ad homines verbo & exemplo instruendos, & à peccato liberandos, atque ut per ipsum habeamus accessum ad Deum; ad quem finem magis conducebat socialis, quàm solitaria vita; Quandoque tamen etiam in solitudinem secessit ob rationem à S. Gregorio Naz. orat. 20. de S. Basilio sequentibus verbis indicatam: *Cùm solitaria vita, & quæ Societate gaudet, vt plurimùm inter se dissiderent, & pugnarent, ne vtraque omnino vel commoda, vel incommoda sua, pura & impermixta haberet, præclarè eas inter se permiscuit, vt hæc contemplatio communicationis expers esset, nec contemplatione actio careret, sed quemadmodum terra & mare, ita etiam hæ duæ vitæ commoda sua inter se communicantes, ad vnicam Dei gloriam concurrent.* 2. Christum etiam quoad victum & cultum corporis, non quidem mollem, sed nec austerum, sed communem vivendi modum elegisse, vt hac ratione facilior ipsi esset ad conversationem accessus, & ut omnibus omnia factus omnes lucrifaceret. 3. Decuisse nihilominus; vt vitam quoque pauperem duceret, uti passim de eo Scriptura testatur; eò quòd sic congruebat Prædicationis officio; & ut tantò major virtus Divinitatis appareret, quantò per paupertatem videbatur abjectior. 4. Eundem secundùm legem Moysis conversatum esse, licet alioqui ei non subjiceretur; vt eam observando in seipso consummaret,

maret, & terminaret; ut Iudæis scandali occasionem subtraheret, ut Homines à servitute legis liberaret.

V. Q. 5. *Quid de Baptismo Christi S. Thomas & Theologi doceant?* Resp. Tria præcipuè. 1. Eum solo baptismo Ioannis, non autem baptismo à se instituto baptizatum esse; & priorem quidem baptismum suscepisse, tum ut aquas sanctificaret, & vim generandi illis tribueret; tum ut baptismum illum approbaret; tum ut ostenderet, cum quâ dispositione ad officium prædicandi accedendum foret. Posteriorem verò baptismum à se institutum non suscepisse, quia iste ad Spiritualem regenerationem institutus fuerat, qua ipse non indigebat. 2. In Iordane baptizatum fuisse, vt significaret, quemadmodum Filij Israel per Iordanem fluvium in terram promissionis introductui sunt, ita per baptismum suum olim baptizatos in regnum cœlorum introductum iri. 3. Etsi putent aliqui eum circa annum ætatis trigesimum secundum, alii circa trigesimum primum, alij circa vigesimum nonum baptizatum esse, communiorem tamen & veriorem sententiam docere, eum circa annum trigesimum nondum expletum, baptismum hunc suscepisse; eò quòd hæc sententia conformior sit verbis Evangelistæ Lucæ c. 3. dicentis: *Et ipse IESVS erat annorum quasi triginta.*

VI. Q. 6. *Quid de Tentatione Christi doceant S. Thomas & Theologi?* Resp. Quatuor de hac doctrinas à S. Thoma q. 41. tradi. 1. Christum tentari voluisse, ut nobis contra tentationes exemplum & auxilium præstaret; &, qualiter eas superare valeamus, instrueret. 2. In deserto convenienter fuisse tentatum, ut Hominem de Paradiso ejectum in desertum ab exilio liberaret. 3. Conuenienter etiam post jejunium voluisse tentari ad exemplum & institutionem nostram, vt humiles esse discamus, cùm in nobis aliquid boni esse conspicimus, & vt sciamus, per jejunium nos præparari debere adversus tentationes. 4. Convenienti quoque ordine descriptam esse ab Evangelista trinam tentationem; quia primò tentavit ipsum de eo, quod appetunt etiam quantumcunque Spirituales viri, scilicet de Sustentatione corporis naturæ. Deinde processit ad id, in quo Spirituales viri aliquando deficiunt, vt scilicet aliqua ad ostentationem operentur. Denique tentationem perduxit ad id, quod non est Spiri-

Spiritualium, sed carnalium virorum, scilicet ut divitias & gloriam concupiscant ad contemptum Dei; & ideo in primis duabus tentationibus dixit: *Si Filius Dei es*; non autem in tertia, quia hæc tentatio non convenit Spiritualibus viris.

VII. Q. 7. *Quid de prædicatione & doctrina Christi doceant Theologi?* Resp. Tria potissimùm. 1. Christum convenienter Iudæis potiùs Salutem prædicasse, quàm Gentibus; tum ut ostenderet per suum adventum promissiones fuisse impletas; tum vt ejus adventus ostenderetur esse à Deo; tum ut Iudæis auferret calumniandi materiam, dicendique ideo se rejecisse ejus doctrinam, eò quod ad Gentiles priùs Apostolos miserit. 2. Christi doctrinam, convenienter publicam fuisse, eò quòd & in se fuerit optima, & necessaria scitu; licet autem interdum aliqua per Parabolas indicaverit, has ipsas tamen Discipulis, & per hos etiam aliis explicavit. 3. Christum suam doctrinam verbo potiùs quàm scripto tradidisse, eò quod hic modus utpote perfectior doctrinam illius decuerit; & ipsa doctrinam tam sublimis & excellens fuerit, vt difficulter scripto comprehendi potuerit.

VIII. Q. 8. *Quid de miraculis à Christo patratis doceant Theologi?* Resp. Tria præcipuè doceri. 1. Quintuplicis generis miracula à Christo fuisse patrata, videlicet *circa Spirituales substantias*, obsessos à Dœmonibus liberando; *circa cœlestia corpora*, Solem obscurando, stellam Magis mittendo, &c. *circa Homines* in corporibus ægris sanandis, mortuisque excitandis, peccatoribus mirabiliter convertendis, &c. *circa irrationales creaturas terrestres*, ventis & mari imperando, aquam in vinum convertendo, panes multiplicando: *circa seipsum*, è Virgine sumendo carnem, ambulando super aquas, se transfigurando, resurgendo, ascendendo ad cœlos. 2. Hæc miracula non quidem fuisse simpliciter necessaria ad doctrinam ejus persuadendam (quia virtus eius non erat alligata miraculis, sed poterat aliis modis interius movere corda ad eam arripiendam) fuisse tamen aliquo modo necessaria ad bene esse, & juxta ordinarium divinæ Providentiæ modum; imò suppositis vaticiniis asserentibus, Messiam similia miracula patraturum, simpliciter necessarium fuisse, talia à Christo miracula patrari. 3. Eadem miracula tum ob ipsam speciem operum, tum ob modum patrandi

(dum

(dum scilicet propria potestate, & non orando; ut alii facere solebant, eadem patravit) fuisse non tantum sufficienti ad doctrinam Christi persuadendam & hinc ipse dicebat Io. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*) Sed etiam ad divinitatem ejus demonstrandam, prout conjuncta fuerunt cum prophetiis Messiam Deum fore prædicentibus, & ipsa assertione Christi se Deum esse affirmantis, unde Io. 5. dixit: *Scripturæ sunt, quæ testimonium prohibent de me*: sine his enim non absolutè potuisset ex miraculis cognosci cùm etiam purus homo per Dei virtutem similia miracula patrare potuisset.

IX. Q. 9. *Quid de Transfiguratione doceant Theologi?* Resp. Iterum tria præcipuè à S. Thoma q. 45. doceri. 1. Convenienter hanc Transfigurationem esse factam, ut contemplatione semper manentis gaudii ad breve tempus delibata, fortiùs Apostoli adversa tolerarent. 2. Claritatem, quam tunc Christus habuit, fuisse quoad essentiam, ipsam claritatem gloriæ, in hoc tamen distinctam, quod gloriæ claritas sit permanens, hæc verò transiens fuerit, unde nec dotis gloriosæ nomen propriè merebatur. 3. Convenienter pro testibus hujus Transfigurationis partim Moysen & Eliam velut præcedentes; partim Apostolos velut sequentes elegisse, ut ostenderet se gloriam antecedentibus ipsum, & subsequentibus communicaturum.

ARTICVLVS III.

De Egressu Christi ex Mundo.

I. De hoc sequentia capita tractat S. Thomas à quæst. 46. videlicet de passione, de Morte, de Sepultura, de descensu ad inferos, de quibus in hoc quoque articulo totidem quæstiones proponentur.

II. Quæst. 1. *Quid de Passione Christi doceant cum S. Thoma Theologi?* Resp. Sequentia communiter doceri. 1. Passionem seu dolores Christi fuisse tam extensivè, quàm intensivè summos, & majores, quàm ullus unquam hominum in tertis hactenus passus fuerit, vel deinceps passurus sit. Extensivè quidem, quia passus est ab omni genere hominum, Gentilibus

bus scilicet & Iudæis, Maribus & Feminis: in omni genere bonorum, Amicorum videlicet, famæ, honoris, corporis, animæ, bonorum externorum: in omnibus membris & sensibus. Intensivè autem, quia acerbissimos hos dolores effecerunt tum ipsæ causæ passionis; tum conditio subjecti, scilicet tenera complexio corporis, & firmior, clariorque apprehensio animæ; tum ex puritate dolorum & tristitiæ, qui per nullam considerationem rationis temperabantur; tum ex libera voluntate Christi, qua tantam quantitatem dolorum assumpsit, quantam sciebat esse proportionatam Magnitudini fructus, qui inde sequebatur. 2. Passionem hanc tam quoad genus & circumstantias mortis, quàm quoad locum & tempus convenientissimam fuisse; nam supplicium ligni elegit, ut responderet peccato primi Parentis per esum primi ex ligno vetito decerpti; tam acerbos dolores tulit, ut copiosior esset redemptio, abundantior caritatis, & clarior justitiæ divinæ in peccatis vindicandis demonstratio; inter duos Latrones crucifigi voluit, ut, quemadmodum S. Thomas q. 46. a. 11. ait, in ipsa patibuli specie monstraretur illa, quæ in judicio ipsius, omnium hominum facienda est discretio; nam ut S. Augustinus tr 31. in Ioann. dicit, *ipsa crux, si attendas, tribunal fuit; in medio enim Iudice constituto, unus, qui credidit, liberatus: alius, qui insultavit, damnatus est: jam significabat, quid facturus est de vivis & mortuis, alios positurus ad dextram, alios verò ad sinistram*. 3. Eandem passionem causavisse nostram salutem tùm per modum meriti, & superabundantis satisfactionis (propter excessum caritatis, ex qua patiebatur: & propter dignitatem vitæ, quam pro satisfactione ponebat: & propter magnitudinem doloris assumpti) tum per modum Sacrificii & Redemptionis, cùm tota passio facta fuerit in honorem Dei ad ipsum placandum, & per eandem nos à servitute Diaboli redemerit. 4. Effectus passionis Christi fuisse remissionem peccatorum; tam quoad culpam, quàm quoad pœnam; liberatione à potestate Diaboli, reconciliationem cum Deo, reseratione januæ cœlestis & Christi exaltationem, uti fusiùs S. Thomas tota q. 49. demonstrat.

III. Quæst. 2. *Quid de Morte Christi doceant S. Thomas & Theologi?* Resp. Sequentia ferè. 1. Christum convenienter mortem elegisse, tùm ut satisfaceret meliùs pro genere humano morti adjudicato; tum ut veritatem naturæ assumptæ osten-

ostenderet; tum ut moriendo nos à timore mortis liberaret; tum ut ad moriendum Spiritualiter peccato nos incitaret, tum ut à mortuis resurgendo virtutem suam contra mortem ostenderet, & nobis Spem resurgendi à mortuis faceret. 2. Animam Christi verè fuisse separatam à corpore, non tamen divinitatem, sed hanc cum corpore & anima mansisse unitam, atque adeò secundùm proprietatem verborum non fuisse verum dicere: *Christus in sepulchro iacet*: cùm hoc nomen solùm supposito subsistenti in duabus naturis conveniat; sed solummodo per Synechdochen similes propositiones formari potuisse, tribuendo parti totius appellationem. 3. Mortem hanc Christi juxta communiorem sententiam anno trigesimo tertio expleto, die 25. Martii, circa horam tertiam pomeridianam contigisse, uti fusiùs quoad singulas partes Tann. q. 3. dub. 2. ostendit.

IV. Quæst. 3. *Quid de Sepultura Christi doceant S. Thomas & Theologi?* Resp. Tria præcipuè. 1. Christum sepeliri voluisse, tum ad veritatem mortis comprobandam; tum ad spem resurrectionis faciendam iis, qui in sepulchro erant; tum ut resurrectio illius mirabilior appareret. 2. Corpus Christi in sepulchro non fuisse incineratum, ne illius mors infirmitati Naturæ adscriberetur. 3. Vna duntaxat die, & duabus noctibus ipsum in sepulchro jacuisse, quia per unam ipsius mortem à duplici morte, animæ scilicet & corporis liberari sumus.

V. Quæst. 4. *Quid de Sepultura Christi, & descensu ad Inferos S. Thomas & Theologi doceant?* Resp. Sequentia ab iis doceri. 1. Christum verè & quoad substantiam animæ in infernum descendisse, idque ab ipso factum, tum ut liberationem hominum ab inferno melius significaret; tum ut vinctos educeret; tum ut potestatem suam in inferno etiam ostenderet: tum quia, cùm ille locus pro Sanctis animabus deputatus fuerit, non potuit anima illius aptiori loco consistere. 2. Eundem Christum substantialiter ad solum limbum Patrum descendisse, ibique detentis essentialem beatitudinem contulisse, ac probabiliter etiam ex limbo eduxisse, atque in quodam aeris loco detinuisse usque ad ascensionem; ad purgatorium verò & infernum tantùm quoad effectum descendisse, animabus scilicet purgatorii solatium aliquod

per

per spem gloriæ factam afferendo, & aliquos fortè etiam omnino liberando, damnatos verò de sua malitia & incredulitate confutando, ut loquitur S. Thomas q. 52. a. 2. 3. Animam Christi toto illo triduo in limbo mansisse, uti S. Thomas, & omnes Scholastici, teste Tann. l. c. n. 79. docent contra Nicephorum volentem eadem hora, qua ad Inferos descendit, rediisse cum Patribus è limbo eductis.

ARTICVLVS IV.

De iis, quæ spectant ad exaltationem Christi.

I. Ad hunc articulum quatuor pertinent quæstiones à S. Thoma à q. 53. tractatæ, scilicet de Resurrectione Christi, de Ascensione, de Sessione ad dexteram, de judiciaria potestate, de quibus totidem hic quæstiones proponentur.

II. Quæst. 10. *Quid de Resurrectione Christi doceant S. Thomas & Theologi?* Resp. Sequentia ab iis doceri. 1. Eam convenienter factam esse, tum ad commendationem divinæ justitiæ, cui convenit exaltare illos, qui seipsos propter Deum humiliant; & merita justorum digna retributione compensare; tum ad confirmationem fidei de divinitate Christi? tum ad erigendam spem nostram de resurrectione olim secutura; tum ad informationem vitæ nostræ, ut, sicut ille resurrexit; ita nos in novitate vitæ ambulemus, ut Apostolus ad Rom. 6. monet: 2. Conveniens quoque fuisse, ut tertia die resurgeret, tum ad implenda vaticinia & ipsius Christi attestationem de resurrectione tertia die futura; tum ad demonstrandam illius veram humanitatem & mortem, ad quam demonstrationem requirebatur, ut non statim resurgeret. Porro per tres dies & noctes docent non intelligendos esse tres integros dies & noctes, sed unum totum, nempe Sabbatum, & duos non integros, scilicet Feriæ Sextæ & diei Dominicæ; sic enim sæpius in communi modo loquendi dies & noctes accipiuntur, uti pluribus Tannerus n. 96. demonstrat. 3. Eandem Resurrectionem probabiliter 27. Martii in ipsa aurora, sat longè tamen ante verum Solis ortum contigisse, uti S. Thomas q. 53. a. 4. ad 3. & communius Scholastici apud & cum Tann. n. 99. docent; sic enim facilius Evangeli-

stæ diversimodè loquentes conciliantur. 4. Christum rectè à S. Paulo 1. Cor. 15. vocari *Primitias dormientium*, eò quòd primus ad vitam immortalem resurrexerit: reliqui verò, quos S. Matthæus 27. c. de monumentis exiisse dixit, vel ad mortalem duntaxat vitam surrexerint, uti cum multi SS. Patribus S. Thomas q. 53. a. 3. & alii existimant: vel certè, ut alii SS. Patres & Interpretes apud & cum Tann. n. 115. volunt, primùm cum Christo resurgente, vel pauiò post ad vitam immortalem fuerint resuscitati, sicque S. Matthæus per anticipationem duntaxat hoc signum Resurrectionis mortuorum cum aliis signis enarraverit.

III. Quæst. 2. *Quid de Ascensione Christi doceant S. Thomas & Theologi?* Resp. Sequentia 1. Christum propria virtute cœlos ascendisse, non tantum Divinitatem, sed etiam Humanitatem spectando, quatenus scilicet anima illius glorificata corpus pro libitu movebat. 2. Eundem juxta S. Thomæ quidem sententiam super omnes cœlos ascendisse, ita ut extra continentiam cœlestium corporum ipsi superficiei cœli Empyrei insistat; alios tamen apud & cum Tann. num. 118 probabiliter etiam contrarium docere, quòd scilicet intra cœlum Empyreum altiori, quàm alii Sancti loco consistat. 3. Ascendisse quoque ipsum super omnem creaturam Spiritualem; quia, licet secundùm suæ naturæ conditionem sit inferior substantiis Spiritualibus, ob unionem tamen hypostaticam perfectior est, & digniorem locum meretur. 4. Ascensionem illius causam fuisse nostræ salutis exemplarem (quatenus secundùm dignitatem & propositum Dei prima fuit) & aliquo modo effectivam, quatenus scilicet Ascensione sua spem nobis Ascensionis conciliavit, & suppositâ Ascensione velut conditione ex parte agentis, Ascensionis nostræ causa est.

IV. Quæst. 3. *Quid de Sessione Christi ad dextram Patris doceant S. Thomas & Theologi?* Resp. Sequentia præcipuè. 1. Sessionem & dextram hoc loco Metaphoricè accipiendam esse, ita ut per sessionem nihil aliud, quàm quies & potestas judiciaria, per dextram verò beatitudo intelligatur. 2. Christum si humanitas nuda spectetur, eatenus tantùm sedere ad dextram Patris, quatenus bonis paternis potioribus præ cæteris creaturis gaudet, id est, majori beatitudine fruitur, & judiciariam potestatem accepit, si verò eadem ut unita spectetur, tum sicut verè Deus est, ita æquali quoque honore cum Patre dignus est, atque adeò meritò ad dextram Patris sedere dicitur. 3. Sessionem hanc adeò Christo propriam esse, ut nulli creaturæ competere possit, cùm soli ipsi propter unionem hypostaticam æqualitas gloriæ cum Patre, & judiciaria potestas conveniat.

V. Quæst. 4. *Quid de judiciaria Christi potestate S. Thomas & Theologi doceant?* Resp. Sequentia quinque. 1. Judiciariam potestatem Specialiter Christo convenire; eò quòd ad Judicem præter potestatem Subditos coercendi, & rectitudinis zelum propriè requiratur Sapientia, secundùm quam formetur judicium; Christus autem sit Sapientia genita, & veritas à Patre procedens, & ipsum perfectè repræsentans. 2. Eandem potestatem Christo etiam, quatenus homo est, convenire, cùm quâ homo fit caput totius Ecclesiæ, atque adeò præ cæteris Hominibus meruerit, ut Judex omnium Hominum, & ex consequenti etiam aliarum rerum constitueretur. 3. Non tantùm respectu rerum sublunarium, sed etiam respectu Angelorum potestatem illi judiciariam convenire, cùm propter unionem hypostaticam meruerit super omnes Angelos exaltari, atque adeò etiam judicare eosdem, uti S. Thomas q. 59. a. 6. argumentatur.

VI. Quæst. 5. *Quis fructus ex hac materia de Oeconomia Verbi à Theologo sit hauriendus?* Resp. Triplicem præcipuè hauriendum esse. Primus est, ut grato animo agnoscat, digneque æstimet beneficia per hanc Christi Oeconomiam collata; quæ quidem breviter, sed optimè expressit S. Bernardus, dum in epist. quadam dixit: *Nemo hominum novit, sed nec noscere potest ad plenum, quid boni ad gratiam; quid congruentiæ ad Sapientiam; quid decoris ad gloriam; quid commodi ad Salutem, tenes seipsam contineat hujus venerandi mysterii, scilicet humanæ Redemptionis inscrutabilis altitudo.* Secundus est, ut bene apprehendat, aliisque inculcet tria officia Christi primaria, nempe Ducis, Magistri, ac Redemptoris, quæ ipsemet indicavit Io. 14. dum dixit: *Ego sum via* (quia duco ad cœlum) *veritas*, (quia doceo Homines veritatem) & *vita* (quia redempturus sum illos.) Hinc S. Leo S. 4. de Resurr. *Christus*, inquit, *est via Sanctæ conversationis, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis sempiternæ.* Et S. Cyrillus: *Christus est nobis*

bis via per vitæ actionem, veritas per Fidei rectitudinem, vita per Sanctificationem. Tertius fructus est, ut pariter bene apprehendat tria officia, quæ vicissim quivis homo erga Christum præstare debet, nempe 1. *Caritatem tenerrimam propter dilectionem*; quod officium pulchrè indicavit S. Augustinus, dum alicubi dixit: *Domine, qui tibi non servit, quia creatus est, infernum meruit; qui verò tibi non servit* (& te diligit) *quia redemptus est, meretur, ut novus pro eo infernus fiat*, Et in eundem sensum S. Bernardus super Cant. *Dignus planè est morte*, inquit, *qui tibi, Christe, recusat vivere; & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est.* 2. *Gratitudinem maximam propter Redemptionem*: si enim, ut S. Bernardus sapienter advertit, totum se quisque debet pro se facto, quid addet pro se refecto, & refecto hoc modo? 3. *Imitationem studiosissimam propter perfectionem?* ideo enim Dominus IESVS, ut ait S. Laurentius Iustin. c. 5. lign. vit. quod alios verbo docuit, ipse suo primò formavit exemplo, utrumque nobis, & meritum patientibus, & patiendi Speculum factus. Hinc & ipse denuo ad omnes homines repetit, quod olim Io. 13. ad Apostolos dixerat: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Atque adeò meritò concludit S. Bernardus S. 4. de adu. *Omnis nostra virtus tam longè abest à vera virtute, quàm longè abest ab ea forma, quam verbo & exemplo commendavit Christus præsens in carne.*

CAPVT III.

De Sacramentis.

DE hac materia utpote præ reliquis ad praxin pertinente accuratè plerumque Theologi morales agunt. Quare hoc loco breviter duntaxat illæ quæstiones, quæ Scholasticæ Theologiæ propriæ sunt, indicabuntur.

(∴)

AR-

ARTICVLVS I.

De Sacramentis in genere.

I. De his quinque potissimum quæstiones controversæ apud Theologos Scholasticos occurrunt, videlicet de essentia Sacramenti, de causalitate, de effectu, de Ministro, de suscipiente; de quibus totidem quæstiones breviter hoc loco proponentur.

II. Quæst. 1. *Quid de Essentia Sacramenti doceant Theologi Scholastici?* Resp. Sequentia communiùs doceri. 1. Non sufficere, ut Sacramentum significet quamcunque Sanctitatem, ut Canus & Bellarminus voluerunt, sed debere veram Sanctitatem internam ac perfectam seu gratiam significare; alioqui enim difficulter ab aliis cæremoniis, quæ non sunt Sacramentum, distinguerentur. 2. Non sufficere quoque, ut Sacramentum significet tantùm gratiam (quemadmodum Vasquez & nonnulli alii voluerunt) sed requiri etiam, ut sit signum practicum, sanctitatem saltem aliquam, perfectam vel imperfectam conferens, uti inductione probatur. 3. Non requiri necessariò, ut gratiam internam causet, sicut Lugo contra communem aliorum doctrinam contendit. 4. Requiri tamen aliquam stabilitatem, ut Populum Dei consignet, & in anteriore cultu ab aliis sectis distinguat; in quo teste Arriaga, omnes ferè Authores conveniunt contra Lugonem & Dicastillo. 5 Iuxta S. Thomam quidem & nonnullos Recentiores Sacramenta Novæ & Veteris legis analogicè tantùm convenire in ratione Sacramenti; contrariam tamen Sententiam, quæ ea univoce convenire contendit, communiorem esse, teste Tannero d. 3. q. 1. num. 45. 6. Communiorem quoque esse Sententiam ejusdem Tanneri. num. 36. & Suar. Valent. ib. cc. qui contendunt rationem signi principaliorem esse in Sacramento, quàm rationem causalitatis (quam magis præcipuam esse Bellarminus contendit) eò quòd à significatione rei Sacræ potissimùm Sacramenti nomenclatura ortum duxerit, & non à causalitate, alioqui Deus Sanctificans homines Sacramentum dici deberet, inquit Tann. 7. Rectè proinde definiri Sacramentum hoc modo: *Est invisibilis*

gratiæ signum sensibile ad homines Sanctificandos à Deo institutum. 8. Ad omne Sacramentum requiri Materiam & formam, quæ tunc substantialiter variata censebitur, quando non amplius manet eadem significatio Materiæ vel sensus in verbis à Christo præscriptis; unde licet multi apud Suar. d. 2. S. 1. velint vitiari formam, quando Minister intendit novum aliquem ritum aut hæresim introducere in Ecclesiam, contrarium tamen communiter docent Recentiores, existimantes per generalem intentionem, qua talis Minister intendit facere, quod Ecclesia præcipit, & Christus instituit, particularem intentionem erroneam corrigi ac emendari. 9. In omni statu (excepto statu Innocentiæ) fuisse aliqua Sacramenta instituta, in statu quidem Naturæ lapsæ remedium parvulorum (ad quod communiter Theologi contra Vasquez etiam externam quãdam actionem requiruntur, & intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, non autem fidem formãtam quam Vasquez; nec fidem explicitam Redemptoris, quam Lugo; nec implicitam ejusdem, quam Arriaga requirit, necessariam esse asserunt) in lege scripta circumcisionem, consecrationem Pontificum, esum agni Paschalis Sacrificia pro peccatis & in lege gratiæ ea septem, quæ Catholica Fides docet.

III. Quæst. 2. *Quid de causa & causalitate Sacramentorum doceant Theologi?* Resp. sequentia ferè. 1. Omnia Sacramenta à Deo immediatè, Sacramenta novæ legis verò à Christo etiam, quà Homo est, fuisse instituta, & quidem potestate nulli creaturæ communicabili, licet alia potestas communicari queat, uti communiter sentiunt Doctores, teste Tann. q. 2. n. 18. contra Scotum & Vasquez. Consistit autem hæc *potestas excellentiæ*, sive, ut alij vocant, *auctoritatis* in hoc, ut S. Thomas q. 64. a. 3. notat, quòd Sacramenta omnia vim suam habeant ex meritis Christi; & in fide per invocationem nominis ejus sanctificentur, & perficiantur; ipseque etiam ut Homo instituere possit talia sacramenta, & effectum illorum sine exteriore Sacramento conferre. 2. Sacramenta legis Naturæ & Mosaicæ juxta multos quidem, teste Haunoldo l. 4. num. 629. saltem per modum conditionis gratiam ex opere operato conferre; verùm probabiliorem & communiorem hodie sententiam, vel absolutè ipsis hanc efficientiam ex opere operato conferre, uti

Tann.

Tann. n. 18. cum plurimis ib. cc. contendit; vel certè non nisi denominativè ab actu interno, Fidei & protestationis, per quem applicabantur, eam gratiam contulisse, uti idem Haunoldus n. 634. cum Arrubal, Esparza, Dicastillo, & Pallavicino sentit. 3. Sacramenta novæ legis omnia gratiam ex opere operato, & quidem physicè juxta Thomistas, Suar. Valent. Tann. Dicastillo & alios; juxta Recentiores verò moraliter duntaxat causare. 4. Probabiliter non tantùm Sacramenta mortuorum per se, sed etiam Sacramenta vivorum per accidens causare primam gratiam, uti teste Arriaga d. 16. S. 1. num. 8. omnes Thomistæ & Scotistæ cum Suar. Valent. Bell. Præp. Tann. & multis alijs contra Vasquez Lugon. Dicastillo, & alios RR. 5. Sacramenta Validè & licitè suscepta juxta communem sententiam non conferre suum effectum, nisi dum actu existunt; ubi tamen semel extiterint, probabiliter omnia reviviscere, si valida & informia esse possint, uti Arriaga S. 6. n. 14. cum aliis à se cc. docet contra alios, qui talem reviviscentiam negant vel solis Eucharistiæ, ut Suar. Lugo & alii; vel Eucharistiæ simul & Matrimonio, uti Palud. & Silvest. apud Vasq. vel solis Sacramentis characterem non imprimentibus, uti antiqui nonnuli; vel solis Sacramentis vivorum, uti Durandus; vel omnibus præter Baptismum, uti Vasq. Præp. Becan. & alii; vel omnibus simpliciter, uti Scotus & Scotistæ.

IV. Quæst. 3. *Quid de effectu Sacramentorum doceant Theologi?* Resp. tria præcipuè. 1. Ab omnibus gratiam habitualem cum annexis virtutibus, & præterea etiam Sacramentalem conferri. 2. Gratiam istam Sacramentalem non esse specie distinctam ab habituali, ut Paludanus & alii voluerunt; nec in alio quopiam habitu à virtutibus distincto; sed tantum in denominatione extrinseca consistere, quatenus scilicet intuitu Sacramenti suscepti gratia Sacramentalis acquirit ius ad specialia auxilia naturæ cujusque Sacramenti proportionata exigenda. 3. Ab aliquibus, nempe Baptismo, Confirmatione, & Ordines etiam Characterem imprimi, qui non est relatio talem prædicamentalis, uti Scotus voluit; nec modalis entitas, uti Sotus contendit; Sed absoluta qualitas vel intellectui, ut vult S. Thomas & Thomistæ; vel voluntati, ut Scotus & Scotistæ sentiunt; vel

utrique, ut D. Bonaventura putat; vel ut alii communiùs docent ipsi animæ impressa indelebilis ex natura sua, & intensionis incapax, quæ vel ex intrinseco prædicato, ut Lugo & Salas putant; vel certè ut probabiliter, & communiùs alii censent, ab extrinseca Dei institutione accepit vim significandi cultum Dei.

V. Quæst. 4. *Quid de Ministro Sacramentorum doceant Theologi?* Resp. sequentia præcipuè. 1. Ex vi præsentis Institutionis ordinarium Ministrum esse quidem solum hominem, ex speciali tamen commissione etiam Angelo vel animæ separatæ eam potestatem committi posse eò quòd omnes partes ad Sacramentum requisitas ponere possint, uti S. Tho. Suar. Arriag. Dicastill. & alii contra Lugonem docent. 2. Non requiri essentialiter statum viatoris ad Ministrum Sacramenti, eò quòd durum videatur concedere, Sacerdotem aliquem beatum, si in terras mitteretur, ut iterum esse viator, iterum baptizari & confirmari, ac consecrari debere; uti Suar. Dicast Arriag. post D. Thomam contra Lugonem & Esparzam docent. 3. Requiri tamen rationis usum in Ministro, atque adeò non sufficere, ut quis ponat in ebrietate actionem sacramentalem licet ante ebrietatem intentionem legitimam elicuerit; quia ad Sacramentum requiruntur actiones & verba humano modo prolata; ad hoc autem requiritur juxta Pallavicinum apud & cum P. Haunoldo n. 699. ut tali modo proferantur, ut in contractibus & obligationibus sint apta significare animum se obligandi, & actum legitimandi, & insuper talem animum non fuisse revocatum; talis autem aptitudo quæ ex pacto vel usu hominum acquiritur, neutro titulo actionibus & verbis ebrii hominis convenit. 4. Requiri etiam intentionem, qua non tantum actio externa (ut Catharinus & Scribonius ab omnibus rejecti voluerunt) sed verè Sacramenti confectio intendatur, sive per actualem, sive per virtualem intentionem, quæ vel consistit in applicatione potentiarum externarum per intentionem facta, ut Suar. Vasq. Arriag. Scotus & multi alii volunt; vel in actibus voluntatis imperceptibilibus continuatis, ut Lugo explicat; vel in applicatione ab appetit sensitivo (si intellectus sit ligatus) caulata, ut Pallavicinus & Haunold. nu. 689. contendunt. 5. Intentionem non

non semper absolutam requiri, sed etiam conditionatam sufficere, si conditio adhuc existat, vel de præterito extiterit, etiamsi ignoretur, uti communis, & teste Suarez, certissima sententiam contra Esparzam docet.

VI. Q. 5. *Quid de suscipiente doceant Theologi?* Resp. Sequentia præcipuè. 1. Requiri quidem etiam in suscipiente adulto intentionem suscipiendi Sacramentum (quia decet, ut ejusmodi gratiæ non conferantur, nisi voluntariè suscipientibus) sufficere tamen si habitualis sit, eò quòd suscipiens non habeat se ut Minister Christi, & operans nomine alterius, sed merè passivè se habeat. 2. Aequaliter dispositis non nisi æqualem gratiam conferri per idem specie Sacramentum, uti communiter docent Theologi contra Scotum, Paludanum, & nonnullos alios volentes vel ex voluntate DEI, vel propter merita Parentum aut Ministri, aut circumstantias aliquando inæqualem gratiam conferri. 3. Per dispositionem cuius intuitu major gratia datur, non intelligi gratiam habitualem, sed solos actus supernaturales, & quidem probabiliter non illos duntaxat, qui dum actu Sacramentum suscipitur, exercentur, sed etiam priùs intuitu Sacramenti suscipiendi eliciti sunt, uti Lugo. contra Arriagam docet. 4. Sacramentum cum obice susceptum, remoto obice, probabiliter gratiam conferre secundùm dispositionem, quam subjectum habebat, quando susceptum est Sacramentum, uti Suar. Coninck. & Arriaga contendunt; licet Lugo & Vasq. probabiliter doceant, in tali casu conferri gratiam juxta dispositionem, quæ remoto obice reperitur. 5. Subjectum capax Sacramentorum de via ordinaria esse quidem solum hominem viatorem, nihil tamen obstare, quò minùs etiam Angeli & Beati de potentia Dei absoluta Sacramentum recipere possint, uti Suar. & Dicastillo contra communiorem aliorum sententiam docent.

ARTICVLVS II.

De Baptismo & confirmatione.

I. Q. 1. *Quid de Baptismi Sacramento specialiter doceant Theologi?* Resp. sequentia. 1. Esse ablutione corporis exte-

exteriorem sub præscripta verborum forma ad spiritualem regenerationem institutam. 2. Baptismum hunc tam quoad materiam, quàm quoad formam institutum esse à Christo ante passionem, uti cum S. Thoma communis omnium fere Theologorum Sententia docet, teste Tann. d. 4. q. 1. n. 13. licet ibidem fateatur, contrariam sententiam malè ab aliquibus vt erroneam & temerariam damnari, utpote quàm S. Chrysost. & alii graves Patres atque Authores tradiderunt. Licet verò idem Tannerus n. 20. cum aliis multis probabiliùs putet, baptismum hunc institutum fuisse, quando Christus ipse baptizatus est; probabile tamen est etiam, tunc primùm institutum fuisse, quando cum Nicodemo de hoc mysterio contulit, vt Toletus sensit; aut certè alio quopiàm intermedio tempore inter baptismum Ioannis & Passionem Christi, uti Scotus & alii putarunt. 3. in adultis peccatum mortale habentibus pro dispositione non sufficere solam voluntatem suscipiendi baptismum, vt Cajetanus, Angelus, & alii putaverunt, nec attritionem naturalem ut Canus & Sotus censuerunt; nec existimatam contritionem requiri, vt Nauarr. & Cordub. contendunt; aut perfectam contritionem, vt Gabriel cum nonnullus existimavit, sed solam attritionem supernaturalem sufficere, vti communis habet sententia, & tum ex S. Scriptura act. 2. dicente: *Panitemini igitur, & baptizetur unusquisque vestrum:* tum ex Trid. S. 6. c. 6. tum ex SS. Patribus colligitur. 4. Si quis post Baptismum fictè susceptum aliquod peccatum mortale committat, probabiliter quidem juxta Silvestrum, Suar. & Dicastillo attritionem sufficere ad reviviscentiam Baptismi; juxta Haunoldum tamen & alios æquè probabiliter contritionem perfectam, per quod peccatum illud mortale priùs removeatur, requiri.

II. Q. 2. *Quid de Baptismo Sanguinis seu Martyrio doceant Theologi?* Resp. Sequentia doceri. 1. Quinque plerumque conditiones ad illud requiri, nimirum *voluntatem suscipiendi mortem*, si quis adultus est; *retractationem peccati mortalis* per confessionem, si occasio confitendi adsit; vel, si hæc absit, saltem per contritionem (vti Vasq. Laym. & alii volunt apud Tann. n 103. ubi tamen ipse cum Suar. Val. Less. Dicast. & pluribus aliis solam attritionem, imò & voluntatem pro Christo moriendi sufficere putat: *voluntariam mortis naturaliter ex vulnere causatæ susceptionem* (licet non reipsa sequatur) *causam honestam* (qualis est non fidei duntaxat, sed cujuscunque alterius virtutis motivum, vti S. Thomas & Theologi ex communi usu ac traditione Ecclesiæ colligunt; *Odium Tyranni vel Persecutoris*, quo mortem ex odio Fidei aut alterius virtutis inferat, vnde aliqui Martyrium breviter sic definiunt: *Est passio lethalis pro Christi Fide, aut vera virtute suscepta.* 2. Hunc Baptismum Sanguinis effectus suos; scilicet remissionem culpæ & pœnæ, collationemque gratiæ probabiliter ex opere operato ob suam dignitatem & excellentiam causare; uti Lugo, Arriag. Suar. Dicast. & alii docent contra Vasq. & Tann. n 3. ubi putat dici potiùs debere, quòd hos effectus Martyrium neque ex opere operantis, nec ex opere operato, sed per modum *singularis privilegii* causet. 3. Martyrium, si consideretur, prout à caritate imperatur, actum virtutis præstantissimus esse; cùm ut sic ad caritatem spectet; majorem autem caritatem nemo habeat, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis. 4. Privilegium hoc baptismi, Martyrio probabiliter mox ab initio Mundi annexum fuisse, & non primùm post Christi adventum, eò quòd Ecclesia Martyres Machabæos pro Martyribus veris agnoscat, licet illi ante Christi adventum vixerint, & passi sint.

III. Q. 3. *Quid de Confirmatione doceant Theologi?* Resp. sequentia præcipuè. 1. Ipsam nihil aliud esse, quàm Sacramentum roborativum in fide jam suscepta. 2. Eam probabiliter completè institutam esse post resurrectionem, quando Christus per dies quadraginta apparens locutus est de regno DEI. Ita S. Thomas Suar. Laym. Dicast. & plurimi alii apud & cum Dicastill. d. Vnic. de conf. 3. Ballsamum juxta communiorem sententiam esse de essentia Chrismatis; sic enim S. Thomas, Suar. Bonav. Bellarm. Arr. Tann. & plurimi apud hos cc. docent; licet contrarium non improbabiliter etiam Valent. Cajet. Navarr. Vasquez & Dicastillo affirment. 4. Benedictionem quoque ab Episcopo factam juxta communionem S. Thomæ & communem aliorum sententiam, teste Tann. n. 21. esse de essentia Sacramentalis materiæ, videlicet Chrismatis, licet Capreolus & Palu-

& Paludanus putaverint, sine oleo benedicto illud confici posse; Valentia verò cum Cajetano & aliis docuerit; saltem simplici Sacerdoti hanc benedictionem committi à Pontifice posse.

ARTICVLVS III.

De Eucharistiæ Sacramento.

I. De hac Sacramento septem communiter quæstiones moventur ab Authoribus, videlicet de Institutione, Materia, Forma, Effectibus, Ministro, subiecto, sacrificio; circa quas quæstiones, quid Theologi sentiant, breuiter in hoc articulo indicabitur.

II. Q. 1. *Quid de Institutione Eucharistiæ doceant Theologi?* Resp. sequentia præcipuè. 1. Eam esse Sacramentum corporis & sanguinis Domini sub speciebus panis & Vini ad spiritualem animæ refectionem institutum 2. Sacramentum hoc esse in nocte cœnæ vltimæ institutum, vti clarè tum ex Tridentino S. 13. c. 1. colligitur; & verò etiam conuenienter hoc tempore institutum esse tribus rationibus probat S. Thomas q. 73. a. 5. eò quòd scilicet congruum fuerit, ut Christus in propria specie discessurus seipsum in Sacramentali specie velut monumentum relinqueret, sicque efficeret ut coleretur jugiter per mysterium, quòd semel offerebatur in pretium. Deinde verò conveniens quoque erat, ut, quoniam Sacramentum Agni Paschalis fuerat consumandum, aliud Sacramentum perfectius substitueretur. Et denique decebat, vt quò magis commendaretur mysterii hujus altitudo, in suo discessu id relinqueret, quia, quæ vltimo dicuntur ab Amicis, magis memoriæ commendantur, ut ait S. Thoma 3. Idem Sacramentum Luna primi mensis Iudæorum decima quarta (uti communis Catholicorum docet contra Græcos, qui ad fermentum tuendum contendunt Christum anticipasse tempus legitimum Agni Paschalis) post lotionem pedum & finitum coenam legalem, uti Suarez; & non post cœnam usualem, vti Maldonatus & alii voluerunt, instituisse; sic enim rectiùs ostenditur, quomodo Christus post institutionem Eucharistiæ dederit Iudæ buccellam

cellam ex cœna usuali acceptam; & quommodo cœnæ legali abrogatæ mox mystica successerit. 4. Sacramentum hoc unum esse specie infima totali, uti communiter docent Theologi cum S. Thoma q. 73. contra Aureolum & nonnullos alios, licet specie partiali diversa dici queant, maximè si quælibet species distinctam gratiam causet; unde Laici non sumunt quidem Sacramentum integrum secundùm explicitam significationem convivii, recipiunt tamen integrum, si per illud plùs non intelligatur, quàm verum Sacramentum aptum ab significandam & causandam gratiam. 4. Licet Lugo d. 2. nu. 15. putet hoc Sacramentum in toto mundum unicum numero esse, eò quòd sit unicum corpus Christi, rectiùs tamen à Dicastillo, Bonac. & aliis dici, phisicè quidem tot numero esse Sacramenta, quot sunt discontinuatæ hostiæ; moraliter tamen toties numericè multiplicari, quot sunt sumentes vel sumptiones. 5. Idem Sacramentum necessitate medii neque in re, nec in voto necessarium esse (uti cum S. Thoma communiter docent Theologi contra nonnullos, qui volunt, illud adultis & parvulis necessariam esse; & contra Becanum, qui adultis saltem ad perseverantiam esse necessariam existimavit) cùm supponat justificationem; necessitate verò præcepti divini probabiliùs in articulo mortis, & aliquoties in vita necessariam esse, uti communius docent cum S. Thoma Theologi contra B. Bonaventuram & alios negantes dari tale præceptum; vel semel tantùm in vita obligare, uti Cajetanus, & alii antiquiores Theologi docuerunt.

III. Q. 3. *Quid de materia Eucharistiæ doceant Theologi?* Resp. sequentia communiùs doceri. 1. Materiam remotam esse panem triticeum (non presbè, ut Dicastillo; sed latè, ut communiter alii volunt, acceptum) usualem tam azimum, quàm fermentatum; & vinum de vite usuale, aqua modica naturali ex præcepto Apostolico mixtum, quæ tamen aqua juxta communiorem D. Thomæ & Thomistarum, Suar. Vasq. Valent. Bonac, Azor. Arriag. Tann. & aliorum plurimorum sententiam priùs in vinum, quàm sanguinem convertatur; licet non improbabiliter etiam immediatè converti in sanguinem Lugo, Dicastillo & alii R R. doceant. 2. Materiam proximam principalem esse corpus & Sanguinem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem Christi cum speciebus Eucharisticis solis, seu substantia panis & vini spoliatis, uel per unionem physicam substantialem juxta Valentiam; vel accidentalem juxta Vasquez; vel qualitatem Supernaturalem speciebus inditam, & Christi actionem sustentativam specierum, juxta Lugonem; vel per decretum Dei parati concurrere cum Speciebus, ut secum semper ferant corpus Christi juxta Arriagam & Pallavicinum unita, & probabiliter per conversionem substantialem reproductivam (ut Suar. Tann. Mend Arr. & alii docent) vel certè adductivam duntaxat, ut Vasquez, Lugo, Valent. & Recentiores communiùs docent, in Eucharistia posita, & per præsentiam saltem quoad modum supernaturalem (uti Arrig. contra Lugonem contendit) ac definitivam præsentia, ubi tamen juxta communiorem sententiam nec immediatè in se moveri, nec quidquam pati aut agere possint, utpote extensionem ad agendum & patiendum requisitam non habentia; desinunt autem, quando species realiter corruptæ. 3. Materiam proximam minùs principalem esse ipsas species, tam sensibiles, quam occultas, ita ut Lugo & Vasq. has occultas etiam manere de fide esse putent, licet id æquè probabiliter neget Suar. Arr. & alii; easque naturaliter tam agere, quàm pati posse.

IV. Q. 3. *Quid de forma Eucharistica sentiant Theologi?* Resp. sequentia communiùs doceri. 1. Formam hanc non tantùm per motum causæ efficientis, ut Vasquez voluit, sed verè per modum partis constitutivæ Sacramenti hujus perinde ac aliorum requiri, ut Lugo, Valent. Tann. Suar. Arriag. & RR. hodie plerique docent. 2. Sola ista Verba: *Hoc est corpus meum: Hoc est sanguis meus*: esse de essentia formæ; uti communiter Theologi contra Scotum volentem etiam illa verba: *Qui pridiè quàm pateretur*, de essentia formæ esse contendit. 3. Eadem verba non recitativè duntaxat, ut Salmeron & alii putabant, sed verè assertivè, ut alii communiter docent, proferri; atque ut Lugo & alii RR. volunt, quatenus radicaliter duntaxat, & non quatenus formaliter vera causare gratiam.

V. Q. 4. *Quid de effectu Eucharistiæ doceant Theologi?* Resp. tria præcipuè. 1. Nullum in corpore specialem effectum aut qualitatem supernaturalem, per quam Recentiores

res aliqui corpus suscipientis Eucharistiam corpori Christi uniri volebant, produci, sed solummodo fomitem peccati reprimi, & varios affectus per auxilia specialia intuitu hujus Sacramenti collata excitari. 2. In anima non tantùm gratiæ & gloriæ augmentum, sed etiam remissionem peccati saltem venialis, & spiritualem quandam dulcedinem causari; & hunc quidem effectum juxta comuniorem opinionem produci, quando Eucharistia stomachum ingreditur, uti Coninck & Bonac. putant, aut certè ut Suar. Lugo & Arr. contendunt, quando ad eum terminum faucium pervenit, ut manducata dici queat. 3. Vtrumque speciem secundum Lugonem quidem, Vasquez, & Præpositum majorem causare gratiam, quàm quælibet seorsim causet; æque tamen probabiliter contrarium à Suar. Val. Tann. Bellarm. Arriag. Esparza, Coninck, ipsoque S. Thoma doceri, quia & institutioni Christi conformior est, & minorem occasionem præbet Hæreticis conquerendi quòd Laicos usu calicis privemus. 4. Piam quidem & magis consolatoriam esse sententiam, Suar. Lug. & aliorum docentium, species tamdiu causare gratiam, quamdiu in Stomacho manent, maximè si, ut Lugo limitat, nova dispositio accedat; negativam tamen sententiam Vasq. Tann. Hurt. Arriag. & aliorum magis communem, &, ut Arriaga ait, etiam S. Thomæ opinioni conformiorem esse.

VI. Q. 5. *Quid de Ministro Eucharistiæ doceant Theologi?* Resp. sequentia tria. 1. In casu necessitatis probabiliter quidem non tantùm Clericum quemcunque, sed etiam Laicum posse dispensare Eucharistiam, si scandalum absit, uti Suar. Regin. Laym. Fill. Arriag. & alii contra Vasq. Lug. Tann. Dicast. & alios contrarium non minùs probabiliter docentes sentiunt; extra hunc casum tamen solum Sacerdoté & ex hujus commissione Diaconum, qui Iurisdictionem habet, & nulla censura ligatus, aut peccato mortali constrictus est, licitè, non aliis tantùm, sed etiam sibi ipsi tam intra, quàm extra sacrificium ministrare, uti probabiliùs Vasq. Suar. Arr. Dicastill. Tann. & alii contra Cajet. & Lugon. sentient. 2. Parochum tempore pestis probabiliùs non obligari ad Eucharistiam administrandam, uti Suar. & plures apud & cum Dian. p. 5. tr. 3. resol. 53. contra Fill. & alios ibid.

ibid.cc. docent, eò quòd Parochorum vita ad aliorum magis necessariorum Sacramentorum administrationem sit necessaria. 3. Posse in aliquo casu plures Sacerdotes eandem hostiam consecrare, uti fit de facto, quando Sacerdotes consecrantur; & tum probabiliter ex omnibus Sacerdotibus fit unus Minister, nec effectus citiùs datur, quàm omnes absolverint formam, uti aliqui apud Dicast. docent, licet non improbabiliter alii cum Lug. Arr. Vasq. doceant, solum illum, qui primò formam absolvit, conficere Sacramentum.

VII. Q. 6. *Quid de subiecto Eucharistiæ doceant Theologi?* Resp. sequentia præcipuè. 1. Subjectum capax fructuosæ communionis non tantùm esse adultos & rationis capaces; sed etiam probabiliter Infantes & Amentes, uti Suar. Vasq. Lugo. Arr. Tann. & passim alii contra Palud. Majorem, & nonnullos alios docent; alioqui enim micæ de Eucharistia datæ Infantibus non fuissent. 2. Præceptum, quo juxta communem sententiam Status gratiæ per confessionem, si fieri possit, procurandus est, probabiliùs divinum & ab ipso Christo latum esse, uti Suar. Vasq. Lugo Arriag. & alii communiùs cõtra Medinam & plures R R. docent 3. Nullum præceptum extare de communione sub utraque specie à Laicis sumnenda; ideoque potuisse Ecclesiam, & de facto prudenter & rectè Laicis usum calicis interdixisse, uti Catholici Doctores omnes contra Hæreticos docent.

VIII. Q. 7. *Quid de Eucharistia prout est Sacrificium, doceant Theologi?* Resp sequentia præcipuè. 1. Per Sacrificium hoc loco nihil aliud intelligi, quàm immutationem rei DEO publica authoritate oblatæ, qua eundem vitæ & mortis authorem profitemur; Vti plerique Theologi describunt contra Vasq qui negat esse de essentia Sacrificii, ut sit signum publica authoritate institutum. 2. Sacrificium Missæ probabiliùs in sola consecratione consistere, quatenus per illam Christus mysticè destruitur, quod fit vel per separationem corporis & sanguinis vi verborum factam (ut multi volunt) vel quatenus per illam Christus in tali statu ponitur, in quo non possit actiones humanas exercere; vel certè quatenus panis & vinum destruuntur in signum authoritatis divinæ supra vitam & mortem. Ita communis sententiam S. Thomæ & aliorum apud Tann. contra Bellarm. & alios, qui vel

vel sumptionem, vel etiam oblationem & fractionem requirunt; sed minùs bene ostendunt, quomodo Ecclesia in die Paraseeves verum Sacrificium non offerat, & quare non liceat unam speciem sine altera consecrare; aut quomodo aliquæ animæ purgatorii statim post consecrationem pro ipsis factam in cœlos evolasse sint visæ. 3. Probabiliter tamen sumptionem esse partem integralem Sacrificii, alioqui enim Ecclesia immeritò tam sollicitè præciperet, ut Sacerdote post consecrationem deficiente alius substituatur, qui Sacrificium absolvat, uti rectè Lugo, Dicastill. & alii discurrunt, dicentes esse communem sententiam. 4. Probabiliùs utriusque speciei consecrationem de facto essentialiter requiri ad consecrationem, cùm utrique species ad finem Sacrificii vel maximè conducat; uti S. Thomas & communiter alii Theologi contra Henriq. Salmeron. & Sanch. docent; licet Lugo, Tanner. Suar. Bellarm. & alii rectè contra Vasq. sentiant, posse rationem Sacrificii in una specie salvari, quia adhuc sufficienter separatio mystica corporis à sanguine, vel destructio alterutrius substantiæ, panis scilicet, vel vini salvaretur. 5. Effectum proprium & infallibilem hujus Sacrificii ex opere operato causatum esse solam remissionem pœnæ temporalis, uti communis omnium Catholicorum sententia docet, teste Arriaga d. 57. n. 12. 6. Etsi Lugo probabiliter doceat juxta majorem dispositionem etiam majorem per hoc sacrificium fructum obvenire; contrarium tamen communiùs doceri à Suar. Arriag. & aliis, eò quòd nullum sufficiens fundamentum habeatur hunc effectum ipsi tribuendi. 7. Neque ab Ecclesia, nec à Sacerdote quatenus privata persona est, nec ab iis, qui assistunt Sacrificio, ullum valorem satisfactorium Sacrificio per eorum oblationem accedere, cùm neque ex authoritate, neque ex ratione probari efficaciter possit hic effectus, uti rectè communis sententia contra Suar. & Henriq. sentit. 8. A Sacerdote, quatenus Personam Christi repræsentat, valorem quidem Sacrificio accedere, sed finitum tantùm, uti communior sententia Suar. Lug. Arriag. Tann. & aliorum contra Vasq. & Dicastillo docet; hoc ipso enim, quòd Christus hoc Sacrificium frequentiùs offerri voluerit, debebat sic instituere, ut finitus duntaxat ex illo fructus obveniret.

ARTICVLVS IV.

De Pœnitentiæ Sacramentò.

Dupliciter accipitur nomen Pœnitentiæ à Theologis, pro virtute scilicet Speciali (qualem aliqui dari de facto contendunt) & pro Sacramento, denominatione à parte prima, quæ ad Sacramentum ad remittenda peccata institutum requiritur, desumpta. Priori modo si sumatur, ejus tractatio quidem ex instituto ad secundam secundæ pertineret (cùm sit species ad Religionis, vel ut alii volunt, Iustitiæ, virtutem spectans (quia tamen S. Thomas de ea in hoc loco ex instituto egit, ideo alii quoque Theologi Scholastici eum secuti hic eam explicant, & quidem ad meliorem ordinem & distinctionem ante Sacramentum Pœnitentiæ, unde & in hoc articulo quid de utraque doceant Theologi Scholastici, diversis paragraphis breviter indicabimus.

§. I.

De virtute Pœnitentiæ.

I. De hac quatuor præcipuè quæstiones moventur à Theologis, scilicet de Natura seu essentia Pœnitentiæ, de Speciebus illius, de subjecto, de effectibus, & de necessitate; de quibus eodem ordine hic agetur.

II. Q. 1. *Quid de natura Pœnitentiæ doceant Theologi?* Resp. sequentia ferè. 1. Pœnitentiam prout ordinariè reperitur in Peccatoribus, quatuor actus involvere, quorum primus vocatur *Odium* seu *detestatio* peccati, & nihil aliud est, quàm vitalis aversio à eo, quod malum apparet. Secundus est *dolor* seu tristitia de peccato, quatenus in effectu saltem suo adhuc præsens est. Tertius est *Retractatio* peccati, quæ nihil aliud est, *quàm irritatio seu destructio actus peccaminosi præterdentis*. Quartus tandem est *propositum* non ampliùs peccandi. Qui actus, etsi ordinariè interveniant in Pœnitentia, Præpositus tamen hic a. 3. num. 21. putat, eam formaliter in solo dolore, Suar. Bonac. & Tann. in sola detestatione in recto importata, & dolorem in obliquo connotante; consistere Lugo verò, Arriaga & Laym. utrumque formaliter & in recto involuere volunt, explicitum tamen propositum non peccandi de reliquo non involui, communissimè Theologi contra Sotum docent, teste Tannero q. 6. n. 16. unde Concilium Trident. dum contritionem requirit pro Sacramento Pœnitentiæ, expressè addit *cum proposito non peccandi de reliquo*, quod addere non fuisset necesse, si tale propositum explicitè in actu pœnitentiæ involveretur. 2. Pœnitentiam esse veram virtutem simpliciter, uti communiter cum S. Thoma q. 85. a. 1. docent Theologi contra Cajetanum & Durand. qui eam tantùm secundùm quid virtutem esse contendunt. 3. Eandem Pœnitentiam juxta Altisiod. & Majorem quidem ab tota collectione virtutum; juxta Suar. Coninck & alios à virtute Religionis latiùs accepta; juxta Vasq. Valent. Bellarm. Tann. & alios à virtute Iustitiæ commutativæ, juxta Hannoldum à virtute Pacis cum Deo indistinctam esse realiter; juxta Lugonem tamen, Mendozam & alios RR. Specialem virtutem ab omnibus aliis virtutibus distinctam esse, eò quòd honestum sit non perseverare in malo, sed mox resipiscere ab illo; hanc autem honestatem prosequi ad nullam aliam virtutem, quàm Pœnitentiam pertineat. 4. Objectum materiale Pœnitentiæ, juxta Tann. quidem n. 28. & Vasq. Val. aliosque ibidem cit. non solùm esse peccatum, quatenus est offensa DEI per divinam gratiam expiabilis, & aliquo modo compensabilis, sed etiam contrarium bonum, quod prosequitur, cùm juxta certissimam Theologorum sententiam ad eandem virtutem pertineat prosequi bonum, & malum eidem oppositum fugere; si tamen Pœnitentiæ virtus specialis, & ab omnibus distincta dicatur, aut realiter quidem identificata, formaliter verò diversa, rectiùs dici objectum materiale esse solam malitiam formalem propriam & præteritam, cùm nemo de alieno malo, aut etiam proprio, nisi præteritum sit, propriè pœnitere dicatur.

III. Quæst. 2. *Quid de speciebus Pœnitentiæ doceant Theologi?* Resp. sequentia præcipuè. Si Pœnitentia sit specialis virtus, non habere species distinctas, sed esse speciem infimam, cùm ut sic unicam duntaxat habeat formalem honestatem, sub qua omne peccatum detestatur. 2. Si consideretur

retur secundùm motiva aliarum virtutum, à quibus imperatur, tum juxta communiorem sententiam dividi in contritionem & Attritionem; seu perfectam Pœnitentiam, quæ se sola sufficit ad remissionem cujuscunque peccati; & imperfectam, quæ se sola ad remissionem quidem venialis, non item mortalis peccati sufficit. 3. Ad contritionem seu Pœnitentiam requiri quidem motivum caritatis, ut S. Thomas & Scotus cum pleriſque aliis Theologis contra aliquos, qui quodcunque motivum specialis virtutis sufficere putant; Sed tamen amorem hunc non necessariò formalem (ut Coninck & plures alii Theologi requirunt) aut expresè comparativum (ut Arriaga d. 8. s. 2. contendit) nec summè aut certo saltem modo intensum aut certo tempore durantem (ut Adrianus Scotus & Sotus volebant) esse debere, sed sufficere, si virtualis sit & appretiativè omnia peccata in confuso detestetur, quatenus DEO super omnia dilecto sunt contraria. 4. Ad attritionem requiri, ut non naturalis duntaxat sit (quemadmodum Canus, Sotus, & quidam alii voluerunt) sed verè supernaturalis; & hoc modo perinde honesta erit, ac aliæ virtutes, uti contra Hæreticos unanimiter, docent Catholici Theologi. Etsi verò hi interdum dicant ex attrito contritum fieri posse, hoc tamen non sic intelligendum est, quasi actus attritionis essentiam suam mutare possit, sed quod attritio cum Sacramento æquivaleat contritioni; aut certè cum ipso actu caritatis imperante interdum conjungatur, & sic denominativè quoque contritionis appellationem mereatur. 5. Per utramque hanc speciem Pœnitentiæ magis Pœnitentem detestari proprium peccatum leve, quàm grave alienum; atque inter propria etiam magis peccatum veniale, quàm originale, uti Lugo & alii RR. contra Arriagam sentiunt.

IV. Q. 3. *Quod sit subjectum Pœnitentiæ?* Resp. 1. Si Pœnitentia Strictissimè sumatur pro solo actu detestativo peccati, omnem & solum hominem justum, qui non est extrinsecè vel intrinsecè impeccabilis, esse subjectum remotum, uti Vasq. & Arriag. docent contra Lugonem, qui solum subjectum intrinsecè impeccabile scilicet Christum excipit, & contra D. Bonaventuram, qui etiam in Peccatore hunc habitum supernaturalem perinde ut fidem & spem admittit. Resp. 2. Si Pœnitentia cum aliis virtutibus identificata concedatur, tum rectè etiam in Christo, B. V. Angelis & Hominibus subjectari dicitur; quia, licet secundùm actum propriſſimum ea virtus ab illis exerceri non possit, potest tamen ad alios virtutum actus eliciendos servire atque adeò non inutilis omnino & omnino, ac otiosus in tali subjecto censeri debet.

V. Q. 4. *Quid de effectibus Pœnitentiæ sentiant Theologi?* Resp. quatuor præcipuè. 1. Per pœnitentiam perfectam seu contritionem omnia peccata mortalia sic remitti, ut (sicut Vasq. Valent. & plures alii apud & contra Tanner. d. 6. num. 16. Suar. Lug. docent neque per absolutam DEI potentiam unum sine altero remitti; nec etiam reviviſcere posſit, uti contra Valent Scotum, & alios rectiùs Suar. Vasq. Lugo Tann. & alii docent. 2. Per eandem Pœnitentiam, ſive perfectam, ſive imperfectam etiam omne peccatum veniale, ad quod se extendit, remitti, & quidem de condigno in hac vita (cùm sit sufficienter proportionata ad hunc effectum) de congruo verò in altera vita, si quis cum veniali moriatur; tunc enim est incapax meriti de condigno; hanc tamen remiſſionem venialium non fieri, niſi mortalia, cum quibus conjungitur, remittantur, uti teste Tannero n. 35. communiter Theologi cum S. Thoma contra Scotum & Durandum sentiunt, eò quòd non deceat Deum reconciliari pro levi injuria cum inimico, qui manere vult inimicus. 3. Per perfectam Pœnitentiam quidem totam pœnam æternam & partem etiam pœnæ temporalis remitti, per absolutam tamen DEI potentiam posse negari à DEO hunc effectum, uti Suar. Lugo. Arriag. Tann. & alii communiùs contra Medinam, Scotum, & alios docent. 4. Etiam Merita mortificata non tantum quæ ex opere operantis (ut vult Vasq.) sed etiam, quæ ex operato acquisita sunt, quoad totum valorem, & non secundùm quantitatem dispositionis (ut Bannez & alii Thomistæ contendunt) vel contritionis (ut Valent. Henriq. Cajet. & alii volunt) reviviſcere juxta communem Suar. Scoti. Præp. Lugon. Arr. Tann. Dicast & aliorum sententiam utpote bonitati DEI, S. Scripturæ, SS. PP. & communi hominum sensui conformiorem; imò etiam hanc reviviſcentiam ex Iustitia deberi Vasq. & alii putant; Suar. tamen cum Tannero,

n. 40. etiam favorem DEI intervenire censet ; Scotus verò, Gabriel & alii totam misericordiæ DEI adscribendam existimant, eò quòd minùs convenienter admitti videatur, peccatorem jus ad vitam æternam (quod solis Filiis convenit) licet suspensum habere.

V I. Quæst. 5. *Quid de necessitate Pœnitentiæ doceant Theologis ?* Resp. tria præcipuè. 1. Posse per absolutam DEI potentiam peccatum quodcunque (si non ex intrinseco prædicato sit irremissibile, quale Lugo & alii RR. possibile esse putant) per solam condonationem DEI extrinsecam, vel gratiæ infusionem remitti, etiamsi nulla hominis retractatio interveniat, uti Suar. Lugo. Tann. & RR. communiùs contra Vasq. utrumque Soto Becan. Amicum, & plures Thomistas, ipsumque ut putant, S. Thomam sentiunt. 2. Etsi probabilis sit sententia Suar. Tann. & plurium aliorum docentium Pœnitentiam formalem de facto in re vel voto esse necessariam, ad remissionem peccati mortalis, æquè tamen probabilem esse negativam Vasq. Præpos. Bonac. Lugon & aliorum RR. sententiam, cùm possit ex una parte homo non recordari suorum peccatorum, & tamen elicere actum dilectionis ; ex altera parte autem dilectioni reciprocus DEI amor & justificatio sit promissa. 3. Licet etiam Peccatorem præcepto naturali ad pœnitentiam obligari vel aliquoties in vita (ut Lugo, Arr. Suar. Coninck & alii censent) vel saltem in articulo mortis (ut Vasq. Dicast. Esparza, Palavic. & alii apud & cum P. Haunoldo l. 4. tr. 4. num. 937. existimant) probabile sit, non tamen omnino improbabilis est sententia Guilielmi Parisiensis, Petri Soti, Silvestri, D. Antonini, Paludiani, Alensis, Majoris, Cajetani, Abulensis, D. Bonav. Durandi & plurium apud Arr. d. 18. s. 2. n. 7. volentium, hoc præceptum statim post peccatum commissum obligare. Quam sententiam idem Arriaga ab aliquibus RR. fortiter defendi asserit, eamque à Tann. num. 47. judicari speculativè valdè probabilem, & verò hoc ipsum etiam sibi videri, eò quòd in re summi momenti, qualis est æterna salus, meritò quisque ad summam diligentiam, adhibendam, atque adeò ad se ipsum in statum gratiæ restituendum obligatus existimetur.

§. II.

§. II.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. De hoc sex plerumque quæstiones moventur à Theologis, videlicet de Institutione illius, de dolore, confessione, satisfactione, forma absolutionis, Ministro & obligationibus illius, ad quas proinde quid respondeant Theologi Scholastici, breviter hoc loco indicabitur.

II. Quæst. 1. *Quid de Institutione doceant Theologi ?* Resp. sequentia præcipuè. 1. Hoc Sacramentum non tantùm ad remissionem pœnæ æternæ (uti Hugo de S. Victore putabat) vel pœnæ temporalis quoad aliquam partem (ut Magister sentiebat) sed verè ad culpæ etiam remissionem institutum esse, uti omnes reliqui Theologi conformiter S. Scripturæ & Concilio Tridentino sentiunt. 2. Idem Sacramentum juxta communem sententiam pro materia quidem remota peccata verè aliquando commissa, pro materia proxima verò contritionem (latè acceptam) & confessionem tanquam partes essentiales, Satisfactionem autem tanquam integralem ; pro forma verò ipsam absolutionis formulam habere ; atque adeò non in sola absolutione consistere, ut Scotus volebat ; neque in confessione & absolutione ut Durandus ; nec in contritione & confessione sola, ut Marsilius, nec in sola contritione & confessione, satisfactione, ut Sotus, nec in sola confessione & satisfactione, ut Gabriel & Altisiod. contendebant. 3. Idem Sacramentum necessarium quidem esse in re vel voto, in ipsa contritione incluso, uti communissima TT. sententia sentit contra Canum & alios, qui explicitum votum requirunt. 4. Dari etiam præceptum tam divinum, quàm Ecclesiasticum ad hoc Sacramentum obligans, non nisi tamen eos qui peccata mortalia habent, uti communiter docent Theologi contra Richard. Bonav. & alios apud Vasq. volentes, etiam ad venialium peccatorum confessionem dictum præceptum se extendere.

III. Quæst. 3. *Quid de dolore doceant Theologi ?* Resp. Tria præcipuè. 1. Non sufficere intentionem suscipiendi hoc Sacramentum (ut Silvester volebat) nec putatum invincibi-

liter dolorem (ut Canus, Vega, Sotus censebant) nec displicentiam quamcunque cum velleitate non pecandi (ut Cajetanus & victoria docebant) nec dolorem, quo quis doleat se non dolere (ut Palud. Navarr. Saa docebant) nec dolorem quoad modum supernaturalem (ut Sotus. Medina, Ruard. Vasq. & alii RR. teste Dicastillo dub. 1. n. 10. contedebant) sufficere, sed verum, efficacem, & in substantia supernaturalem dolorem requiri, ut communiter alii Theologi docent. Etsi verò Silvester, Rosella apud Lug. Item Vivaldus & Valent. in libello, qui inscribitur *Privilegia morientium*, citati putent dolorem virtualem in amore Dei super omnia inclusum sufficere, contrarium tamen alii Theologi communiter docent. 2. Ad dolorem hunc non necessariò requiri motivum caritatis perfectæ (uti D. Bonav. Gabriel, Major, Marsilius, Hugo de S. Victore, Medina & alii apud Haunold. n. 985. volunt) nec etiam actum minus perfectæ caritatis, qui Deum pro fine *cui* habeat, & simul tamen à metu pœnæ vel turpitudine peccati moveatur (uti Sylvius & Pallavicinus ibid. cc. contendunt) sed attritionem etiam agnitam, non tantùm extra articulum mortis (ut plerique alii concedunt) sed etiam in illo articulo sufficere, uti Bec. Coninck, Laym. Turr. Fagund. Dian. Lugo & alii apud Dicastillo du. 10. contra Arriag. Suar. Tann. Sanch. Valent. Gran. Præp. docent, cum ita apertè Concilium Tridentinum S. 14. c. 4. docere videatur, & vel ex hoc ipso, quòd Pœnitentia Sacramentum mortuorum dicatur, colligitur. 3. Dolorem hunc non tantùm ex motivo universali procedere (ut omnes concedunt) sed etiam ad omnia peccata mortalia extendere se debere, atque adeò non posse hoc Sacramentum validum & informe esse; uti probabiliter docent Vasq. Major. Gabriel. Medina. Con. Ochagan. Turria. Fagund. Laym. Præp. Pallavic. Arriag. Haunold. & alii contra Suar. Lugo. Tann. Dicast. Henriq. Valent. Bonac. & alios, licet diversimodè, suam sententiam explicantes, sed minùs conformiter Concilio Tridentino, uti prior sententia existimat. 4. Dolorem istum neque natura præcedere debere confessionem (ut Laym. & Præpositus sensserunt) neque tempore (ut Coninck voluit) sed sufficere, si comitetur, vel subsequatur confessionem, uti Suar. Vasq. Lugo. Arr. & communiter alii docent, & tum ex natura Iudicii, tum ex praxi Confessa-

tio-

riorum post peccata explicata ad dolorem excitantium patet.

V. Q. 4. *Quid de Confessionem docuant Theologi?* Resp Sequentia præcipuè. 1. Confessionem non in voto, sed in re necessariam esse ad hoc Sacramentum, uti unanimiter docent Theologi, excepto fortè Pallavicino, qui in manuscripto concedit, confessionem in voto sufficere, putatque ex Concil. Trid. S. 14. c. 4. id probari posse, ubi dicitur, contritionem, prout abstrahit à perfecta & imperfecta justificare, si sit conjuncta cum voto præstandi reliqua. 2. Peccata non tantùm positivè dubia non esse necessariò in confessione explicanda, uti plerique concedunt (saltem extra articulum mortis, in quo P. Haunoldus l. 4. Inst. Theol. tit. 6. §. 1. saltem ex caritate putat illa in confessione explicanda esse) sed idem etiam speculativa probabilitate de negativè dubiis sentiendum esse uti Coninck Caramuel. Henriq. Præp. Amicus, Petrus Marchantius, Iosephus de S Ianuario. Io. Martinon. Martinus de S. Iosepho apud Dian. p. 10. tr. 12. re 2. & p. 11. tr. 8. re. 44. & alii plures apud Haun. l. 4. tr. 4. n. 1095. docent, licet contraria sententia, uti communior & securior, ita & in praxi magis suadenda sit. 3. Circumstantias notabiliter aggravantes juxta Suar. quidem, Sanch. Coninck. Tann. Arriagam & alios esse in confessione necessariò explicandas; verùm æquè probabilem esse negativam S. Thomæ. Vasq. Val. Less. Lug. Dicastill. Laym. & plurimorum aliorum Recentiorum sententiam; inter quos mediam viam frustra tenere conatur Esparza apud Haunoldum, dum circumstantias ex parte objecti se tenentes (quales sunt v. g. quantitas rei furtivæ) non autem eas, quæ ex parte actus se tenent (quales sunt major vel minor intensio, libertas, &c.) explicandas esse contédit. 4. Iuxta Io. de Dicastilio d. 9. dub 9 n. 760. & aliorum innominatorum sententiam apud Dian. p. 3. tr. 4. re. 66. quam Suar. etiam, Bonac. Homobonus, & Coninck probabilem judicant, non tantùm in sed etiam extra casum necessitatis peccatum veniale in genere explicatum esse sufficientem materiam ad absolutionem; licet alii communiùs negativam teneant sententiam, & peccatum aliquod in specie, saltem ex prioribus confessionis explicandum dicant.

VI. Q. 5. *Quid de Satisfactione doceant Theologi?* R. Sequentia præcipuè. 1. Eam nihil aliud esse, quàm extinctionem

ctionem debiti, quod quis per peccatum contraxit. 2. Posse hominem per opera supernaturalia liberè & in statu gratiæ facta condignè in hac vita satisfacere. 3. Satisfactionem hanc non per opera duntaxat pœnalia, sed etiam alia quæcumque meritoria fieri posse, uti Vasq. Henriq. Coninck. Ledesma & plures alii contra Palud. Dur. & Arriag. docent. 4. Etsi Suar. Præp. Tann. Filliuc. & alii apud & cum Dian. tr. 4. de Sacr. re. 82. putent totam pœnitentiam per modum consilii imponi posse, & idipsum quoad partem satisfactionis etiam Tambur. & Dicastill. concedant; contrariam tamen Lugon Vasq. Arriag. Haunoldi & aliorum sententiam & communiorem, & probabiliorem videri, quia sic meliùs ostenditur, quemadmodum satisfactio per modum vindictæ & pœnæ imponatur. 5. Licet etiam Scotus. Silvest. Navarr. Medina. Cajet. & plures alii apud Dicast. d. 14. n. 22. & Dian. p. 3. tr. 4. re. 51. relati putent liberum esse acceptare pœnitentiam à Confessario impositam; contrariam tamen sententiam omnino communem & tenendam esse, utpote quam Vasq. & Victoria de fide esse, Suarez verò sine temeritate negari non posse affirmat. 6. Communiorem pariter, & probabiliorem, actuque practicandam sententiam esse, quæ docet Pœnitentem nullo modo posse commutare pœnitentiam (quidquid in contrariam Portell. Cælestin. Villalobos & Leander apud Dian. p. 9. tr. 9. re. 53. dicant) sed solum confessarium, & quidem ut Tann. Valent. Henriq. Tolet. & alii multi apud Dian. p. 2. tr. 15. re. 53. contra Vasq. & alios docent, etiam secundum, tam intra quàm extra Sacramentum; etiam non auditis peccatis, uti idem Tanner. & multi apud Dian. p. 2. tr. 15. re. 53. putant, licet contrariam Sententiam Suar. Vasq. Lugo. Con. Præp. Fagund. Arriag. & alii communiùs teneant, ideoque etiam in praxi magis suadenda videatur. 7. Satisfactionem Sacramentalem probabilius ex opere operato solam remissionem pœnæ temporalis; nullo modo autem gratiam Sanctificantem causare, uti contra Cajet. & Scotum, quibus S. Thom. & Suar. favere videntur, Vasq. Lugo. Præp. Coninck & alii communiter docent. 8. Etsi Suar. Vasq. Lugo Arriag. & plures alii judicent, nunquam per Satisfactionem Sacramentalem remitti totam pœnam, nisi à parte rei proportionata, sit, non improbabiliter tamen à Medina,

dina, Soto, Majore & aliis apud & cum Hurtado doceri quò tota remittatur, si Confessarius arbitrio suo proportionatam pœnitentiam imponat, alioqui enim Sacramentum hoc vix unquam totam pœnam relaxaret, & moribundi, quibus non nisi minima pœnitentia imponi solent, miseræ conditionis forent, ut qui parùm admodum de hoc fructu participarent. 9. Satisfactionem in peccato mortali peractam non fructuosam esse statim, ut Vasq. voluit, sed mortificari, & post remissum peccatum revivisceere, uti Suar. Tann. Lug. Fag. & alii communiter contra Sotum, Valent. & Ledesm. omnino revivisceentiam hanc negantes docent.

VII. Q. 6. *Quid de forma absolutionis doceant Theologi?* Resp. Sequentia communiùs doceri. 1. Essentiam formæ juxta communiorem sententiam in verbis: *Absolvo te*: consistere; neque verba: *à peccatis tuis*: ut Martinon Vvigers, Aversa, & Pasqualig. voluerunt; neque expressam invocationem SS. Trinitatis, ut Durandus, Major, & Petrus Sotus contendunt, requiri; nec etiam solum verbum *Absolvo*, ut Sotus & Henriq. apud Haunold. n. 977. docuerunt, & probabile esse etiam Arriag. putat, sufficere; cùm in similibus concors Authorum sensus pro virtuali revelatione Institutionis à Christo factæ habendus sit. 2. Sensum hujus Formæ esse juxta communiorem sententiam: *ego confero tibi gratiam de te remissivam peccati*: uti Suar. Tann. Præp. Arr. Dicastill. & plerumque RR. docent, aut, ut Lugo d. 13. n. 71. putat: *ego condono tibi peccata tua*; aut ut Magister, D. Bonaventura. Gabriel, Medina asserunt, *declaro te absolutum*, qui sensus in prima absolutione à veris peccatis concedi potest salva authoritate Ecclesiæ, secus tamen si de Secunda absolutione à peccatis jam remissis. 3. Probabiliter non solùm verba essentialia formæ, sed reliqua etiam, quæ in forma integra continentur, concurrere ad gratiam causandam, uti Vasq. Henriq. & Præpos. contra Tann. Lug. Arr. & alios probabiliter sentiunt; cùm per illa posteriora verba determinetur indifferentia, quam habent verba: *Absolvo te*: ad verum sensum significandum.

VIII. Quæst. 8. *Quid de Ministro doceant Theologi?* Resp. Sequentia præcipuè. 1. Solos Sacerdotes habere potestatem absolvendi. 2. Per collationem ordinis hoc ipso

etiam

etiam conferri potestatem absolvendi, sed vel habitualem duntaxat, ut vocant Navarr. Silv. Palud. & alii; vel actívam solùm, ut appellat Vasq. post S. Antoninum; vel universalem quidem in omnes homines à qua tamen per Pontificem certæ Personæ eximantur, uti Arriaga & Esparza apud & cum P. Haunoldo l. 4. tr 4. c. 9 n. 1023. contendunt, contra ConinK, Præp. & Lugon. qui potestatem ordinis & Iurisdictionis penitùs distinctas volunt, & illam quidem in ordinatione à Christo, hanc verò ab Ecclesia concedi. 3. Sigillum arctissimum, ad quod obligatur Minister, probabilius oriri ex præcepto positivo Christi instituentis hoc Sacramentum; alioqui enim difficulter ostendi posset, quomodo sigillum hoc cum tanto etiam damno proprio servare tenerentur Sacerdotes, uti rectè discurrunt Vasq. Hentiq. Valent. Turr. ConinK. Laym. Haunoldus & alii contra Hurt. Dicast. Lugon. & alios.

ARTICVLVS V.

De Extrema Vnctione & Ordine:

I. Q. 1. *Quid de extremæ Vnctionis Sacramento doceant Theologi?* Resp. Sequentia præcipuè. 1. Hoc Sacramentum, quod est ad alleviandum unctione Sacra Infirmum à Christo institutum, probabiliter primùm post Resurrectionem, perinde ac Sacramentum Pœnitentiæ, cujus completivum est, initium sumpsisse. 2. Materiam remotam esse oleum non quodcunque, sed ab Episcopo benedictum, ita ut plerique Authores contra Cajet. & Victor. hanc benedictionem de essentia Sacramenti esse putent; imò nec Sacerdoti simplici committi possit, vt Suar. Hurt. Arr. Tann. & alii contra Palud. Valent. Dur. Sotum & alios docent. 3. Etsi Suar. Tann. Laym. Hurt. Gran. & alii unctionem in quinque sensibus de necessitate Sacramenti esse existiment, contrariam tamen Arriag. Escob. Barbos. Becani & aliorum sententiam ut probabilem etiam à Doctoribus Lovanienſibus, & variis Pastoralibus approbatam fuisse Busenbaum l. 6. tr. 5. c. 5. testatur. 4. Subjectum hujus Sacramenti capax non tantùm esse infirmum, qui fuit olim rationis capax, & nulli peccato actuali obnoxius scitur, sed etiam probabiliter is, qui nunquam actualiter

actualiter peccavit, vt Suar. Bon. & Diana, aliqui contra Vasq. docent, quia talis adhuc partialis effectus capax est, scilicet ut tollantur reliquiæ ex peccato originali relictæ. 5. Effectum primarium hujus Sacramenti non esse remissionem venialium, vt veteres Scholastici volebant. Sed reliquias peccati, id est, debilitatem ex peccato originali & actuali relictam tollere, & infirmum adversus insidias Diaboli roborare.

II. Q. 2. *Quid de Sacramento Ordinis doceant Theologi?* Resp. Sequentia præcipuè. 1. Ordinem, prout hic accipitur, nihil aliud esse, quàm Gradum eminentem in Ecclesia Dei, quo supra Laicos ascenditur ad officium quoddam Ecclesiasticum, Ordinatum ad Sacrificium Missæ peragendum. Ecclesiastico ritu collatum, & stabilem pro vita initiari. Vel breviùs, esse Specialem quandam potestatem ad ministerium Altaris peragendum collatam. 2. Sacramentum hoc à Christo institutum fuisse partim ante Resurrectionem, per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: Luc. 22. partim post illam, per ista verba: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*, uti teste Tannero d. 7. q. 2. n. 10. tenet communis sententia contra Henriq. volentem omnes ante Resurrectionem fuisse institutos. 3. Omnes septem Ordines probabiliter esse verum Sacramentum, uti colligitur ex Concilio Florent. in decr. union. ubi, cùm dixisset, priores tres ordines Sacramentum esse. mox subdit: *Et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem*. Eodemque modo in Concilio Trident. Sess. 23. c. 3. discurritur, nullaque fit distinctio quoad rationem Sacramenti inter Majores & Minores Ordines. 4. Episcopatum probabiliùs esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, uti Vasq. Bell. Con. Valent. Tann. Hurt. & plurimi antiqui apud Arr. d. 55. n. 18. contra Sotum, Henriq. & Bonac. sentiunt; & meritò, cùm officium illius sit alios Sacerdotes consecrare, quod utique specialem eminentiam indicat. Vnde de hoc Ordine rectè notant Authores, inter illum & Ecclesiam cujus est Episcopus. Vinculum quoddam & matrimonium quoddam à solo summo Pontifice dissolubile oriri, quod inchoatur electione, firmatur confirmatione, & consumatur consecratione. Quibus tamen non obstantibus septem tantùm Ordines ab Ecclesia

clesia numerari, eò quod Episcopatus partialiter duntaxat a Sacerdotio distinguatur; sicut vir perfectus potens generare censetur moraliter unum facere cum Filio generato; vti Hurt. diff. 3. discurrit. 5. Materiam horum ordinum esse rem, quæ in consecratione traditur; & Acolythorum quidem materiam non esse solos urceolos, vt Durand. & Palud putarunt; nec solum candelabrum; ut Bonac. Rich. Angelus existimarunt, sed utraque simul, ut Tann. Vasq. & Hurt. sentiunt. Sed nec Subdiaconorum solam traditionem Calicis & patenæ vacuæ esse materiam, vti S. Thomas, Vasq. Valent. Henriq. & multi alii sentiunt, sed etiam traditionem libri Epistolarum, uti Tann. Hurt. Medina Dicastill. & alij RR. docent, cùm per hunc librum non minùs Subdiacono potestas legendi Epistolam, quàm Diacono legendi Evangelium concedatur. Ad Diaconatum verò solam traditione libri Evangeliorum, & nullo modo impositionem manuum pertinere, uti quoad librum sentit communis contra Durandum, quoad impositionem manuum verò Valent. Vasq. Hurt. Arr. Laym. Henriq. Coninck. Bellarm. & plures alii contra Tann. & Dicastill. eò quod per hanc impositionem nulla specialis potestas conferatur. Circa Præsbyteratum verò non solam traditionem patenæ cum Hostia, & Calicis cum vino (vt D. Thom. Palud. & Valent. putant) nec solam impositionem manuum, quæ fit peracta communione (vti D. Bonav. & alii contendunt) sed utramque requiri, uti Suar. Vasq. Henriq. Tann. Arr. Hurt. & alii rectiùs sentiunt, eò quòd per priorem potestas consecrandi, per posteriorem potestas absolvendi detur. Etsi verò Lugo etiam illam manuum impositionem, quæ fit ante traditionem patenæ velit esse materiam, alii tamen communiter omnes contrarium sentiunt. Episcopatum denique quod attinet, communior Dicast. Tann. Vasq. Hurt. & plurium aliorum sententia est, solam impositionem libri Evangeliorum super Scapulas esse adæquatam materiam; & non etiam inunctionem capitis, vt Arriag. putat; nec traditionem etiam Pastoralis baculi, mitræ, annuli, libri clausi, inunctionem manuum, vti Medina & alij volunt. 6. Probabilem quidem esse sententiam Dicast. Vasq. Laym. Hurt. Cajet. Victor. & aliorum sententiam, contactum physicum non esse de essentia Sacramenti, contrariam tamen

tamen sententiam D. Thom. Palud. Cajet. Silv. Navarr. Valent. Tann. Henric. Coninck. Bonac. ferè communiorem, & tutiorem esse. 7. Subjectum hujus ordinis validè conferendi esse non tantùm adultos masculos baptizatos, uti Durandus & veteres Scholastici volebant, sed etiam Infantes, uti communis docet sententia. 8. Ministrum quidem Ordinarium esse Solum Episcopum, ex commissione Pontificis tamen etiam simplicem Sacerdotem posse Subdiaconatum juxta Henriq. Vivald Diaconatum juxta Victorell. Majorem, Vasq. & alios, Sacerdotium verò etiam juxta Dicast. Vasq. & alios conferre, & de facto potestatem hanc quoad Subdiaconatum & Diaconatum Sacerdotibus Episcopo inferioribus concessam esse testatur Tann. n. 30. & ex variis bullis constare ait, licet alioqui Majorum ordinum conferendorum potestatem Sacerdotibus talibus committi posse negent communiter cum D. Thoma Authores, præcipuè Barbos. Bonac. Laym. Henriq. Ferd. de castro. Valent. Azor. Tanner. & alii.

ARTICVLVS VI.

De Matrimonio.

I. De hoc tria plerumque tractant Theologi, nempe sponsalia antecedentia, ipsam Matrimonii essentiam, & usum Matrimonii, quæ tamen pleraque, quia ad praxin potiùs, quàm Speculationem spectant, ex instituto à Theologis moralibus discutiuntur; unde hic non nisi paucæ doctrinæ magis Speculativæ indicabuntur.

II. Q. 1. *Quid de Sponsalibus doceant Theologi?* Resp. Tria præcipuè. 1. Ad Sponsalia requiri quidem mutuam promissionem, & quidem hunc ordinariè parere obligationem ex justitia, posse tamen absolutè sponsalia ex sola fidelitate contrahi, uti Sanch. l. 1. d. 5. n. 13. docet. 2. Ordinariè quidem eandem sponsalia per signa externa fieri solere, hoc tamen non esse de essentia, quia posset Deus promissionem cujuslibet Sponsi alteri manifestare sine signo exteriori, uti Ledesma, Sotus, Arragonius, Palacius & alii apud & cum Dian. p. 3. tr. 5. re. 116. licet communior & probabilior sit sententia contraria Dicast. Sanch. Basil. Pontii, Vasq. Less. Tann.

& alio-

& aliorum, eò quòd iſte modus contrahendi humanus & connaturalis non cenſeatur. 3. Etſi ad Sponſalia ætas certa Septennii completi requiratur, probabilem tamen eſſe ſententiam Sanch. & Dicaſtill. contra Abbatem & multos alios; quòd ſi malitia ſuppleat ætatem ante ſeptennium, Valida adhuc ſint Sponſalia, eò quòd ideo tantùm præſcribatur ſeptennium, quia ante tempus ordinariè non adeſt uſus rationis.

III. Q. 2. *Quid de matrimonii eſſentia doceant Theologi?* Reſp. Sequentia communius doceri. 1. Matrimonium hoc eſſe Sacramentum novæ legis, & contractum legitimum, & indiſſolubilem inter virum & feminam, quo mutua poteſtas corporum in ordine ad prolem generandam confertur, & acceptatur. 2. Etſi Viguerius & Ledeſma apud Tann. d. 8. q. 2. n. 26. putent hoc Sacramentum in nuptiis Canæ Galilææ; Victoria verò, Vivald. Sotus uterque, Henriq. & Sanch. tunc inſtitutum velint, quando Chriſtus Matth. 19. dixit? Quod Deus conjunxit, *homo non ſeparet*: ipſe tamen Tann. l. c. putat, rectiùs dici poſt reſurrectionem inſtitutum, eò quòd non conveniens videatur, ut Sactamentum dignitate & ordine poſtremum antè cætera inſtitueretur. 3. Licet Sotus, Eſcius & Catharinus Matrrimonium inter Fidelem & Catechumenium, contractum validum putent, contrarium tamen à Vaſq. Sanch. Tann. & aliis communiter doceri, eò quòd Sacramentum utriuſque capacis conſenſu perfici debeat. 4. Secundùm Vaſq. quidem & Rebellum apud Tann. n. 42. itemque Cajet. Victor. Canum. Viguer. Sotum. Lopez. Ledeſma poſſe rationem Sacramenti à ratione contractus ſeparari; verùm contrariam ſententiam uti communiorem, ita probabiliorem quoque cenſeri. 5. Matrimonium Infidelium ſecundùm Vaſquez Præpoſ. & Dicaſt. quidem & multos Thomiſtas nunquam fieri poſſe Sacramentum, etiamſi baptizentur; juxta Ledeſmam verò Henriquez, Capreolum & alios tunc primùm fieri Sacramentum, quando poſt baptiſmum renovant conſenſum; communiorem tamen, & probabiliorem eſſe ſententiam Sanchez. Tann. Valent. & aliorum docentium, hoc ipſo, quod baptizentur, matrimonium illorum Sacramentum fieri, cùm ſtatim tunc incipiat ſignificare indiviſibilem unionem Chriſti cum Eccleſia.

6. Mate-

6. Materiam Matrimonii remotam eſſe quidem corpora contrahentiũ, proximam verò eſſe vel ipſa, verba quatenus traditionem ſignificant eaque ipſa, quatenus acceptationem ſignificant, formæ rationem habere, vti Suar. Sanch. Coninch. Perez & Bonac. volunt: vel ipſa ſigna externa, quibus conſenſus velut forma exprimitur; ut Navarr. & Rebellus putant; vel ipſa corpora legitima cum conſenſu velut forma conjuncta; ut Vaſq. Pontius, Covarr. Hurt. & Dicaſtill. cum aliis docent. 7. Miniſtrum Sacramenti hujus eſſe ipſos contrahentes, & non Sacerdotem aſſiſtentem, uti Canus putaverat contra unanimen Theologorum ſententiam. 8. Vt conſenſus ſit validus, probabilius eſſe, non poſſe illi conditionem non petendi debiti annecti, uti D. Thom. D. Bonav. Sanch. & plures alii contra Vaſq. Pontium, Bonac. Hurt. Perez. Dicaſt. & alios docet, quia ſic non traderetur poteſtas ſeu Dominium utile in corpus. 9. Probabilem quidem eſſe ſententiam Sanch. Bellarm. Leſſii & aliorum contra Sotum & alios docentium, Pontificem poſſe Matrimonium ratum diſſolvere, cùm de facto ſolviſſe conſtet ex variis hiſtoriis, hanc tamen diſſolutionem non ſine gravi cauſa fieri debere; inter Infideles verò etiam conſummatum Matrimonium quoad vinculum ſolubile eſſe, omnes Theologi docent.

IV. Q. 3. *Quid de uſu Matrimonii doceant Theologi?* Reſp. duo præcipuè. 1. Probabiliter nec peccatum veniale committi à conjugibus copulam propter delectationem exercentibus, vti Pontius, Perez. Hurt. Sancius Ferd. de caſtro, Diana & alii contra Sanchez. Dicaſt. & alios docent, cùm iſta delectatio ſit annexa copulæ. 2. Probabile quidem eſſe, illicitam eſſe copulam, ſi illicitè patetur, ut Dicaſt. & Pontius putant: Sanchez tamen, Coninck. Laym. Henriq Ferd. de caſtro & alios tantùm illicitam putare, ſi illicitè ob circumſtantiam, quæ ipſum actum vitiat; non verò ſi ob circumſtantiam ex parte petentis ſe tenentem petatur, quia in hoc caſu adhuc rem licitam exercet.

V. Q. 4. *Quis fructus ex hac materia de Sacramentis referendus ſit?* Reſp. Triplicem præcipuè referendum eſſe, quorum Primus eſt, ut magni faciat hanc Inſtitutionem, & occaſionem oblatam ad Sacramenta frequentanda; Si enim magnum ſibi à Rege quopiam beneficium ſibi collatum æſti-

maret, si aurifodinam quandam aut thesaurum regium sibi concretum, plenamque facultatem auferendi, quod vellet, concessam intelligeret, quanto magis gaudere debet oblatam sibi esse occasionem tot præclaras aurifodinas spirituales, ex quibus non commune aurum, sed prætiosissimæ opes ac gemmæ virtutum hauriri possunt, pro libitu usurpandi. Secundus est, vt frequenter usurpet hæc Sacramenta; si enim ii quibus ejusmodi aurifodina aut thesaurus regius apertus foret ad breve tempus, nulli labori ac tempori parcerent, sed perpetuò in ista aurifodina foderent, & aurum quærerent, quantò magis has aurifodinas, in quibus aurum charitatis longè præstantius exiguo cum labore effodere licet, quàm creberrimè frequentare, gratumque adeò opere ipso, modoque gratissimo Christo Institutori sese exhibere oportet. Tertius est, ut quoniam, quò maior est dispositio, tantò copiosior fructus ex usu Sacramentorum reportatur, quàm perfectissimam dispositionem procurare studeat; si enim apertò à Rege thesauro, factaque potestate auferendi, quantùm vellet, nemo non Saccum aut vas capacissimum afferre studeret; quantò magis dispositionem capacissimam afferre oportet, ut ex hoc Sacramentorum thesauro quàm uberrimam gratiam reportare quis possit.

APPENDIX.

De modo utiliter Studendi Theologiæ.

I. Cùm Institutiones istæ pro his quidem potissimùm sint compositæ, qui Theologiæ Scolasticæ audiendæ aut occasionem, aut vires, aut animum non habent; quia tamen etiam iis, qui eandem Theologiam audire, rudemque priùs Theologicarum doctrinarum cognitionem haurire cupiunt, servire illas cupimus, ideò ut solidum quendam & efficacem modum habeant, studium istud cum fructu peragendi, placuit breviter illum ex peritissimorum Magistrorum sententia & instructione appendicis loco hic apponere.

II. Varii autem à variis modi studendi assignantur, sed meo judicio optimus jure merito censetur, quem ipsa Studij natura requirit; hic autem ut cognoscatur, notandum est. 1.

est. 1. Studium nihil aliud esse; quàm veritatis indagationem, seu clariùs, actionem quandam intellectus, quæ tota in rebus ritè apprehendendis, atque ut sunt, cognoscendis occupatur.

III. 2. Notandum est, tum quamvis rem perfectè cognitam censeri, quando causæ illius tam intrinsecæ, quàm extrinsecæ cognoscuntur; unde si studii quoque naturam perfectè cognoscere quis velit, non poterit id meliùs, faciliùsque obtinere, quàm si causam illius Finalem, Efficientem, Materialem, & Formalem indaget, harum quippe accurata cognitio omnes ferè industrias eidem suggeret ad Theologiæ & cujusvis alterius scientiæ studium cum magno fructu peragendum. Quare placet has ipsas causas diversis §§. explicare.

§. I.

De Causa Finali Studii.

I. Pro hac causa cognoscenda supponendum est 1. creatum esse Hominem ad hunc finem, vt Dominum Deum suum laudet, revereatur, & amet, eique serviendo salus fiat, reliquas verò res creatas eo fine productas esse, ut eundem hominem in fine hoc consequendo juvent.

II. Supponendum 2. nihil esse volitum, nisi prægnitum, uti certum in Philosophia axioma habet, atque adeò nec Deum, ut oportet, amari posse, nisi cognitus sit; cùm autem in hac vita Deus ordinariè non nisi obscurè, cognosci queat, ideo duplex homini lumen ad hanc cognitionem obtinendam collatum esse, supernaturale videlicet unum (quod nihil aliud est, quàm donum Fidei, per quod Deus ex sua revelatione cognoscitur) alterum naturale, nempe intellectum, cujus auxilio invisibilia Dei, ut loquitur Apostolus ad Rom. 1. à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur.

III. Supponendum 3. generalem omnium Scientiarum finem esse, immediatè res creatas, & per has ipsum conditorem cognoscere; unde scientiæ nihil aliud sunt, quàm habitus quidam intellectus, per quos hic facilitatur ad res creatas clariùs, faciliusque cognoscendas, vt ex earum cognitione ad Conditorem suum cognoscendum, & amandum animus exurgat; cùm autem habitus ejusmodi non nisi per

frequentes actus acquirantur, hinc Studio seu frequenti Speculatione opus est; ex quo patet, eundem Studii & Scientiarum finem esse.

IV. Ex quibus suppositis facilè nunc colligere est, quænam sit causa finalis Studii, nempe immediatum finem esse veritatem rerum; ad hanc quippe cognoscendam totus Studii labor impenditur, ut res, prout in se sunt, apprehendamus; unde Aristoteles ait, intellectum nostrum intelligendo omnia fieri, dum scilicet, res omnes quasi ad se trahit, earumque in se similitudinem exprimit. Mediatum verò finem duplicem esse, Primarium scilicet, & Secundarium. Primarius est gloria Dei, ad hunc enim finem universa creavit Deus; ut scilicet à creaturis intellectualibus cognoscatur, & ametur, in qua cognitione & amore gloria illius consistit. Secundarius finis est propria cujusque hominis salus; cùm enim salus & perfectio hominis in amore Dei consistat, cognitio verò Dei ad amorem ducat, meritò concluditur, Studii & scientiarum finem secundarium esse salutem hominis, non propriam duntaxat, sed alienam etiam, cùm is, qui verè amat aliquem, etiam ab altero amari cupiat, atque adeò pro viribus laboret, ut cognitionem illius, sine qua amari non potest, ei ingeneret.

V. Ex cujus causæ finalis cognitione facilè nunc Theologiæ Studiosus sequentia corollaria deducere poterit. Et 1. quidem colliget, quantopere necessarium sit, ut bonam, puramque intentionem studiorum suorum laboribus præfigere studeat; nisi enim ad scopum, finemque hactenus explicatum studia sua dirigat, vanus est omnis ejus conatus uti jam olim Salomon Sap. 13. indicavit dicens: *Vani sunt omnes homines, quibus non subest scientia Dei*. Et clariùs S. Paulus 1. Cor. 13. *Si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, caritatem autem non habuero, nihil sum*.

VI. Secundò colliget, quàm magni facere debeat Theologiæ studium; cùm enim, ut hactenus ostensum est, omnes scientiæ ad cognoscendum meliùs Deum ordinentur, rectissimè sanè concluditur, tantò excellentiorem de scientia quapiam æstimationem concipiendam esse, quanto clariorem de eodem Deo cognitionem ingeneraverit, atque adeò Theologiam, cujus primarius labor est, Deum tum in se, tum in creaturis suis cognoscere, meritò omnibus aliis scientiis velut Reginam anteferendam esse.

VII. Tertiò colligit, quanta alacritate diligentia atque constantia ad Studium Theologiæ incumbere debeat, si meminerit, triplicem sibi pro hoc studio tam excellentem finem, nempe majorem Dei gloriam, propriamque, ac Proximi salutem, præfixum esse, si enim Iacobo Patriarchæ, Scriptura teste gen 29. Septem anni, quos inter molestias & labores gravissimos exegit, videbantur dies pauci præ amoris magnitudine quo erga Rachelem ferebatur, quàmque labore suo lucraturum se sperabat; quanto majori alacritate & patientia Theologiæ Studiosus suscipere debet septem annorum, quos Philosophiæ & Theologiæ impendere debet labores, si recordetur, se pro mercede & præmio eorundem laborum suorum non solùm animam suam, & eorum, quos olim curæ suæ commissos habebit, sed etiam gloriam Dei, ipsamque Deitatem infinities quavis corporali pulchritudine pulchriores lucraturum, & per totam æternitatem fruiturum.

§. II.

De Causa Efficiente Studii.

I. Suppono, causam Efficientem aliam esse principalem, aliam instrumentalem; & illam iterum in magis & minùs principalem item in universalem, & particularem dividi; quò supposito facilè patet, causam efficientem universalem Studii esse ipsum DEVM, utpote qui sicut ad omnes alias actiones hominis, ita ad studium quoque seu speculationem rectè immediatè concurrere dicitur. Particularem verò causam principalem esse ipsum Intellectum hominis, à quo omnis cognitio tamquam à principio vitali procedere debet. Instrumentalem autem causam esse omnia illa, quæ aliquo modo sive mediatè, sive immediatè ad efficiendam cognitionem concurrunt: qualia sunt species intellectuales, sensus externi & interni, voces à Doctoribus prolatæ, vel in libris scriptæ.

II. Ex qua Causæ efficientis intellectione facilè iterum Theologiæ Studiosus colliget. 1. quòd sicut causa in-

strumentalis, quo magis cum Artifice velut causa principali conjungitur, eique obedit, tantò plures & præstantiores effectus producit, ita ipse quoque tantò majorem in Theologiæ Studio profectum hausturus sit, quantò arctiùs se cum Deo conjunxerit, uti jam pridem Christus Apostolis suis Io. 15. dixit: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Hæc autem conjunctio triplici modo fieri debet. Primò per amorem & voluntatis suæ cum divina perfectam conformationem, ita ut nec aliis lectionibus aut doctrinis, nec alio modo, nec alio tempore, quàm quæ Dei voluntas per Superiores aut ipsam prudentem rationem designat, vacare velit. Secundò per crebram & ferventem orationem, qua gratia ad studendum necessaria petatur; sic quippe S. Iacobus c. 1. monuit dicens: *Si quis autem vestrum indiget Sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Tertiò per humilitatem, qua quis sibi diffidit, & cum S. Paulo 2. ad Cor. 3. fatetur, se non esse sufficientem cogitare aliquid ex se, sed sufficientiam suam ex Deo esse. Qui quidem tres conjunctionis modi quantopere conducant ad insignem in Studio Theologiæ seu Sapientiæ cœlestis profectum faciendum, pulchrè pius Asceta in persona Christi l. 3. de imit. c. 43. sequentibus verbis indicavit: *Ego sum, qui humilem in puncto elevo mentem; ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm si quis decem annis in Scholis studuisset.* Et iterum: *Quidam amando me intimè, didicit divina, & loquebatur mirabilia: plus profecit in relinquendo omnia, quàm in studendo subtilia.*

III. Colligitur 2. cùm causæ creatæ tantò fortiùs agant, quantò meliùs sunt applicatæ; tantò meliùs autem communiter applicentur, quantò minùs ad alia objecta distrahuntur; eum quoque, qui fructuosam Theologiæ studio operam navare decrevit, omnia illa impedimenta, quæ animum quoquo modo distrahere possunt, sedulò cavere debere, ut totum se huic studio impendere possit; hanc certè ob causam ipse S. Ignatius in suis constitutionibus cavit, ut ii, qui scientiis addiscendis dant operam, spiritualibus etiam exercitiis nimiùm sese occupare non permitterentur, eò quòd experientia propria dicisset, Dæmonem per ejusmodi pias exercitationes fraudulenter suggestas à necessario scien-

scientiarum addiscendarum studio abstrahere consuesse. Huc etiam pertinet, ut dum Theologiæ studiosus operam huic studio vacat, aliis scientiis addiscendis animum non distrahat, sed, si quidem, ut in quibusdam Academiis consuetudo habet, secundariam quandam lectionem audire cogatur, secundarium quoque tempus eidem impendat. Imò in ipso etiam Theologiæ studio caveat, ne multorum Authorum curiosa Lectione minùs idoneum se faciat ad suam sententiam penetrandam; nam ut bene advertit Seneca ep. 45. qui, quò destinat, pervenire vult, unam sequatur viam, necesse est, non per multas vagetur; nam contrarium non ire, sed errare est. Certè longa experientia compertum est, eos discipulos præ reliquis profeciisse, qui solis suorum Professorum scriptis contenti, in iis bene penetrandis totam suam operam collocarunt; neque hoc adeò mirum cuipiam videri debet cùm enim Divina providentia hos eis Magistros assignarit, hoc ipso etiam sua auxilia ad hos potiùs, quàm alios fructuosè audiendos alligabit.

§. III.

De Causa materiali Studii.

I. Etiam hæc causa latiùs accepta duplex est juxta communem Philosophorum opinionem, scilicet materia, in quâ recipitur forma, seu ex qua componitur compositum; & materia, circa quam aliqua scientia versatur. Unde facilè patet, causam materialem Studii esse ipsum intellectum, in quo recipiuntur Speculationes Theologicæ. Materiam verò circa quam esse omnes doctrinas in Theologia tradi solitas, circa has enim ritè penetrandas præcipuè occupatur Speculatio Studiosorum Theologiæ.

II. Ex qua doctrina colligitur, animam seu intellectum Studiosi Theologiæ esse quasi membranam aut papirum, in qua Deus conceptus suos, quos de rebus creatis habet, describit, dum ad speculationes varias de illis producendas concurrit; unde sequitur, quòd sicut magnis Principibus non nisi charta mundissima & tenerrima ad scribendum offertur; ita DEO quoque anima purissima, tenerrimæque

conscientiæ ad conceptus Theologicos in ea describendos offerri debeat. Nam, ut ipse Matth. 5. dixit, *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Cui autem Deus seipsum non abscondit, illum etiam creaturæ DEI non effugient, uti rectè Cassianus discurrit. Hinc meritò suadetur Studiosis, ut ante omnia puritatem animi crebra & religiosa Sacramentorum frequentatione, quotidiana ac seria conscientiæ discussione, omniumque peccatorum, & occasionum fuga procurare & conservare studeant, certò sibi persuadentes, quòd ut Salomon. Sap. 1. dixit, *in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*.

§. IV.

De causa formali Studii.

I. Causa formalis Studii alia non est, quàm ipsa speculatio; hæc autem sex potissimùm partes, ut rectè fiat, involuit, quas quidam memoriæ causa sequenti distycho comprehendit.

Scribe bene, ausculta, bene discute, quære, duella,
Multa nota prudens, sic bene doctus eris.

Nam bona *scriptio* facilitat relectionem scriptorum. *Auscultatio* erudit: *excussio* dubitandi rationes, & quærendi, disputandique materiam suggerit: *interrogatio* illustrat; *Concertatio* industriam acuit, & profectum promovet juxta illud Cajetani dictum: *Circulus* (id est, concertatio in plurium concertantium circulo seu conventu fieri solita) *& calamus*, (id est, crebra scriptio, qua quis aliis doctrinas tradit, & in suo studio se exercet) *fecerunt me doctum*. Porro ut tantò fructuosiùs hæ singulæ partes vel industriæ observentur, proderit breviter indicasse, quid circa singulas sit specialiter observandum.

II. Primo ergo *Scriptionem* quod attinet, hanc ordinatam, accuratam, & integram esse oportet. *Ordinata* erit, si non confusè omnia scribantur, sed debita intervalla inter titulos, conclusiones, objectiones, & responsiones observentur, ut passim in libris impressis videre est. *Accurata* erit, si interpunctiones, aliaque ad ortographiam pertinentia exactè observentur; quod nisi fiat, turbabitur sensus, &

fastidium non modicum ad Scripta relegenda parietur. *Integra* denique erit, si omnia, quæ à Professore dictantur, fideliter excipiantur neque ipsæ etiam citationes tanquam minùs necessariæ ommittantur; etsi enim tum, cùm actu discutiuntur, modicus earum usus aut utilitas appareat, suo tamen tempore, quando ad ipsos fontes recurrere quis voluerit, magno subsidio erunt.

III. Secunda industria, scilicet *auscultatio*, disposita, libera, & attenta esse debet. *Disposita* erit, si ea, quæ in Schola explicanda sunt, priùs studiosè relegantur; sic enim ipsa explicatio longè faciliùs fructuosiusque intelligetur, *Libera* erit, si omnes aliæ curæ, & cogitationes, quæ animum distrahere possunt, fortiter expellantur, & mens tranquilla, atque discendi avida ad scholam afferatur. *Attenta* erit, si non modò animus, aureisque ad verba Professoris excipienda applicentur, sed idem Professor etiam variis gestibus utens aspiciatur, ut Casilius suadet; frequenter enim gestus plùs dicit, quàm verba, uti in Oratoribus videre est, qui sæpe magis persuadent actione, quàm voce.

IV. Tertia pars, scilicet *discussio* scriptorum, pia, scrupulosa, solida, litigiosa, utilis & discreta esse debet. *Pia* erit, si antè, quàm ad eandem accedatur, pura intentio eliciatur, & tum divinum auxilium, tum Sanctorum Patronorum patrocinium sedulò imploretur, imò etiam inter ipsam discussionem mens interdum per pia suspiria ad Deum elevetur; hac enim ratione primùm quæritur regnum DEI, & Iustitia ejus atque adeò meritò sperari potest, quòd juxta promissum Servatoris etiam omnia auxilia ad profectum necessaria sint adjicienda. *Scrupulosa* erit, si omnes conclusionum, definitionumque particulæ, sub quibus aliqua doctrina vel distinctio latere potest, exactè discutiantur; & unus Scriptorum locus cum altero conferatur. *Solida* erit: si quis primò stratum quæstionis bene intelligere studeat, tum decisionem quæstionis seu conclusionem accuratè perpendat; postea fundamentum & argumentum primarium sententiæ suæ diligenter excutiat, id est, si probationes Professoris ad Syllogismum redigat, & singularum præmissarum probabilitatem seu veritatem hoc vel simili modo examinet; quid si mihi negetur hæc propositio, quomodo pro

bare eandem vellem ? & sic etiam ad minorem discutiendam procedat, ita ut nulla proposito præcisè propter authoritatem Professoris credatur, sed tamdiu ulteriùs probetur, donec ad primum aliquod principium perveniatur, id est, ad propositionem aliquam per se claram, vel ab omnibus concessam, vel alibi probandam. Huc etiam pertinet, ut remotis scriptis secum ipse conclusionem cum fundamento non quidem iisdem verbis, sed eodem sensu, quasi alteri eandem explicare velle repetat. Item ut suis temporibus integræ quæstiones repetantur, hoc vel simili modo, ut ab initio quæstionum inter se connexio attendatur: subinde una sepræcipuè concludatur, quod potissimum illius fundamentum sit, in qua ratione contraria sententia se maximè fundet, & quomodo illi occurrendum. *Litigiosa* erit excussio scriptorum, si vel ipse sibi aliquid objiciat, vel objectiones in scriptis allatas in formam syllogisticam redigat, urgeatque; deinde verò ipse etiam respondeat, quærendo primùm solutionem proprio ingenio, postea verò etiam Solutionem Professoris considerando, & cum sua conferendo, videndoque, an non aliqua instantia, aliave responsione Professoris eandem enervare possit. Quòd si non satisfaciant sibi ejusmodi responsiones, annotare illas poterit, ut paulò post dicetur. *Utilis* erit discussio, si, postquam uni, alterive articulo studuerit, dispiciat, quid utilitatis ex eo ad propriam vel alienam salutem haurire possit; qua ratione Theologicas suas speculationes & veritates ad convincendos Hæreticos, instruendos Christianos, seipsum ad perfectionis & virtutum studium, ex stimulandum adhibere possit, aut velit. *Discreta* denique erit, si nimius in discussione tali peragenda fervor temperetur, ipseque discussionis labor non facilè ultra duas horas continuetur, & aliquantulo temporis spatio intermittatur, ut animus tanto vegetior ad eandem redeat. Huc etiam pertinet, ut talis discussio utpote totum sibi hominem vendicans non instituatur tempore, quod valetudini aut Spiritui sit parùm opportunum, quale foret, si statim à prandio aut cœna, aut cùm preces fundendæ, aliaque exercitia spiritualia peragenda sunt, susciperetur.

V. Quarta industria videlicet *interrogatio*, per quam pri-

privatas conferentias cum Professore, aut etiam Discipulis doctioribus intelligo, sincera, humilis, & fructuosa esse debet. *Sincera* erit, si sincero animo dubia occurrentia proponantur, id est, non ut aliorum scientia exploretur, aut ut alii quæstionibus implicatis & fallacibus vexentur, sed ut dubii propositi solutio accipiatur. *Humilis* erit, si ignorantiam suam libenter quis fateatur, ideoque in dubiis ad alios recurrere non erubescat; sed & ipsa responsa benigno animo recipiat, etiamsi non undequaque satisfaciant. *Fructuosa* erit, si, quæ ex responsione aliorum intellecta fuerint, breviter annotentur, præcipuè si majoris momenti videbuntur, & in ipsis scriptis non continentur.

VI. Quinta industria, nempe *concertatio* tam privata, quàm publica; quæ partim in defensionem, partim in oppugnatione consistit, alacris, modesta, efficax esse debet. *Alacris* erit, si voce non nimis submissa, & timidi animi speciem præseferente quis defendat, vel argumentetur, sique ipso argumentandi vel defendendi modo fervorem quendam ostendat, ut certaminis cujusdam speciem habeat disputatio. *Modesta* erit, si alterius sermo non interpelletur; si caveantur omnes serveriores censuræ, cavillationes, irrisiones, & verba parùm ædificantia, qualia sunt, *falsum est*, *absurdum est*, *toto cœlo errat*, *nullus unquam hoc somniavit &c.*, si, ubi quis videt, argumentantem vel defendentem progredi non posse, non insultet, sed, quantùm fieri potest, ejus honori consulat, addendo explicationem argumenti, vel ipsam responsionem suggerendo. *Efficax* erit, si quis solidum argumentum & responsum, ex quo Auditores aliquid discere possint, ipsaque doctrina disputando proposita, clarior reddatur, afferre studeat. Talia autem argumenta meritò censentur, si quis vel argumenta in scriptis proposita pro sua sententia enervare; vel certè objectiones in iisdem scriptis pro contraria sententia allatas ampliùs urgere conetur, cùm enim Professores supponantur legisse Authores contrariæ sententiæ, eorumque præcipua fundamenta dictasse, & soluisse, meritò argumenta, quæ ex talibus objectionibus petuntur, efficacissima; & verò etiam pro ipsis dictatis clariùs intelligendis utilissima judicantur.

VII. Sexta denique industria, *Annotatio* videlicet, pru-

prudens, distincta, & constans esse debet. *Prudens* erit, si non minima quæque annotentur, sed ea solùm, quæ utilia fore sperantur, qualia sunt. 1. Ignorantiæ; quando scilicet aliqui termini, vel modi loquendi non intelliguntur. 2. Dubia, per quæ intelliguntur rationes, quæ contra conclusiones vel responsa ad objectiones in scriptis allatas occurrunt. 3. Argumenta, quæ inter discussionem occurrerunt, vel quæ in publicis, privatisque disputationibus audita fuerunt, & singularem efficaciam continere videbuntur. 4. *Responsa* digniora, quæ sub digniorum propositione aut argumentatione accepta fuerunt. 5. Ad hanc annotationem etiam referri possunt *marginalia*, quibus succus ex scriptis extrahitur, & ad memoriam juvandam prope ipsam conclusionem vel objectionem in margine breviter notatur. 6. *Compendium* quoque, etsi ab aliquibus *dispendium* vocetur, non omnino contemni debet, si rite fiat, cum & primaria fundamenta per illud in memoriam revocentur, & magnum ad integras quæstiones brevi tempore repetendas subsidium præstetur. *Distincta* erit, si non omnia, quæ annotanda dixi promiscuè scribantur, sed certa singulis charta deputetur, maximè, verò iis, quæ digniora, & scitu magis necessaria videbuntur; hæc enim quia sola fortè asservabuntur, hoc ipso etiam diligentiorem annotationem merentur. *Constans* denique erit annotatio, si quis rerum notandarum multitudine, vel difficultate absterreri se non sinat, ab hoc labore; quò enim major est labor iste, hoc major suo tempore fructus è rebus notatis reportabitur.

VIII. Atque hæc tandem est natura speculationis, hic modus solidissimus, & optimus in studio Theologiæ proficiendi. Ex quo breviter officium Theologiæ (idem cum proportione etiam de aliis scientiis sublimioribus dicendum est) studiosi colligi potest, ac dici, Theologiæ Studiosum esse illum, qui circa materias Theologicas scribit, & annotat multùm: plùs audit, & meditatur: plurimùm confert, ac disputat, in quibus officiis præstandis qui se fideliorem exhibuerit, & generosè vicerit, is majorem quoque ex labore suo fructum reportabit, ut adeò hic quoque verè locum habeat illud Ascetæ: *Tantùm proficies, quantùm tibi vim inculeris*. Quia tamen in hoc studio non levia peri-

pericula & tentationes occurrere solent, quæ, nisi maturè occurratur, efficere possunt, ut plùs damni, quàm commodi ex tali studio reportetur, ideo ut hæc quoque pericula evitentur, placet ea breviter referre, & qua ratione iisdem occurrere Theologiæ Studiosus debeat, ostendere.

§. V.

De periculis in Studio Theologiæ cavendis.

I. Multa quidem sunt pericula, quæ plerumque scientiarum sublimiorum studio sùt connexa, sed quatuor præcipuè ex illis numerantur, quibus Theologiæ studium tantò magis est obnoxium, quantò magis Theologiæ scientia omnes alias scientias, quà utilitate, quà dignitate antecellit.

II. Primum periculum est, ne, quemadmodum Societas IESV suos Studiosos prudenter monet, fervore studiorum intepescat solidarum virtutum studium; unde non malè quidam studium literarum lupo, virtutis verò studium agno comparavit, eò quòd, sicut agno lupus assiduò insidiatur, ita scientiarum quoque studium, fervorem ac studium virtutum devorare nitatur. Quare ne simile detrimentum Theologiæ Studiosus patiatur, sequentia tria media adhibeat. 1. Sedulò caveat, ne consueta pietatis & orationis exercitia unquam prætextu Studiorum aut omnino intermittat, aut oscitanter, & festinanter saltem peragat; sed potiùs certò sibi persuadeat, tantò meliùs sibi postea studendi laborem successurum, quantò accuratiùs præmemorata sua exercitia spiritualia peregerit, omnemque de studiis cogitationem deposuerit; quem in finem altè memoriæ suæ auream illam D. Bonaventuræ sententiam in Spec. dis. c. 7. propositam inscribat: *Scientia, quæ pro virtute despicitur, per virtutem postmodum meliùs invenitur*; 2. Sæpe perpendat, quàm parùm profit scientia quæcunque, nisi cum virtute conjungatur, tam parùm scilicet, quàm parùm prodest Artifici instrumenta habere optima, & elegantissima, si usum eorum nesciat. Vnde meritò

meritò illa notatu dignissima Servatoris sententia Matt. 16. ob oculos semper habenda est: *Quid prodest homini, si universum mundum* (non tantùm perfectissimè cognoscat, sed etiam) *lucretur, animæ verò suæ detrimentum faciat?* id quod fieret, si ita studiis vacaret, uti in spiritu detrimentum pateretur. 3. Pariter bene consideret, quanti referat virtutum cum literis conjungere; quà quidem in re Magistrum se insignem I. Balthasar Alvarez Societatis nostræ Sacerdos præbebit de quo P. Ludovicus de Ponte c. 29. vit. refert, quòd valde conatus fuerit persuadere Studiosis, ut virtutem cum scientiis, Spiritum cum literis conjungerent, eò quòd hæc duo sint quasi duæ arbores scientiæ & vitæ in paradiso plantatæ: aut quasi duo luminaria Solis & Lunæ, quæ toti Mundo lucent: aut quasi vestimentum duplex, quo Mulier fortis domesticos adversus frigus nivium, malitiam scilicet & ignorantiam muniebat: aut quasi spiritus duplex, quidem Elisæus ab Elia discedent sibi dari petiit: aut quasi duæ rotæ, quæ currum gloriæ Dei trahebant; in quibus erat Spiritus vitæ: aut quasi duæ sorores Martha & Maria, quæ mutuò se adjuvant, nam virtus dat literis authoritatem, efficaciam, & securitatem; Scientia verò virtutem in Dei cognitione acquirenda juvat.

III. Secundum periculum est, Superbiæ & elationis, quæ quidem quàm facilè oriatur ex Scientiis jam olim testatus est Apostolus, dum 1. ad Cor. c. 8. dixit; *Scientia inflat, caritas verò ædificat.* Quàm autem stulta sit hæc inflatio, mox sequentibus verbis ostendit: *Si quis autem se existimat scire aliquid* (& propter hoc inflatur) *nondum cognovit, quem admodum oportet eum scire;* id est, quales de scientia judicium formare debeat, quòd scilicet nihil aliud sit, quàm lumen aliquod à sole divino acceptum; quis autem non stultum judicaret illum Populum, qui propterea superbiret, quòd sol illi vicinior esset, atque adeò copiosius lumen, quàm aliis Gentibus communicaret? aut hominem illum, qui propterea, quòd oculos aliis meliores haberet, extolleretur? Meritò ergo, qui ejusmodi tentatione Superbiæ pulsatur, cum S. Augustino in confess. exclamat: *Infelix homo, qui scit illa omnia, te verò nescit: beatus verò, qui te scit, etsi omnia illa nesciat: qui verò te & illa novit, non propter illa, sed propter te solum beatus est.* Aut certè cum piissimo Asceta dicit lib. 1. de imit. c. 2. *Si scirem omnia, quæ in mundo sunt, & non essem in caritate, quid me juvaret coram Deo, qui me judicaturus est ex facto? Quanto plùs & melius scis, tanto gravius judicaberis; nisi sanctius vixeris. Noli ergo extolli da ulla arte vel scientia sed potiùs time de data tibi notitia.*

IV. Tertium periculum est invidiæ & æmulationis, quæ non rarò suboritur in animo eorum, qui alios excellere in scientiis; se autem modicum aut nihil proficere advertant, cui tentationi ut occurrat, inprimis bene perpendat doctrinam ab eodem pio Asceta l. 3. c. 22. in hæc verba propositam? *Qui pauciora accepit, contristari non debet, nec indignanter ferre, nec ditiori invidere, (sed te potiùs attendere, & tuam bonitatem maximè laudare, quod tam affluenter, tam gratis & libenter, sine personarum acceptione, tua munera largiris. Omnia ex te, & ideo in omnibus es laudandus. Tu scis, quid unicuique expediat; & cur iste minùs & ille amplius habeat, non nostrum, sed tuum est discernere, apud quem singulorum definita sunt merita.* Vnde *voluntas tua, & amor, honoris tui omnia excedere debet, & plùs eum consolari, magisque placere, quàm omnia beneficia sibi data vel danda.* Deinde bene ponderet, quòd scientia & similia dona sint instrumenta duntaxat ad bene operandum ac fructificandum, & hominem secundùm humanam duntaxat apparentiam aptiorem faciant ad fructum majorem in Proximi salute faciendum, non autem apud Deum, qui, sicut peritus scriptor etiam per male præparatum calamum, elegantiorem, quàm alii optimum calamum habentes, characterem format, ita per indoctum æquè ac doctissimum hominem operari potest salutem aliorum. *Vnde pro magno reputo beneficio* (inquit cit. Thomas Cempensis) *non multa habere, unde exteriùs & secundùm homines laus & gloria apparet, ita ut considerata quis paupertate & vilitate Personæ suæ non modò gravamen aut tristitiam vel dejectionem inde non concipiat, sed potiùs consolationem & hilaritatem magnam, quia tu Deus pauperes & humiles, atque huic Mundo despectos tibi elegisti in familiares & domesticos.*

V. Quartum denique periculum est inordinatus timor contemptus, si quis advertat, se non cum ea, qua sperabatur, satis-

satisfactione proficere, aut publicè disputarè. Contra quam tentationem sic animus præparandus est, ut primò ante omnia conscientiam suam in testem adhibeat, qua coram Deo testetur, se omnem, quam poterat & debebat, diligentiam in suo studio adhibuisse, atque adeò apud Deum, cæliteſque tam magnum laudem promeritum fuisse, ac illi obtinuerunt, qui insignem in studiis progressum, felicissimumque in publicis actibus successum sunt sortiti. Vnde sibi applicet doctrinam Thomæ Kempensis in Persona Christi l. 3. c. 41. datam: *Fili noli tibi attrahere, si videas alios honorari, & elevari, te autem despici, & humiliari. Erige cor tuum ad me in cælum, & non contristabit te contemptus hominum in terris.* Deindè verò etiam atque etiam perpendat, à prudentibus quoque se non contemnendum, utpote qui bene norunt, non omnes æquali ingenio pollere, neque tam effectum & successum, quàm conatum & diligentiam in Studioso laude dignum esse. Quòd verò imprudentes fortè aliter judicent, tam parùm curandum esse, atque si cæcus de colore; aut is, qui Pictor non est, de picturæ artificio judicare præsumat.

(***)

TRA-

TRACTATVS V.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ MORALIS COMPLECTENS.

Præfatio.

ETsi, tot, tamque diversæ Theologiæ moralis Institutiones, Summulæ, compendia, typo hactenus sint commissa, ut meritò supervacaneum videri queat, quidquam iis, quæ passim in manibus habentur, superaddere; quia tamen ex una parte propositum mihi per hujus libelli compositionem fuit, plenas doctrinarum ad Quintuplicem Theologiam pertinentium Institutiones junioribus Sacerdotibus offerre; ex altera verò parte vix ullus quantùm quidem mihi constat, è Scriptoribus, qui hanc materiam pertractarunt, ex instituto Theologiæ moralis Naturam, objectum, accidentia, aliaque, quæ in aliis scientiis plerumque in Prolegomenis tractari solent, explicavit; multò minùs verò utilem, facilemque in hujus scientiæ studio solidè proficiendi modum offerre conatus est, ideo ut hac quoque notitia, subsidioque non careant Theologiæ moralis Candidati, simulque dignam de eadem æstimationem, &, quod inde necessariò sequitur, ardentius ejusdem addiscendæ desiderium concipiant, placet, ea omnia breviter hoc Tractatu sub Institutionum Nomine complecti, sic tamen ut nullo modo repetitam doctrinarum particularium ad quamvis Materiam pertinentium Crambem cum fastidio obtrudam, sed paucarum duntaxat regularum, velut Principiorum generalium, ex quibus particularium Conclusionum decisio pendet, clara, solida, practicaque explicatione fastidium simul & laborem in imprimenda memoriæ tam copiosa Theologicarum doctrinarū Farragine nonnihil levem, atque attemperem. Vnde quatuor præcipuè Capita totus

hic Tractatus continebit, quorum primùm Naturam, Definitionem, & Objectum Theologiæ moralis explicabit. Secundùm de Accidentibus illius aget. Tertium, Modum solidè studendi, & proficiendi indicabit. Quartum denique varia Principia generalia ad eandem Theologiam pertinentia proponet.

CAPVT I.

De natura seu Essentia Theologiæ Moralis.

DVo præcipuè sub hoc Titulo explicanda veniunt, scilcet Definitio, & Divisio Theologiæ moralis; de quibus pro in sequentibus duobus Articulis agetur.

ARTICVLVS I.

De Definitione Theologiæ moralis.

I. Breviter & rectè Theologia moralis sic definiri potest: Est Habitus supernaturalis ad actus morales Supernaturales in genere dirigendos ordinatus; per hoc enim Theologia moralis à reliquis Scientiis distinguitur, quòd hæ vel non ad actus morales immediatè dirigendos sint institutæ, ut Theologia Speculativa, Polemica, & Controversa; vel certè ad eosdem non sub ratione supernaturalitatis ordinentur, ut Ethica; aut saltem circa eosdem in particulari dirigendos inclinent, ut Prudentia; Vnde meritò Doctores dicunt Theologiam moralem & Ethicam medium quasi locum tenere inter Syndæresin & Prudentiam, eò quòd non omnino circa universalissima principia actuum moralium versentur, ut Syndæresis; nec tamen etiam circa singularia occupantur, ut Prudentia.

II. Ex hac Definitione facilè nunc colligitur, quodnam sit objectum Materiale Theologiæ moralis, nempe ipsi Actus voluntatis, prout sunt indifferenter ad Rectitudinem vel Irrectitudinem moralem, seu quod idem est, Bonitatem vel Malitiam; unde hæc Moralitas seu Bonitas supernaturalis

ralis erit objectum formale incomplexum Metaphysicum, cùm ipsa sit formalitas seu ratio, quam præcipuè Theologia moralis in actus Voluntatis introducere intendit, à qua proinde etiam Nomenclaturam & Denominationem Theologiæ *moralis* accepit.

III. Cæterùm licet, si hoc modo consideretur, non versetur immediatè circa DEVM, atque adeò sub hac ratione Theologia vocari non mereatur; quia tamen est pars aliqua Theologiæ strictiùs acceptæ, ideo adhuc nomen Theologiæ ob conjunctionem & subordinationem cum illa retinuit; nisi dicere malis, eam pro suo objecto habere Deum per actus morales supernaturales eo modo, quo fieri potest, possidendum, cùm verè ad hoc sit instituta hæc Theologia moralis, ut actus Supernaturales eliciere, & per hos ad possessionem Dei velut ultimi finis pervenire tandem possimus.

ARTICVLVS II.

De Divisione Theologiæ moralis.

I. Non est hic Sermo de Divisione strictè accepta, Generis in Species suas, cùm hoc ipso, quòd pro objecto Moralitatem Supernaturalem in Genere habeat, constet, eam esse unicam quandam infimam Speciem; nam etsi de Actibus moralibus malis etiam, seu de Peccatis agere soleat, hi tamen hoc ipso, quòd mali, atque adeò supernaturalitatis incapaces sint, ad primarium Attributionis Objectum spectare non possunt, sed secundariò duntaxat ad meliùs cognoscendos Actus bonos tractantur, atque adeò Objectum Attributum duntaxat vocari merentur.

II. De Sola ergo divisione Scholastica Sermo hic erit, in qua quidem non omnes Authores conveniunt. Nam 1. aliqui cum P. Hermano Busenbaum mox à Regula duplici Actuum humanorum interna scilicet seu Conscientia, & externa seu Lege inchoantes postea ad Præcepta in Specie descendentes, imprimis Præcepta virtutum Theologicarum velut Præambula Decalogi, postea Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, & tandem Præcepta singulorum Statuum, ac quæ his opponuntur, Peccata explicant, coronidis loco Tractatum

Sacramentis & Censuris adiicientes. Alii cum Laymanno post explicatam Conscientiam & Actus humanos, bonos & malos in genere, legemque velut Regulam directivam illorum, ac pœnas pro Transgressione legum Ecclesiasticarum decretas, de Virtutibus in Specie agere incipiunt, & tandem Tractatum de Sacramentis subjungunt. Alii cum Toleto à Sacerdotum Officio inchoantes, per varias illius Potestates Occasionem sumunt varias quoque doctrinas ad Theologiam moralem pertinentes explicandi. Alii aliam Divisionem, quam sibi & Lectoribus accommodatissimam existimant, eligunt.

III. Mihi aptissima, & ipsi rei ac Naturæ congruentissima semper visa est Divisio, quam S. Thomas in Secunda parte suæ Theologiæ, quæ totam ferè Theologiam moralem complectitur observavit, ut scilicet ab initio Natura Actuum moralium in genere tam bonorum & malorum explicetur; postea ad Actus bonos seu Virtutes in Species fiat progressus, & eadem opera vitia cuique virtuti opposita explicentur, quæque virtutes cuivis Hominum statui conveniant, indicetur. Et tandem de Sacramentis velut præcipuo ad gratiam pro Actibus moralibus ritè dirigendis necessaria obtinendam Medio tractetur; quem proinde modum etiam in hac Institutione tenebo.

CAPVT II.

De attributis theologiæ moralis.

I. Etiam hic Attributa more Scholasticorum latiùs accipimus pro omni Prædicato, quod quocunque modo ipsi Essentiæ saltem juxta nostrum Modum concipiendi supervenire concipitur.

II. Primum ergo Attributum est, quòd sit *Supernaturalis* Habitus, hoc enim Prædicatum omnino ei concedendum esse, ut ab Ethica distinguatur, quæ ad eosdem Actus morales dirigendos ordinatur, jam Suprà dictum est.

III. Secundum Attributum est, quòd sit vera *Scientia*; cum verè conclusiones plurimas certas & evidentes habeat, quales sunt v.g. Conscientiam erroneam non esse sequendam;

licere

licere secundùm probabilem opinionem operari, &c. Licet autem de facto multas Opiniones probabiles duntaxat, atque adeò falsitati obnoxias tradere soleat, hoc tamen illi non per se, sed per accidens duntaxat ob imperfectum Modum, quo pleraque Scientias in hac vita possidemus, & Res ipsas cognoscimus, convenit, atque adeò ipsi Theologiæ secundùm se, & suam Perfectionem connaturalem consideratæ obesse non debet, quò minùs veræ Scientiæ prædicatum obtineat.

IV. Tertium Attributum est, quòd sit *Simpliciter Practica*; per hoc enim à Theologia Scolastica potissimùm distinguitur, quòd illi Speculativas quæstiones discutiendas relinquat, ipsa verò practicas doctrinas tradendas assumat; unde licet interdum etiam Definitiones certorum objectorum tradat, has tamen potius ab ipsa Theologia accuratiùs examinatas mutuatur, quàm ut ipsa ex Instituto easdem conficiat.

V. Quartum Attributum, est, quòd sit *simpliciter necessaria* ad Ecclesiæ administrationem & conservationem; cùm enim Administratio hæc Pastoribus præcipuè conveniat, hi autem sine morali Theologia munere suo convenienter fungi non queant, meritò concluditur, Ecclesiam absque auxilio hujus Theologiæ legitimè administrari non posse; hinc de facto multis quidem, qui Theologiam Scholasticam non audiverunt, nulli autem, qui Theologiæ morali non studuerit, Cura Animarum committitur.

VI. Quintum Attributum est, quòd sit utilior non aliis duntaxat profanis scientiis, sed ipsa etiam Theologia Scholastica; eo scilicet modo, quo plerumque dicimus, Medicum, qui in Medicinis practicè adhibendis excellit, utiliorem esse eo, qui sola Speculatione magnam Scientiæ famam est assecutus. Certè experientia quotidiana constat, illos Animarum Curatores, qui Theologiæ moralis sufficientem Notitiam cum insigni zelo conjunctam habent, plus in Salute Animarum procuranda proficere, quàm eos, qui Speculationibus solùm Scholasticis assueti, in doctrinis Theologiæ moralis memoriæ imprimendis minùs studiosè sese exercuerunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT III.

De modo studendi, & proficiendi in theologia morali.

I. QVod de Iurisprudentiæ Studio dici plerumque solet, videlicet tres præcipuè Dotes ad illud requiri, magnam *Sedulitatem* qua Leges in Corpore Iuris contentæ assidua Lectione evolvantur: felicem *Memoriam*, qua eædem Leges sæpius perlectæ retineantur: & Maturam *Prudentiam*, qua disjudicetur, quomodo Leges ejusmodi in hoc vel illo casu applicari & practicari debeant; idipsum æquali aut potiori Iure de Theologiæ moralis studio dici potest; cùm enim ex una parte Theologiæ moralis primarium officium non sit decidere, quænam ex pluribus sententiis circa hanc vel illam sententiam, excogitatis absolutè sit verior, sed potiùs judicare, an ea probabilis sit, atque adeò secundùm illam operari liceat; ex altera verò parte, ut constat, ingens sententiarum à Theologis Moralibus tradi solitarum sit Farragæ facilè apparet; non modò magnam in iis percurrendis Sedulitatem, felicemque in iisdem Memoriæ imprimendis Memoriam, sed maturam insuper Prudentiam, qua omnes Circumstantiæ accuratè ponderentur, & an hæc vel illa Doctrina in Proposito Locum habeat, solerter dispiciatur, necessariam esse, ne, si hæc Discussio prætermittatur, fiat Causa Periculi Res Salutis, ut alia in Materia S. Chrisostomus notavit. Porrò de posterioribus duabus Dotibus non est, quod specialiter ampliùs moneatur, Sedulitatis tamen ut Officium impleatur, sequentes Industriæ observari debebunt.

II. Prima est, ut generalia Principia & Doctrinæ præ reliquis bene addiscantur, Memoriæ que firmiter imprimantur, hæc enim, cùm sint Fontes, ex quibus reliquæ Conclusione particulares emanare solent, si ob oculos semper habeantur, non erit adeò difficile, eadem Prudentiæ Auxilio ad particulares Casus applicare, uti in sequenti Capite ex practicis Exemplis apparebit.

III. Secunda Industria est, ut Theologiæ Studiosus, dum Materiam quampiam sive studendo, sive repetendo percurrit, diligenter attendat, quot circa illam diversæ sententiæ sint excogitatæ, & quantam illæ probabilitatem habeant, diligenter inquirat; ne aut temerè neget aliquid licitum esse, quod probati Authores licitè fieri posse concedunt; aut suspectam aliquam, aut periculosam, vel omnino damnatam sententiam facilè sequatur, aut suadeat.

IV. Tertia Industria est, ut bene cognoscat, & ob Oculos habeat Regulas, quas communiter Authores ad probabilitatem cognoscendam proponere solent quas quidem P. Ferdinandus de Castro p. 1. d. 2. pu. 1. nu. 4. sequentibus Verbis sat clarè insinuat; *Ex his, inquit*, infertur manifestè, si in libro alicujus Doctoris Neoterici (&, ut paulò post dicit, pij & gravis) invenias aliquas propositiones absolutè affirmatas, quæ adversùs communem videntur, non illas ut improbabiles debes judicare; imò potius debes illas censere ut probabiles, dum tibi non constat à Sede Apostolica ut improbabiles judicatas. In eundem sensum Ioannes Sancius d. 44. select. disp. sic loquitur: Probabilis erit Opinio, si illam affirment boni Nominis Doctores, imò etsi unus, ut docet Angelus, Silvest. Saa. Navarr. Valent. Sanchez; imò etsi nullus, dum tamen, qui suscitat eam Opinionem, sit Vir doctus, & probabilibus Rationibus incedat, quem, si consulat Laicus non doctus, sequi potest, quamvis ille Vir doctus explicet, omnium aliorum Doctorum opinionem diversam esse. Ita ille, qui mox addit, ita sentire Vasq. Azor. Villalob. Torres & Lorcam. Denique Franciscus Bardi disc ept. 4. de Conscient. c. 4. etiam Filliutium, Laym. Bresserum & alios refert sentientes, judicium unius probati Authoris, qui omnia hinc inde expendit, sufficere ad asserendam Opinionis Probabilitatem. Rectè tamen monent plerique, ejusmodi Sententias licet probabiles cautè esse sequendas, & Medicorum more extraordinarias Medicinas in eo duntaxat casu, in quo communes Medicinæ non ampliùs sufficere videntur, usurpantium, tum præcipuè practicandas est, quando eorum, cum quibus agitur, Salus ac Necessitas, aut alia gravis Ratio ad ejusmodi Praxin impellit.

V. Quinta Industria est, ut, quoniam Doctores hi, ut priori numero dictum, est, rectè monent, ut diligenter dispiciatur, num aliqua Sententia, de cujus Probabilitate dubita-

tur, non sit à Sede Apostolica reprovata, Catalogus talium prohibitarum doctrinarum semper ad manus habeatur ac frequenter inspiciatur.

VI. Sexta est, ut, qui optarum ex praxi moralium Doctrinarum Fructum referre cupit, Mercatores imitetur, qui, etsi pleraque Merces, quæ ab Hominibus emi consueverunt, in Tabernis suis recondere conentur, eas tamen majori in quantitate, majorique studio comparant, & asservant, quas frequentiùs emi adverterunt; atque adeò & ipse illis Materiis accuratiùs volvendis, & memoriæ imprimendis studere conetur, quarum frequentior in Pastorali Officio obeundo usus occurrit, quales sunt Matetia de Conscientia, de Peccatis, de Restitutione, de Pœnitentia, de Eucharistia, & similes.

VII. Sexta est, ut, quoniam nihil æquè prodest ad Doctrinas aliquas memoriæ imprimendas, quàm frequens & assidua Exercitatio, unum vel plures Socios sibi conquirat, cum quibus se in casibus circa varias materias proponendis & resolvendis exerceat, sicque in hac velut ludicra exercitatione addiscat, quid in occurrentibus Casibus suo Tempore respondere debeat. Debet autem hæc Altercatio non multùm contentiosa esse, sed potiùs familiaris instar Collocutionis, in qua dubia mutuò proponuntur, & solvuntur, instituì; sic enim plùs Temporis supererit ad plures Materias brevi spatio percurrendas.

VIII. Septima Industria est, ut ipsemet sibi quis varios Casus velut ab alio propositos fingas, &, quid ad eosdem respondere vellet, consideret; sic enim & Socii sæpe, cum quo Repetitionem instituat, Absentiam aut Defectum supplebit; & non rarò, dum Responsum non statim occurrit, excitabitur ad Materiam illam, in qua se debilem etiamnum, agnoscit, diligentiori discussione repetendam.

IX. Octava Industria, est, ut, si quos rariores Casus, atque ad Praxin magis conducentes vel in Libro legerit, vel ab aliis decidi audiverit, breviter annotet; dici enim vix potest, quantùm hæc Industria multis profuerit ad se aliosque à quamplurimis intricatis Nodis, Dubiisque, expediendos, Officiumque Pastorale cum magna Dexteritate ac Commendatione, nec minore suo, Oviumque sibi comissarum solatio peragendum. Eundem ob finem etiam Dubia in Lectio-

ne

ne occurrentia, vel ab aliis proposita annotari debebunt, ut eorundem solutio suo tempore ab aliis doctioribus peti, vel certè per ipsorum Authorum Inspectionem procurari possit.

X. Nona denique Industria est, ut Memoriæ sublevandæ causa semper compendium aliquod Theologiæ moralis ad manus habeat, ex eoque quotidie, si fieri potest, vnum, alterumve Folium percurrat; sic enim species paulatim adeò confirmabit, ut suo tempore sine difficultate excitari, atque ad Praxim Pastoribus tantopere necessariam plurimùm servire possint.

CAPVT. IV.

De Principiis generalibus Theologiæ moralis.

VT hæc Principia, quæ, ut suprà dictum est, sunt veluti Fontes reliquarum Conclusionum Theologicarum, clariùs intelligantur, & memoriæ firmiùs imprimantur, visum est, non parùm profuturum, si & ipse cujusque Principii Sensus explicetur, tum Authoritas & Ratio indicetur, & tandem una, alterave conclusio practica ex tali Principio deducta subjungatur, ad cujus Normam aliæ similes Conclusiones erui possint.

ARTICVLVS I.

De Principiis ad Actus humanos in genere spectantibus.

§. I.

PRINCIPIVM I.

Nihil volitum, nisi præcognitum.

Sensus.

Hoc est, quisquis non priùs cognovit aliquo saltem modo bonitatem vel malitiam quampiam in objecto, quod amplectitur, latere, ei non potest bonitas illa vel malitia ad laudem & [illegible] vel ad vituperium & pœnam imputari. Dixi aliquo

xi *aliquo saltem modo* : quia non claram & perfectam requiri cognitionem colligitur ex iis, qui cum ignorantia culpabili & affectata objectum aliquod peccaminosum amplectuntur, hi enim licet certò non sciant inibi latere malitiam, quia tamen in confuso cognoscunt. & suspicantur, prohibitum esse tale objectum & ad certitudinem indagandam se obligari, nec tamen huic suæ obligationi satisfacere student, ideo meritò sufficiens creditur hæc confusa cognitio ad hoc, ut talis Malitia illis imputetur, uti infrà iterum ex alio axiomate ostendetur.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Thoma 1. 2. q. 9. a. 1. Suar. d. met. 23. sect. 7. n. 4. Tann. to. 2. q. 2. n. 13. & 14. ubi concludunt, solam Intellectus præcognitionem sufficientem & proportionatam esse ad hoc, ut voluntas per illam moveatur; vocaturque hoc axioma ab Aristoteles 3. de anim. c. 10. primum Principium.

Ratio.

Quia, cùm voluntas humana cœca sit, hoc ipso progredi ad prosecutionem vel fugam Objecti non potest, nisi ab Intellectu velut Oculato Duce manducatur, & dirigatur. Vnde in eundem sensum alii dixerunt: *Ignoti nulla cupido: & Quod quis non novit: hoc non aolet.*

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui peccatum in se grauissimum committit, formaliter non contrahere malitiam, si nesciverit, actum à se elicitum esse peccaminosum, vti communis docet Theologorum sententia.

Deducitur 2. Eum. qui credit, actionem aliquam sub veniali duntaxat peccato esse prohibitam, non contrahere aliam, quàm venialem malitiam, licet alioqui actio illa mortaliter sit peccaminosa, uti iterum unanimiter docens Theologi.

Dedu-

Deducitur 3. Eum, qui percussit Clericum ati putans se Laicum verberare, non incurrere Excommunic onem in Percussores Clericorum latam vti ex cap. Si verò 4. de Sentent. Excomm. colligitur.

§. II.

PRINCIPIVM. II.

Non Inest Actui Moralitas, si desit voluntati Libertas.

Sensus.

Hoc est, non censetur quis bene vel malè egisse, atq; adeò laude vel vituperio dignus, si debita ad operandum Libertate careat, seu, quod idem est, non præcedat indifferens cognitio, quæ voluntatem expeditam relinquat ad agendum vel non agendum, vel ad agendum saltem contrarium.

Authoritas

Desumptum est ex ipsa S. Scriptura Eccl. 31. Beatum & laudabilem dicente eum, qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala & non fecit. Et confirmatur vnanimiter a Theologis & Philosophis.

Ratio.

Quia quid ad vnum determinatus est, agitur potiùs, quàm agit, atque adeò tam parum laude vel vituperio dignus censeri potest, quàm parum laudabilem dicimus lapidem, si ad centrum feratur; vel è contrario vituperabilem censemus, si contra naturalem inclinationem sursum projciatur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etsi Dœmon nonnunquam ad turpissima objecta animo volvenda Hominem impellat, neutiquam tamen hunc peccare, si voluntariè illis non inhæreat; quia non nocet sensus, si desit consensus, vt eum S. Bernardo communiter docent SS. Patres.

Deducitur 2. Eum, qui ad opus aliquod faciendum obligatus, nullam ex sua parte negligentiam committit, sed contra voluntatem suam ab obligatione tali implenda impeditur, non debere ob talem omissionem, culpæ aut pœnæ obnoxium

noxium censeri; nam, vti in l.6.decr. c.ult. reg.41. dicitur; non debet imputari ei, per quem non stat, sit non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

Deducitur 3. Non esse peccatum, si cui in subita apprehensione objecti turpis ante rationis animadversionem excitata appetitus commoveatur, talis enim motus cùm primò primus sit ob libertatis defectum culpa caret, uti docet cum communi Sanchez. l.1.c.1.n.19.

§. III.

PRINCIPIVM. III.

Nihil consensui tam contrarium est, quàm vis & metus.

Sensus.

Hoc est, quandocunque violentia infertur, aut metus gravis extrinsecus (nam intrinsecus ex causis naturalibus proveniens non obstat) cadens in constantem Virum (qualis est v.g. metus mortis, Carceris diuturni, amissionis magnæ partis bonorum, gravis indignationis, aut infamiæ) alicui incutitur ad consensum illius in materia de se non illicita, ac ad contractus humanos, pacta ac vota pertinente extorquendum, non censetur verè consensisse, etiamsi oretenus se consentire præferat. Dixi autem 1. *In materia de se non illicita*; quia si illicita sit, tum hoc ipso, quòd peccatum sit malum omnium gravissimum, Prudentia dictat metum illum gravem metu hujus gravioris mali superandum esse, atque adeò non excusabitur à peccato, qui contra hoc Prudentiæ dictamen delinquit. Dixi.2. *In materia ad contractus, vota & pacta pertinente*: quia, vt rectè P. Gobat tr. 2. de Bapt. n 290. advertit, si loquamur de actibus distinctis à Pactis, ij neque ex Natura rei, neque ex ullius Legis dispositione sunt invalidi, quia scilicet possunt esse adhuc simpliciter voluntarii, licet secundùm quid sint involuntarii, vt cum S. Thoma 1. 2. qu. 77. a. 6. & 7. communicet docent Theologi.

Authoritas.

Desumptum est ex le. nihil consensui. 117. ff.de reg. iuris

Item

Item ex le. 39. eod. tit. illudque explicat Decius in cit. reg. & approbant communiter Theologi.

Ratio.

Quia cùm in tali casu metus sit causa hujus consensus præstiti, meritò leges, quæ humanæ fragilitati condescendunt, permittunt rescindi ejusmodi Contractus (si is, qui metum passus est, velit) aut omnino inualidos fuisse declarant.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui metu mortis contrahit matrimonium, non obligari ad standum contractui, uti in cap. Veniens. & cap. Cùm locum 14 de Sponsalibus definitur.

Deducitur 2. etsi metus absolutè gravis non sit, sed respectivè duntaxat in ordine ad fragilitatem talis Personæ, quæ faciliùs deterretur, irritabilem fieri contractum, uti Sanchez & multi alli apud & cum Lugone d. 22. n.133.docent; quia quod operatur metus gravis in viro robusto, hoc metus minor in Persona timida operatur, ergo eodem modo uni ac alteri est occurrendum.

Deducitur 3. Eum, qui metu mortis consentit in Baptismum, validè babtizari, si verè habuit intentionem baptismi suscipiendi, uti P. Gobat l. c. decidit, quia in tali casu non agitur de contractu humano, aut pacto &c.

§. IV.

PRINCIPIVM IV.

Vani Timoris nulla est excusatio.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis levi duntaxat metu (id est, non cadente in constantem virum) adactus committit scelus, vel contractum sibi aut alteri noxium iniit, non potest se metus hujus exceptione à culpa aut obligatione restitutionis tueri.

Authoritas.

Desumptum est ex le. 184. ff. de reg. Iur. item ex le. Si quis 13. ff. de re judicata. illudque refert & explicat Decius in reg. 39.

Ratio.

Ratio.

Quia, cùm talis metus levis esse supponatur, meritò judicatur à quovis facilè superari potuisse, atque adeò nec voluntarium secundùm quid tollere. Certè si cogeremur actiones nostras instituere juxta normam rationum levium & futilium, etiam in casu, quo non occurrunt in contrarium aliæ, essemus multò miserrimi, ut rectè P. Gobat tr. 7. n. 312. advertit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Preces importunas sine minis aut metu reverentiali non obstare, quò minùs validè matrimonium contrahatur, uti Lugo d. 12. de Iust. n. 4. cum Tann. Vasq. Less. & pluribus aliis docet.

Deducitur 2. Etiam vota facta ex metu levi valida esse, si non incutiatur injustè talis metus ad votum extorquendum, uti communis sententia Theologorum apud & cum Busenbaum l. 3. c. 3. tr. 2. du. 2. docet.

Deducitur 3. Contractus levi metu initos in foro externo (quidquid sit de foro Conscientiæ) semper ut validos acceptari debere, uti docet communis Theologorum.

§. V.

PRINCIPIVM V.

Ignorantia Facti, non Iuris excusat.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis facti alieni ignorantiam probabilem, & non omnino supinam habet, & ex causa hujus ignorantiæ errorem aliquem, aut culpam materialem admittit, non potest in tali casu culpa ei adscribi; secus sentiendum foret, si ex ignorantia Iuris manifesti culpam admisisset, aut errorem, tum enim omnino hæc ei obessent ad acquirendum commodum, non tamen ad damnum rei suæ amittendæ, uti Canis. in cit. reg. ait.

Authoritas.

Desumptum est ex lib. 6. Decret. c. ult. reg. 13. Item ex le. Iuris 7. ff. de Iuris & Facti ignor. ubi dicitur: Error facti ne

ne in maribus quidem in damnis vel compendiis obest: juris autem error nec Feminis in compendiis prodest. Cæterùm omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet. Illud insuper referunt, & explicant Canisius & Decius in tr. de reg. Iuris Pontif. & Barbosa axiom. 113. cum multis aliis.

Ratio.

Quia, cùm jus finitum sit, adeoque ab omnibus intelligi, aut saltem peritiores de eo consuli posse præsumatur, meritò nullam excusationem afferre illius ignorantia dicitur; secus se res habet in facti alieni ignorantia, hoc enim, cùm multiplex, & quasi infinitum sit, facilè etiam prudentissimum quemque fallere potest.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiam in factis propriis excusare ignorantiam, si factum sit valde antiquum, in quo sit verosimilis oblivio; vel quando est valde intricatum, & obscurum; vel is, qui fecit, multis negotiis implicatus est; vel in extremis laborat, uti Barbos. axiom. 113. nu. 3. & seq. docet cum multis aliis.

Deducitur 2. Clericum, qui ab Episcopo excommunicato ignorans Ordines suscepit, posse dispensationem à suo Episcopo obtinere, uti in cap. Cùm Clericis. 2. de Ordinandis ab Episcopo habetur.

Deducitur 3. Eum, qui per ignorantiam facti solvit id, quod naturaliter debitum, sed civiliter indebitum erat, posse illud repetere; secus, si per ignorantiam Iuris solverit; uti in le. Cùm quis 10. C. de Iur. & Fact. ignor. dicitur.

§. VI.

PRINCIPIVM VI.

Scire, & scire debere paria sunt.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis obligatus est ad rem aliquam indagandam, & sciendam, tum, etsi eam ignoret, perinde reprehensibilis habetur, ac punitur ob effectum ex tali ignorantia consecutum, acsi reipsa scienter talem effectum pro-

produxisset, saltem quoad Forum externum, in quo præsumitur adfuisse cognitio, nisi contrarium probetur.

Authoritas.

Desumptum est ex le. quod. te. 5. ff. de rebus creditis. Item ex le. Si dub. 38 ff. de acquir. hæred. illudque approbat, & refert Barbos. axiom. 174. cum aliis.

Ratio.

Quia nemo præsumitur malus, nisi probetur; ergo nemo quoque præsumitur negligens fuisse in re, quam debebat scire, indaganda. Adde, quòd hoc ipso, quòd talis sciverit, se obligari ad inquirendum de re, quam scire debet, jam quodammodo confusè eam cognoscere censeatur, atque adeò affectatè eandem ignorare dicatur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui munus aliquod suscepit, nec tamen, cùm posset, studuit scire, quæ pertinent ad tale munus, non excusari à culpa, si ob ignorantiam varios errores & damna causet, uti Busenbaum l. 4. c. 3. a. 1. cum Lugon. Bonac. & aliis docet.

Deducitur 2. Rusticum, qui non interrogavit, an sequenti hebdomade esset dies jejunii vel festus, non excusari à peccato, si animus illi dictaverat, esse interrogandum, uti communiter docent Authores.

Deducitur 3. Eum, qui accedit ad mulierem, dubitans, num sit sua, non excusari ab Adulterio, si Mulier illa non fuerit uxor illius, uti Bonac. d. 2. de. peccq. 8. pu. 3. num. 20. Vasq. Sanch. & alii docent.

§. VII.

PRINCIPIVM VII.

Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Sensus.

Hoc est, non licet actionem ex natura sua illicitam eligere velut medium ad bonum aliquem finem consequendum.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura ad Rom. c. 13. & ex cap. Su-

Super eo 4. de Vsuris, illudque approbat & defendit Barbos. axiom. 141. n. 3. cum pluribus aliis.

Ratio.

Quia velle malum est absolutè peccatum; atqui intentio, per quam aliquis actionem malam dirigit ad bonum finem, non impedit, quò minùs verè adhuc dicatur velle talem actionem malam, ergo nec impedit, quò minùs peccet: peccare autem semper est illicitum.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Non esse licitum adhibere Sortilegia, ut Fures cognoscantur, & per horum punitionem quies Reipublicæ conservetur, uti ex cap. 2. de Sortileg. colligitur.

Deducitur 2. Non esse concessum, ut aliquis pro vita alterius redimenda usuras exerceat, uti in cap. Super eo. 4. de usur. deciditur.

Deducitur 3. Non licere mendacium etiam minimum committere; ut per illud mala gravissima à Regno quopiam, aut integro Mundo avertantur, uti in cap. Non arbitretur. 22. q. 2. dicitur.

§. VIII.

PRINCIPIVM VIII.

Actus Agentium non operantur ultra eorum intentionem.

Sensus.

Hoc est, si ad bonitatem vel malitiam, vel essentiam alicujus actus requiritur intentio ipsius Operantis, non potest de tali bonitate vel malitia plùs illi adscribi, quàm quantùm ille per suam intentionem appetere voluit.

Authoritas.

Desumptum est ex le. Non omnis. ff. Si certum petetur. Et approbat illud Barbosa axiom. 12. cum communi aliorum.

Ratio.

Quia actus non potest subsistere sine substantia, ut colligitur ex cap. Tua nos. 26. de Sponsal. ergo cùm ad substantiam actus etiam ipsam intentionem requiri supponatur, non

potest majorem valorem sortiri, quàm quousque se Intentio extendit.

Praxis.

Deducitur 1. Eum, qui die jejunii delectatur esu carnium imaginariè tantùm, non violare jejunium, nec peccare, quia cùm præceptum positivum per se non extendatur ad actus internos, hic meritò locum habet principium adductum, ut docent Diana p. 1. tr. 9. res. 37. Laym. & alii.

Deducitur 2. Sacerdotem non consecrare Hostiam, quæ ipso inscio intra corporale posita est, uti docent Coninck. 3. p. q. 74. a. 2. d. 3. & alii apud & cum Busemb. l. 6. tr. 3. cap. 1. du. 5. re. 2.

Deducitur 3. Eum, qui Verbo tenus promittit Puellæ Matrimonium, non habens animum sese obligandi, probabiliter non obligari ex justitia, quia jus non confertur solis verbis, sed maximè voluntate & intentione, qua quis jus, quod habet, abdicare intendit; obligari tamen ex fidelitate, quia in nullius potestate est verbis externis promittere, & nolle se obligare ex virtute fidelitatis ad promissa reddenda, uti docet Sanch. l. 1. d. 9. n. 2. Less. Laym. Coninck. & alii apud Ferd. de Castro p. 5. tr. 28. d. 1. pu. 2. n. 2.

§. IX.

PRINCIPIVM IX.

Voluntas pro opere reputatur.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis reipsa habet voluntatem efficacem aliquod opus faciendi, tum, etsi ab eo perficiendo contra voluntatem suam impediatur, perinde apud DEVM præmiabitur aut punietur, ac si opus ipsum præstitisset; nisi specialis in ipso opere operando difficultas superanda sit, ob quam speciale à DEO præmium promissum sit, uti in Martyrio videre est, ubi utique Laureolam Martyrum non obtinebit, qui solum habuit desiderium, licet efficax, sanguinem pro Christo fundendi.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura Matth. 5. ubi Christus dixit: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Estque conforme communiori Theologorum sententiæ neganti per actum externum augeri moralitatem actus. Imò etiam in Foro externo locum eam habere colligitur ex le. Si quis. C. de Episc. Item ex le. Is. 7. C. ad le. Corn. de Sicariis; eamque communiter doceri à Doctoribus, testatur Schneidewein l. 4. tit. 1. §. Sed etsi. n. 7. ubi tamen ex Baldo notat, istam regulam quidem de rigore Iuris veram esse, sed per consuetudinem non observari.

Ratio.

Quia cùm tota libertas agentis circa actum internum præcipuè versetur, hoc ipso etiam moralitas tota in ipso residere censebitur; unde hic præcipuè locum habere videtur dictum illud le. In convent. 219. de verb. sign. Voluntas in omnibus dominatur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui voluntariè consentit in actum luxuriosum, si occasionem haberet, coram DEO jam reum esse luxuriæ, in quam consensit; uti ex cit. c. 5. Matth. colligitur.

Deducitur 2. Illum, qui efficacem habet voluntatem dandi eleemosynam, si haberet, misericordiæ præmium æquè à DEO accepturum, atque si reipsa dedisset, quemadmodum S. Augustinus super Psalm. 109. testatur dicens: *Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac; coronat DEVS Voluntatem, ubi non invenit facultatem.*

Deducitur 3. Eum, qui vult DEVM infinito amore diligere, non hoc ipso actum infinitæ dignitatis & valoris elicere; tum quia plerumque hic actus est simplex complacentia duntaxat; tum quia si actu ipso deberet poni actus externus respondens illi interno, nova adhuc, eaque gravis difficultas superanda foret, quæ novam utique iterum laudabilitatis & moralitatis intentionem causaret.

ARTICVLVS II.

De Principiis ad internam Actuum humanorum Regulam, seu Conscientiam spectantibus.

§. I.

PRINCIPIVM I.

Quod non est ex Fide, peccatum est.

Sensus.

Hoc est, quandocunque aliquis actionem aliquam peragit, vel omittit, quam Conscientia (quæ nihil aliud est, quàm dictamen Intellectus indicans, quid licitum vel illicitum sit) dictat illicitè peragi, vel omitti, committit illius speciei peccatum, quale conscientia apprehendit, etiamsi illa actio vel omissio alioqui minimè peccaminosa sit.

Authoritas.

Desumptum est ex Epistola S. Pauli ad Rom. c. 14 illudque approbant, & sic explicant communiter SS. Patres, teste Busembaum l. 1. tr. 1. c. 1. resp. 2.

Ratio.

Quia Conscientia est Regula proxima Voluntatis, derivata à prima & principali Regula omnium humanarum actionum, scilicet à Lege Divina & æterna; ergo quidquid contra hanc Legem committitur, vel omittitur, bonum esse non potest.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui putat, se ex Caritate obligari ad Proximum è periculo liberandum per mendacium, peccare, si non mentiatur, uti cum communi docet Bonac. d. 2. de pecc. q. 4. pu. 6. n. 8.

Deducitur 2. Eum, qui Venerando SS. Imagines, aut Reliquias putat, se Idololatriam committere, non esse immunem à tali culpa, si dictam Venerationem peragat, uti iterum communis apud Bonac. l. c. n. 13. sentit.

Deducitur 3. Eum, qui putat, alterutram ex duabus contra-

dictoriis actionibus committendo se peccare, omnino peccati reum fieri, quamcunque peragat, si conscientia vincibilis sit; vel si invincibilis sit Conscientia, & non eligat eam, quæ minùs gravis est, ut idem Bonac. l. c. n. 27. cum communi Theologorum iterum sentit.

§. II.

PRINCIPIVM II.

Non lædit Conscientiam actio, quam probabilis tuetur opinio.

Sensus.

Hoc est qui non potest certò cognoscere, an actio aliqua sit licita, vel non, potest eam sine peccati scrupulo elicere, si advertat, eam à doctis & prudentibus viris, quorum Authoritas sufficit ad probabilitatem alicui sententiæ conciliandam, licitam judicari; modò non immineat aliquod periculum, ad quod vitandum Prudentia, vel Iustitia, vel Caritas dictet oppositam sententiam eligi debere.

Authoritas.

Desumptum est ex mente Vasquez, Sanchez, Medinæ, Tann. Ovied. Lugonis, Amici, Lezaniæ, & plurium aliorum apud & cum Francisco Bardi discept. 4. de consc. cap. 10. nu. 5.

Ratio.

Quia, cùm opinio probabilis sit dictamen rationi conforme (alioqui enim probabilis opinio non foret) hoc ipso, qui illam sequitur, prudenter agere, & ex consequenti nec peccare censendus est; dummodo non sit nimis tenuis probabilitas, aut in materia Sacramentorum, vel judicii versemur, tunc enim non licet juxta decretum Innocentii X. 1679. 2. Mart. editum sententiam quantumcunque probabilem relicta probabiliore sequi.

Praxis.

Hinc deducitur 1. eum, qui probabiliter putat, se habere Iurisdictionem, licitè eam exercere, uti Sanch. Less. Ferd. de castro, Fill. Villalob. Coninck. Henriq. apud & cum Francisco Bardi disc. 4. c. 17. n. 2. docent.

Deducitur 2. Doctorem non esse obligatum respondere juxta suam opinionem magis probabilem, sed satisfacere suo officio, si juxta probabilem aliquam opinionem respondeat, uti Sanch. Becan. Regin. Bonac. Io. Sancius & alii apud & cum Bardi l.c.c.20.n.2. sentiunt.

Deducitur 3. Opinionem unius Doctoris, qui ob rationem probabilem favet Matrimonio jam contracto, posse opinioni reliquorum Doctorum aliud opinantium præferri, uti Sanchez l.2.de matrim.d.36.docet.

§. III.

PRINCIPIVM III.

In dubio melior est conditio possidentis.

Sensus.

Hoc est, quando neutra pars, quæ de aliquâ re litigat, ostendere potest probabilibus argumentis, rem illam sibi deberi; aut certè probabilitas argumentorum utrobique est æqualis, tum illi res adscribenda est, qui actu illam bona fide possidet.

Authoritas.

Desumptum est ex l.6.decret.ult.re.65. ubi dicitur: In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis. Habetur etiam in reg.172.& 196.ff.Item in le.si debitor.10. de pignor. illudque refert Barbos. axiom.182. cum innumeris aliis.

Ratio.

Quia, cùm nemo præsumatur malus, atque adeò nec rem aliquam illegitimè possidere, ipsa ratio dictat, non esse ipsum de hac sua possessione dejiciendum, donec efficacibus rationibus probetur, rem illam, non ipsi, sed alteri competere.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui dubitat, num votum emiserit, non obligari illo, uti plurimi docent apud Bardi dilcept 6.c.1.§.1.

Deducitur 2. Eum, qui dubius est, num commiserit peccatum

catum mortale, non esse obligatum ad illud confitendum; Ita Coninck. d.7. de pœn.du.8. Caramuel & alii apud Bardi l.c.c.11.p.4.§.1.& Dian.p.4.tr.3.re.5.

Deducitur 3. Eum, qui dubitat, num vigesimum primum annum attigerit, non teneri Iejunii lege, quia libertas est in possessione. Contrà verò se res habet, si quis dubitet de ætate ad Sacras Ordines requisita, quia præsumptio & possessio est pro Præcepto, uti Laym.Sanch.apud & cum Busenb. l.c.tr.1.c.2.sentiunt.

§. IV.

PRINCIPIVM IV.

Dubia in meliorem partem interpretanda sunt.

Sensus.

Hoc est, quando non certò constat, aliquem in Legem aut contra suam obligationem peccasse, semper pro ipsius Innocentia potiùs, quàm pro Delicto pronunciandum est; Quod enim Scriptum est: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* de manifestis dictum est, quæ plerumque non solent bono animo fieri, ut stuprum, Blasphemia, Furta, & Similia, dquibus nobis permittitur judicare.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Estote. 2. de Reg. Iuris, ubi illud ex Venerab. Beda refertur. Item ex le. Proximè. 3. ff. de his, quæ in Testamento delentur; illudque refert, & cum pluribus approbat Barbosa. axiom.78.n.1.

Ratio.

Quia in dubio delictum non præsumitur, sed tamdiu præsumitur aliquis esse bonus, quamdiu non probatur esse malus uti ex cap. ult. de Præsumpt. & cap. unic. de Scrutin. faciendo in Ordin. Item ex le Omni modo. 30. c. de inoffic. Testam. colligitur, illudque referunt, & approbant Canisius & Dynus in explic. reg.8.in 6. est enim in Dubio melior Conditio possidentis Innocentiam.

Praxis.

Hinc deducitur 1. in Dubio, num Matrimonium, Pro-

fessio, aut Dispensatio sit valida, pro valore standum esse; eò quòd *in Dubio præsumendum sit pro Valore Actus*, uti in le. quoties in actionibus 12. ff. de Rebus dubiis & le: Quoties 80. de Verb. Oblig. habetur, & tuetur Barbos. axiom. 13. n. 16. & seq. cum plurimis Authoribus, additque ex Decio, tantam esse Præsumptionem, quæ oritur propter validitatem Actus, ut omnes alias Præsumptiones vincat.

Deducitur 2. In Dubio, num causa pro Indulgentiis concedendis sufficiens, aut sententia, à Iudice lata justa sit; aut is, qui ad Beneficium electus fuit, idoneus sit; semper pro sufficientia, justitia, idoneitate pronunciandum esse, eò quòd *in Dubio præsumatur id factum, quod erat de Jure faciendum*, uti in argum. text. in le quædam mulier 77. ff de rei vindicat. dicitur, & à Doctoribus communiter approbari testatur P. Gobat. in thes. Indulg. p. 1. n. 95. & meritò; quia neque præsumi prudenter potest, Superiorem ea nesci visse, quæ scire ex officio debebat; nec cogitari justè, quòd ea, quæ necessariò in tali dispositione observanda cognoverat, temerè aut malitiosè omittere voluerit.

Deducitur 3. Scrupulosum, qui dubitat, num consenserit in grave Peccatum, posse se resolvere, quòd non consenserit, uti ex communi docet Busenbaum l. 1. tr. 1. c. 3. resp. 4. ac nominatim Azor, Sanch. Vasq. Filliut. & alii asserentes, talem non debere quidquam judicare esse Peccatum mortale, nisi certò sciat.

§. V.

PRINCIPIVM V.

In dubio tutior pars est eligenda.

Sensus.

Hoc est, quando agitur de damno gravi proprio aut alieno avertendo, aut magno bono procurando, semper illa pas est eligenda, per quam certiùs illud malum removetur, aut bonum desideratum obtinetur. Non autem procedit hoc axioma in casu, quo utraque Pars Probabilitatis limites non egredietur, tunc enim cùm alterutram partem sequi sine peccato

cato liceat, absque gravi damno aut boni grandis jactura, non potest voluntas ullum ex alterutra sententia practicata periculum timere.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Iuvenis. 2. de Sponsal. & cap. ad audientiam 12. de homicid. Item ex cap. si quis autem de pœn. dist 7. ubi dicitur: *Tene certum, & dimitte incertum.* Habetur etiam in Iure Civili. §. Curare 33. Instit. de action. Item le. si fuerit 10. ff. de rebus dub. illudque refert, & defendit Barbosa axiom. 78. n. 2. cum Vasq. Sanch. Sayro. Salas & pluribus aliis.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd Natura & Ratio dictet, omne mali periculum fugiendum esse, dictabit etiam minus Periculum (quale incurritur, si certiora quis eligat) præ majori eligendum esse.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si Sacerdos possit habere certam Formam & Materiam in Sacramentorum (Baptismi maximè, & Pœnitentiæ) administratione, non posse dubiam duntaxat adhibere, uti cum Suar. Vasq. Henriq. Regin. & pluribus aliis docet Bonacina d. 1 q. 2. pu. 1 n. 32.

Deducitur 2. Eum qui negativè dubitat, num actio aliqua sit licita, non posse illam sine peccato exercere, uti communiter docent Authores, & colligunt ex noto axiomate Eccles. c. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Deducitur 3. Eum, qui dubitat, num adsit impedimentum Matrimonii, non posse contrahere, uti docent Ferd. de castro Laym. & alii apud & cum Bardi disc. 6. c. 11. pu. 7. §. 11 & colligitur ex Cap. Iuvenis de Sponsal.

§. VI.

PRINCIPIVM VI.

Frustra remedium quæritur, ubi nulla est læsio.

Sensus.

Hoc est, quando Finis, ob quem remedium institutum est,

est, obtineri non potest, non debet multùm in remedio quæ rendo aut applicando laborari.

Authoritas.

Desumptum est ex le.ex consensu.23.§.1.ff.de Appellat. illudque refert, & approbat Gribaldus l. 2. de Method.lit. F. ex communi Authorum.

Ratio.

Quia cùm remedium tale tantùm quæratur,& adhibeatur propter læsionem, ut supponitur, rectè infertur, cessante læsione tanquam finem,ipsum etiam remedium adhibendum non esse.

Praxis.

Hinc deducitur 1. frustra Scrupulosos angi de peccato a se commisso in actione, si hanc ex probabili sententia licitam esse putaverunt, dum eam exercuerunt, uti communiter docent Doctores.

Deducitur 2. Frustra provocari à sententia Iudicis, quæ valorem suum quocunque ex capite non est sortita, uti in cit. le.ex consensu dicitur.

Deducitur 3. Non obligari ad restitutionem Famæ illum, qui publicum crimen de altero in loco, in quo publicum est, narravit,uti Fagund Lessii.Filliuc.Dian.& plures alii apud Lugon.d.14. de Iustit. n. 72.docent.

ARTICVLVS III.

De Principiis ad externam Actuum humanorum Regulam seu legem spectantibus.

§. I.

PRINCIPIVM I.

Omnia sunt licita, quæ nulla lege aut Iure sunt vetita.

Sensus.

Hoc est, quamdiu non occurrit animo,actionem aliquam nec Rationi velut legi naturali, nec legi divinæ aut humanæ contrariam esse,tamdiu credi potest, illam licitè exerceri.

Autho-

Authoritas.

Desumptum est ex Nello de Testibus.n.1.illudque refert & approbat P. Gobat in tr.5.n.630.

Ratio.

Quia cùm hæ leges sint Regula humanorum Actuum à Natura & ipso Authore Naturæ proposita, hoc ipso dissortum dici non debet, quidquid huic Regulæ contrarium non esse deprehenditur.

Praxis.

Hinc Deducitur 1. Eum, qui die Festo Sacrum audit, non debere jejunum id præstare, nisi per accidens cibus aut potus priùs acceptus ipsum à debita attentione impediret. Ita P. Gobat.tr.5. n.419. probans ex alio axiomate à S. Paulo ad Rom.4.tradito: *Vbi non est lex, tibi nec Prævaricatio.*

Deducitur 2. Non peccare Sacerdotem, qui Matutinum ante Sacri celebrationem non recitat, cùm nulla lex eam recitationem præcipiens afferri queat, uti communior docet sententia Theologorum.

Deducitut 3. Eum, qui deliquit mortaliter, non teneri statim ad communionem sacram, uti Sotus apud P. Gobat.tr. 4.n.9. voluit, quia nulla obligatio est asserenda sine lege, uti ex c. 2. de Translato. Episc. & c. legatur 24. q. 2. leg 99 ff. de verb oblig. colligitur.

§. II.

PRINCIPIVM II.

Haberi debent ut infecta, quæ contra jus manifestum sunt confecta.

Sensus.

Hoc est, quandocunque aliquis Actus manifesto Iuri contrarius est, perinde quoad calorem æstimari debet, ac si productus non fuisset, nisi certas ob causas ab ipso Iure sustineatur, quo modo toleratur Matrimonium contractum post votum simplex continentiæ; vel contra Interdictum Ecclesiæ; vel cum Neophyta à se in Fidei articulis ante Baptismum instituta. Item ordinario Clericorum, & Consecratio Ec-

cleſiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

clesiæ ab alieno Episcopo facta; ac Sententia Iudicis diutiùs, vel sub conditione lata, ut ex pluribus textibus probat Canisius in reg. 64. Iuris.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. fin. reg. 64. Item ex le. non dubium. 5. C. de legibus, illudque referunt, & approbant Canisius & Dynus in cit. reg. Iuris.

Ratio.

Quia leges non debent fovere iniquitatem, atque adeo nec approbare eos Actus, qui contra Leges sunt facti, nisi aliud exigat boni communis ratio.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si res Ecclesiæ vel Pupilli alienentur contra Iuris formam, invalidam esse alienationem, uti in c. 2. de rebus Eccl. non alienandis in 6. & le 22. C. de admin. Tutor. deciditur.

Deducitur 2. Electionem contra Iura factam pro invalida habendam esse, uti ex Cap. congregato 53. de electione habetur.

Deducitur 3. Stipulationes quoque & mandata contra Ius facta nullius esse momenti, uti in cit. le. non dubium habetur.

§. III.

PRINCIPIVM III.

Impossibilium nulla est obligatio.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis dispositioni vel legi conditionem impossibilem (qualis est, quæ vel simpliciter, vel certè sine dispendio bonorum morum fieri non potest) adjungit, nulla ex tali dispositione aut lege obligatio oriri potest, nisi fortè per fictionem Iuris dicta conditio pro non adjecta habeatur, uti in Matrimonio & ultimis voluntatibus contingit.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. ult. re. 6. & 31. Item 135. & 185. ff. de reg. Iuris, illudque referunt, & explicant Canisius, Dynus, Decius in cit. reg. uti & Barbosa axiom. 118. n. 7. cum pluribus aliis.

Ratio.

Quia, cùm ex vna parte omnis obligatio in faciendo aut dando consistat; ex altera verò parte id, quod est impossibile, fieri, darique non queat, hoc ipso is, qui conditionem impossibilem adjungit, dispositione vel legi, seriam voluntatem disponendi, vel obligandi non habuisse censetur, vti in le. non solùm 30. ff. de act. & oblig. habetur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Culpa carere eum, qui aliquid non prohibet, quando non potest, uti in §. si impossibilis Instit. de inut. stipul. definitur.

Deducitur 2. Si quis Matrimonium contrahat ea conditione, ut generatio Prolis evitetur, vel uxor pro quæstu adulterandam se tradat, non subsistere Sacramentum, quia hanc conditionem Ecclesia non habet pro non adjecta.

Deducitur 3. Nec ægros, nec debiles obligari ad sacrum die Festo audiendum, si sine gravi difficultate aut periculo ad Ecclesiam se conferre non possint, nec aliam audiendi sacri occasionem habeant, uti communis docet sententia.

§. IV.

PRINCIPIVM IV.

Posse quis non dicitur, quod contra Ius potest.

Sensus.

Hoc est, quando quis physicè quidem actionem aliquam præstare potest, sed ita, ut necessariò simul aliquam legem violare debeat, tum perinde in morali Hominum æstimatione ad talem actionem impotens censetur, ac si ne physicam quidem potentiam haberet.

Authoritas.

Desumptum est ex c. 18. de Rescript. & c. 8. de consuetud. illudque approbat Barbosa in tract. de axiom. verbo, Posse cùm multis allis.

Ratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ratio.

Quia, cùm talis actio nunquam sine peccato fieri possit; perinde ratio dictat ab ea abstinendum esse, ac si simpliciter aliquis illam exercere non posset.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Infirmarium, quia non potest ægrum sine periculo vitæ deserere, censeri debere impotentem ad sacrum die Festo audiendum, uti docet communis Theologorum.

Deducitur 2. Eum, à quo petitur maleficii dissolutio, non posse suam operam addicere, si non sciat aliter, quàm per aliud maleficium id dissoluere, quia id esset inducere ad peccatum, & actui intrinsecè malo cooperari, uti rectè Suar. Sanch. Lessius & alii apud Busenb. l. 3. tr. 1. de prim. præc. du 5. notant.

Deducitur 3. Eos, qui multis annis contra Ius commune usurparunt potestatem eligendi, non posse dictam consuetudinem allegare ad electionis privilegium manu tenendum. Ita in dict. c. 8. de consuet. definitur.

§. V.

PRINCIPIVM. V.

Legibus, & non exemplis est judicandum.

Sensus.

Hoc est, si aliquis aliorum facta advertit, non debet statim iudicare, quòd licitum sit eadem imitari, nisi prudenter iuditare possit, ea legi naturali vel positivæ conformia esse.

Authoritas.

Desumptum est ex le. nemo. C. de sent. & interlocut. Item ex le. sed licet 12. ff. de officio Præsid. illudque approbant communiter Doctores.

Ratio.

Quia, cùm Exempla & Facta varias ad bonitatem suam circumstantias requirant, facilè contingere potest, vt, quod ab aliquo in certis circumstantiis licitè fieri poterat, illicitum sit alteri ob aliarum circumstantiarum positionem.

Praxis.

Hic deducitur 1. Iudicem non debere attendere, quid Antecessores iudicaverint, sed quid legum æquitas hic & nunc requirat, uti in cit. le. nemo. dicitur.

Deducitur 2. Religiosum, si videat alios ex privilegio aliquid facientes, non hoc ipso arguere debere, id sibi quoque licitum esse, cùm Privilegia sæpè uni, & non alteri concedantur, vti docet communis Theologorum, & colligitur ex reg. Iuris 74. in 6. quæ dicit, non debere ab aliis trahi in exemplum, quod alicui gratiosè conceditur.

Deducitur 3. Hæredem non posse retinere bona ex Testamento relicta, si comperiat, esse aliena, etiamsi sciat ab ipso Testatore bona fide ut propria fuisse possessa, modò tempus ad præscriptionem requisitum non impleverit; uti communiter docent Theologi.

§. VI.

PRINCIPIVM. VI.

Ratio legis est anima legis.

Sensus.

Hoc est, sicut Anima est illa pars viventis, quæ animat, & totum vigorem tribuit viventi; ita ratio seu finis impellens ad legem ferendam est vnica causa, ob quàm lex vigere & obligare credatur.

Authoritas.

Desumptum est Can. consuet. dist. 1. & le. illud ff. ad le. Aquil. & communi Doctorum, teste. P. Gobat tr. 8. n. 841.

Ratio.

Quia lex debet esse honesta, & pro communi eorum, quibus datur, utilitate conscripta, ergo hæc utilitas tanquam finis impellens meritò dici debet anima legis, quo fine totaliter cessante, hoc ipso etiam lex ipsa obligare cessat, uti Laym. l. 1. tr. 4. c. 21. n. 3. cum Suar. Medina Navarr. & comm. aliorum docet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si legis finis in particulari duntaxat Homi-

Homine cesset, non ideo ejus obligationem desinere; sicut si anima cesset informare vnum membrum, non hoc ipso totum corpus informare desinit; vnde Layman l. c. ait, ad excusationem à legè non satis esse, si ratio legis in particulari cesset *negativè*, sed debere etiam *contrariè* cessare, videlicet propter impedimentum, vel moralem impossibilitatem servandæ legis.

Deducitur 2. Si lex plures in se partes continet, quarum una ab altera separari potest, tum cessante fine unius tantùm partis, perseverare eandem adhunc secundùm alteram partem uti teste Laym. l. c. sentiunt communiter Doctores, & colligunt ex reg. 36. in 6. ubi dicitur. utile non debere per inutile vitiari.

Deducitur 3. Legem in præsumptione fundatam cessare, si de veritate constet, uti iterum docent plerique Authores, & habetur expresè in argum. cap. super hoc. de renunc. ubi dicitur, præsumptionem veritati cedere; hinc non incurrit pœnam in arma Sarracenis subministrantes latam, qui certò scit, eos non usuros his instrumentis ad Christianos impugnandos, uti Laym. l. c. n. 4. cum Navarro docet.

§. VII.

PRINCIPIVM. VII.

Non urget Conscientiam lex humana, quando deterrent mala gravia.

Sensus.

Hoc est, quando lex aliqua ab Homine lata non potest observari sine gravi damno aut incommodo, qualia sunt amissio vitæ, Sanitatis, Famæ, magnæ partis bonorum, gravium verberum, hoc ipso cessat illius obligatio nisi aliquis ex contractu se obligaverit ad illam servandum; aut ex legis vel præcepti humani observatione notabiliter majus Reipublicæ commodum sperari, aut ex illius neglectu notabiliter gravius damnum timeri debeat; tunc enim lex humana etiam cum tanto periculo obligat, vti docent Medina & Vasquez p. 1. d. 161. c. 2. sic enim Dux Millti præcipit, ut cum periculo

periculo vitæ stationem servet; & Summus Pontifex Sacerdoti, ut cum similis periculo fidem Christi Paganis prædicet.

Authoritas.

Desumptum est ex mente Bonac. Suar. Vasq. Valent. Becan. Salas. D. Antonini apud Ferd. de castro p. 1. tr. 2. d. 2. pu. 13. nu. 9.

Ratio.

Quia Leges humanæ obligant tantùm humano modo; non autem est humanus modus obligare ad aliquid cum tanta difficultate servandum.

Hinc deducitur 1. Eum, qui est Ecclesiastica censura illigatus, non teneri abstinere à communione Fidelium, si sine periculo vitæ aut magnæ infamiæ abstinere non possit, uti Sanchez. l. 1. moral. c. 12. n. 8. Suarez l. 3. de leg. c. 30. n. 16. docent.

Deducitur 2. Si Tyrannus morte intenta cogat Sacerdotem sine vestibus Sacris, aliisque Ecclesiastico jure requisitis sacrificare, posse eum sacrificare, modò id non cedet in Religionis vel tremendi Sacrificii contemptum, ut cum Cajet. Medin. Suar. docent Laym. l. 1. tr. 4. c. 14. n. 10.

Deducitur 3. Carthusianum, si nullus alus cibus suppeteret ad vitam conservandam, posse comedere carnem non obstante lege, qua Carthusianis perpetua à carnibus abstinentia præscribitur, uti Vasquez. d. 162. c. 4. Laym. l. 1. n. 11. & alii contra Lessium. l. 4. c. 3. dub. 2. n. 12. docent.

§. VIII.

PRINCIPIVM VIII.

Cùm ponitur legis executio, non nocet omissa intentio.

Sensus.

Hoc est, quando aliqui ponit actionem à lege præscriptam, non censetur legis Transgressor, etiamsi non habeat intentionem per talem actionem satisfaciendi legi.

Authoritas.

Desumptum est ex sententia Azor. to. 1. l. 7. cap. 2. q. 2: Suar. Vasq. Valent. Henriq. apud & cum Ferd. de castro p. 1. tr. 3. d. 1. pu. 17. n. 8.

Ratio.

Quia impletio legis est executio rei præceptæ, ergò cùm in præsenti casu ponatur res præcepta rectè etiam dici videtur, ipsam legis impletionem positam esse.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui ignorat esse diem Festum, Satisfacere præcepto audiendi Missam, si voluntariè Missam audierit, uti Suar. Sanch. Bonac. d. 1. de leg. q. 1. pu. 10. n. 10. & alii docent.

Deducitur 2. Eum, qui vovit peregrinationem, Satisfacere suo voto, etiamsi sine intentione voti adimplendi peregrinationem peregerit, uti iidem cum Vasq. Laym. Azor. Lessio & aliis docent.

Deducitur 3. Etiam eum, qui die Festo audivit Missam cum intentione aliam audiendi, vel non satisfaciendi præcepto, adhuc tamen probabiliter satisfacere legi, uti iidem sentiunt.

§. IX.

PRINCIPIVM IX.

Lex Pœnalis non urget conscientiam donec proferat Iudex sententiam.

Sensus.

Hoc est, quando lex decernit pœnam, quæ in executione sui actionem Hominis requirit, non obligatur Reus ad pœnam talem executioni mandandam, donec ad eam per Iudicis sententiam damnetur.

Authoritas.

Desumptum est ex generali doctrina Theologorum teste Bonac. d. 1. de Leg. q. 1. pu. 7. §. 2. n. 8 & Suar. to. 1. de Relig. tr. 3. l. 4 de Simon. c. 43 n. 13.

Ratio.

Ratio.

Tum quia odia sunt restringenda, uti in lib. 6. decret. c. ult. reg. 15. dicitur; tum quia usu & consuetudine, quæ optima est legum Interpres receptum est, ut nullus se privet sua re ante Iudicis sententiam; tum quia alioqui leges nimis duræ viderentur; hinc Layman l. 1. tr. 4. c. 15, notat, etsi interdum in lege addatur, ipso jure vel facto incurri pœnam, tamen horum verborum benignam interpretationem faciendam, & sententiam Iudicis postea latam ob Iuris dispositionem idem operari, ac si tempore commissi criminis lata fuisset.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Beneficiatum posse retinere Beneficium, donec declaretur delictum, propter quod ipso facto privatus est tali beneficio, uti Azor. Sylv. Molin. Salas apud & cum Bonac. d. 1. q. 1. pu. 7. §. 2. n. 11. docent.

Deducitur 2. Eum, qui commisi delictum Hæresis, non obligari ad bona sua Fisco applicanda, donec Iudex sententiam ferat, uti idem Bonac. l. c. n. 20. docet.

Deducitur 3. Posse eum, qui ob delictum privandus est bonis, ea ante sententiam Iudicis perinde distrahere ac donare, sicut ante delictum patratum poterat, juxta eundem Bonac. l. c n. 14. & alios.

§. X.

PRINCIPIVM X.

Extra Territorium Ius dicenti impunè non paretur.

Sensus.

Hoc est, quando Superior aliquis in loco suæ Iurisdictioni non Subjecto aliquid præcipit, tum hoc ipso non obligat tale præceptum, atq; adeò sine metu culpæ & pœnæ negligitur.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. anim. 2. de Constitut. in 6. Item ex le. fin. ff. de Iurisd. illudque approbant communiter Doctores, teste Bonacina d. 1. q. 1. pu. 6. n. 59. ubi ait, à Salas ultra quinquaginta Authores pro eo citari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ratio.

Tùm quia, ſicut agentia naturalia, ita & Principes habent Sphoeram ſuæ activitatis; tum quia præcepta localia per ſe & directè reſpiciunt Territorium, eiſque ſunt affixa, adeoque non obligant niſi exiſtentes intra tale Territorium.

Praxis.

Hinc deducitur 1. pœnam ab Epiſcopo per Statutum decretam non incurri ab eo, qui extra Territorium tale ſtatutum violat, uti in cit. c. anim. ſtatuitur.

Deducitur 2. Peregrinum non obligari ad Feſta proprii domicilii ſervanda, ſi in loco, ubi moratur, non ſerventur, uti Suar. Sanch. Leſſius & plures alii apud & cum Bonac. l. c. n. 62. docent.

Deducitur 3. Eum, qui in die jejunii exit in locum, ubi non eſt præceptum jejunium, non peccare, etiamſi ibi carnes comendat, uti cum Leſſ. Salas. Suar. Sanch. & pluribus aliis docet idem Bonac. l. c. n. 64.

§. XI.

PRINCIPIVM. XI.

Vbi lex non diſtinguitur, neque nos diſtinguere debemus.

Senſus.

Hoc eſt, quando lex generaliter pro tota aliqua univerſitate rerum aut Perſonarum aliquid decerit, nullamque, inter res aut Perſonas diſtinctionem facit, neque nos diſtinguere, & tamen legem ad hos potiùs, quam alios caſus aut Perſonas extendere debemus.

Authoritas.

Deſumptum eſt ex communi Senſu Authorum, teſte P. Gobat p. 1. theſ. Indulg. n. 265. & colligitur ex ca. Quia circa. 22. de privil. item ex le de pretio 8. ff. de publiciana, illudque refere, & approbat Barboſ. axiom. 136. n. 4. aitque, illud locum habere, quando lex una indiſtinctè loquens per aliam

aliam legem aut circumſtantias ſappoſitas non limitatur.

Ratio.

Quia verba generalia generaliter accipienda ſunt, uti Barboſa axiom. 222. ex pluribus legibus probat, niſi aliud quid obſtet; ergo cùm verba indiſtincta ſint generalia, generaliter etiam accipienda erunt.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Epiſcopum remittentem alicui decimas Epiſcopales indefinitè, remiſiſſe videri non ſolùm præteritas, ſed etiam futuras, uti in cit. cap. quia circa definitur.

Deducitur 2. Omnes Homines baptizatos debere eſſe Pontifici ſubjectos, cùm Chriſtus S. Petro indefinitè duxerit: Paſce oves meas, Ita Innoc. III. Conſtantino Imperatori reſcripſit. uti in cap. ſolitæ. 6. de major. & obed. videre eſt.

Deducitur 3. Indulgentias quinque Sanctorum, & S. Caroli Borromæi poſſe applicari imaginibus, ac crucibus, ligneis, & papyraceis, & metallinis, quia in earum Bulla indiſtinctè dicitur, eas indulgentias tribui imaginibus & medaliis. Ita P. Gobat p. 2. theſ. Indulg. n. 365.

§. XII.

PRINCIPIVM. XII.

Conſuetudo eſt optima Interpres Legum.

Senſus.

Hoc eſt, quando non ſatis conſtat, an & quomodo lex aliqua in hoc vel illo loco recepta ſit, optimum eſt conſilium recurrere ad conſuetudinem, & attendere, quo modo Incolæ illius loci ſe obligatos hactenus putaverint ad legem talem ſervandam, & qua ratione illius Tranſgreſſores Puniri ſoleant.

Authoritas.

Deſumptum eſt ex cap. cùm dilectus. 8. de conſuet. Item ex le. minimè 23. de leg. & le. ſi de Interpret. 37. ff. eodem; illudque refert. & approbat Barboſa axiom. 56. n. 6. cum plurimis Authoribus ib. occ.

Ratio.

Quia, cùm Ipsæ Leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quòd judicio Populi receptæ sint, ut dicit Iulianus in le. de quibus 32. ff. de leg. meritò etiam eæ, quas sine ullo scripto Populus probavit, & quidem eatenus tantùm, quatenus probavit, obligabunt.

Praxis.

Hinc deducitur. 1. in Germania licere sine ullo scrupulo in quadragesima lacticiniis vesci, eò quòd lex jejunii in illa non sit aliter recepta, uti Laym. l. 4. tr. 8. c. 1. n. 5. & alii communiter docent.

Deducitur 2. Si alicubi receptum sit, ut Mulieres tempore luctus, vel etiam post partum domo non egrediantur, eas sufficienter a Sacro die Festo audiendo excusari, uti Silv. Cajet. Fill. apud & cum Busenbaum l. 3. tr. 3. c. 1. du. 5. resol. 6. sentiunt.

Deducitur 3. Verba cujuscunque dispositionis propriè intelligenda esse; & secundum usum communem loquendi, uti ex le. non aliter 3. ff. de legat. & le. 3. librorum ff. de leg. communiter colligunt Doctores. Hinc natum est aliud axioma, quo dicitur: *Vulgaris appellatio pro lege habetur*, ut ex Gonzales refert P. Gobat tr. 9. n. 708.

§. XIII.

PRINCIPIVM XIII.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, interpretatio est facienda.

Sensus.

Hoc est, quando aut legislator legem proponit, aut alius quispiam cum alio contractum init, & ambiguis aut obscuris verbis utitur, tunc ita explicanda sunt verba illa, ut potiùs in favorem illius, qui legem accipit, aut ambigua verba non posuit, cedat dispositio, modò Iura in speciali aliquo casu non obsistant (uti fit in lege inter stipulantem 83. §. 1. ff. de verb. oblig & le. de die 8. in principio ff qui satisdare cogitur) aut de valore actus non agatur.

Autho-

Authoritas.

Desumptum est ex le. 6. decret. cap. ult. reg. 57. Item ex le. 132. ff. de reg. Iuris, illudque referunt, & explicant Canis. Dynus & Decius item Barbos. axiom. 136. n. 5. & 6.

Ratio.

Quia in tali casu libertas illius, qui verba ambigua non protulit, est in possessione; alter verò sibi meritò imputat, quòd apertiùs mentem suam, cùm potuerit, non explicarit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. in contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem esse interpretandum, uti in ca. le. 172. ff. de reg. Iuris deciditur.

Deducitur 2. Contra eum, qui in probationibus dubio utitur sermone, interpretationem esse faciendam, uti ex cap. per tuas. 10. de probat. colligitur.

Deducitur 3. Eum, qui juraverit, plenam & meram in judicio veritatem dicere, non admitti ad expositionem verborum ambiguorum, quibus ad interrogata respondit sed contra ipsum ea explicari, uti in cap. cùm dilecti 18. de accusat. deciditur.

§. XIV.

PRINCIPIVM XIV.

Auxilium legis frustra invocat, qui committit in legem.

Sensus.

Hoc est, qui ex actu aliquo contra legem deliberatè perpetrato damnum aut injuriam passus est, non potest petere a Iudice, ut dicti damni reparationem à Damnificatore fieri decernat.

Authoritas.

Desumptum est ex Cap. quia frustra 14. de usuris. Item ex le. auxilium 37. §. in delictis ff. de minoribus; illudque refert, & approbat Barbosa axiom. 136. cum aliis.

Ratio.

Quia, cùm leges debeant sui executionem urgere atque

adeò punire Trasgressores, non est conveniens, ut patrocinentur iis, qui temerè contra eas agere sunt ausi.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Vsurarium repetentem usuras audiri non debere, nisi priùs receptas restituat, uti in cit. cap. Quia definitum est.

Deducitur 2. Clericum, qui ut Laicus incedit, & tertiò monitus non resipiscit, privilegium Clericale amittere, uti in cap. In Audientia 25. de Sent. excomm. deciditur.

Deducitur 3. Minorem in delictis atrocioribus non posse à Magistratu petere restitutionem in integrum, uti in cit. le. Auxilium habetur.

§. XV.

PRINCIPIVM XV.

Authoritas Majorum in illicitis excusat.

Sensus.

Hoc est, quando Actio aliqua non Iure Naturæ, sed positivo duntaxat prohibita est, non imputatur ad culpam, illi, qui imperio Legitimi Superioris dispensare in genere valentis illam peregit.

Authoritas.

Desumptum est Glossa super cap. dixit. 14. q. 5. item ex eadem Glossa super cap. Salonitatæ 23. dist. 63. illudque approbant communiter Authores.

Ratio.

Quia, cùm omnes rei, per quas causas nascitur, per easdem etiam dissolvatur, meritò etiam infertur, Legislatorem, sicut posuit prohibitionem certæ actionis, ita etiam eandem iterum tollere posse.

Praxi.

Hinc deducitur 1. Moysen & Israelitas à peccato Furti excusatos fuisse, eò quòd ex Mandato DEI Ægyptios spoliaverint, uti in cit. cap. dixit. habetur.

Deducitur 2. Etiam Discipulos, dum per Segetes transeuntes spicas evulserunt, & comederunt, fuisse excusatos. uti in

in cap. Discipulos 26. de Consecr. dist 5. dicitur, quia scilicet probabiliter imperio Christi id fecerunt.

Deducitur 3. Subditos posse Principi ad bellum vocanti obedire sine ulteriori inquisitione de Iustitia belli, modò nulla illis specialis ratio de Iniustitia repræsentetur: Ita Ferd. de Castro p. 1. tr. 1. du. 2. pu. 8. cum Suar. & aliis.

§. XVI.

PRINCIPIVM XVI.

Non omnium, quæ à Majoribus constituta sunt, ratio reddi potest.

Sensus.

Hoc est, multa sunt, quæ à Legislatoribus & Superioribus justè præcepta sunt ob rationes illis cognitas, quæ tamen nobis illas rationes ignorantibus, & proprium judicium sequentibus minùs congruè instituta videntur.

Authoritas.

Desumptum est ex le. Non omnium 20. ff. de leg. & ideo (inquit Lex sequens) rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri non oportet, alioquin multa ex his, quæ certa sunt, subvertuntur.

Ratio.

Quia, cùm varia sint Hominum ingenia & judicia, facilè poterunt Legislatores moveri à motivo aliquo ad Legem decernendum, quod alios latet, vnde sola voluntas; Legis justæ pro ratione habenda est, uti in §. Furtivæ. Instit. de usucap. deciditur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Non posse reddi rationem, cur in Vsucapione pro termino statuatur trienium, & non potiùs biennium aut quadriennium, uti Glosa in cit. le. Non omnium dicit.

Deducitur 2. Non posse à nobis facilè rationem reddi, cur Pontifices interdum Indulgentias, v. g. Quinque Sanctorum aut S. Caroli Borromæi, typis mandari vetuerin, uti P. Gobat p. 2. thes. Indul. c. 18. fatetur.

Deducitur 3. Aequè difficilè esse, rationem reddere, cur in le

in le. Si alieni 78. ff. de solut. alienæ pecuniæ per admixtionem transeant in admiscentis dominium ; frumentum autem & alia mixtilia per mixtionem non totaliter transeant in dominium miscentis , vti Lugo d. 6. de Iustit. num. 162. advertit.

§. XVIII.

PRINCIPIVM XVII.

Primum in unoquoque, genere est exemplar cæterorum.

Sensus.

Hoc est , quando in aliqua dispositione vel concessione dubitatur , quomodo sint facta , tunc si transcripta sint ab Originali Forma , aut certè ad similitudinem aliorum collata attendendum est , quomodo illa dispositio vel concessio , de qua dubitatur, in primo Instrumento vel Bulla velut omnium Exemplari habeatur , & juxta illius tenorem etiam posteriora sunt explicanda.

Authoritas.

Desumptum est ex communi sensu Authorum , vti supponere videtur P. Gobat p. 2. thes. Indulg. n. 303.

Ratio.

Quia hoc ipso , quòd posteriora Exemplaria sint tantùm quædam quasi imitatio primi Exemplaris , æquum est , vt ad normam illius etiam reliqua Exemplaria concessa aut facta esse intelligatur, nisi aliunde aliud constet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Quando Indulgentiæ conceduntur per modum Iubilæi , intelligendum hoc esse de Romano (hoc enim est Exemplar cæterorum) & non de alio extraordinario, uti P. Gobat l. c. docet.

Deducitur 2. Quando certæ alicui Religioni communicatio Privilegiorum conceditur , inspici debere Exemplar illorum, quibus primò concessum est privilegium , vt constare possit , quousque se extendat, & quomodo usurpandum sit hoc Privilegium , uti communiter docent Authores.

Dedu-

Deducitur 3. Etsi in aliquo Rescripto Pontificis non exprimatur hæc clausula: Si preces veritate nitantur : nihilominùs tamen super eam intelligi appositam , sicut in prioribus exemplaribus apposita fuit , uti in cap. Ex parte 2. & cap. Olim de Rescriptis dicitur.

§. XVIII.

PRINCIPIVM. XVIII.

Quæ sunt speciali nota digna , non censentur esse ablata , nisi expressè nominentur.

Sensus.

Hoc est , quando aliquæ Gratiæ vel Priuilegia specialia alicui sunt concessa, non censeri debent eidem ablata esse, donec in Bulla aliqua derogatoria expressa talium Gratiarum aut Privilegiorum fiat mentio.

Authoritas.

Desumptum est ex communi Doctorum sensu , ut testatur P. Gobat p. 2. thesaur. n. 261.

Ratio.

Quia per clausulam generalem non satis ostenditur , velle Pontificem aut Principem revocare hujusmodi Privilegia specialia & aliunde non præsumitur eos adimere velle favores speciales aliquibus concessos , nisi graves ad hoc faciendum causæ impellant , quas tamen non habuisse supponuntur, si specialem eorum privilegiorum mentionem non faciant.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Indulgentias plenarias pro articulo mortis ; & pro Defunctis non esse à Paulo V. in Constitutione anni 1606. edita revocatas , cùm illarum expressa mentio in Bulla illa non fiat. Ita P. Gobat p. 2. n. 548. cum Diana , Lezana & aliis.

Deducitur 2. Easdem Indulgentias neque per hanc Formulam (revocamus, annullamus , cassamus omnes & singulas Indulgentias, quibuscunque Ordinibus , ac Personis sæcularibus , aut Regularibus quovis, modo concessas, confirmarias ,

tas, aut innouatas) revocari, uti probabiliter docent Lezana, Novarius, Alphonsus Leo, Peirinus apud & cum P. Gobat p. 2. tr. 620. & seq.

Deducitur 3. Privilegia Religionibus quibusdam cum hac clausula (quoties literæ revocatoriæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutus, repositas, & plenariè integratas volumus) non censeri deberi sublata, nisi per hanc vel similem clausulam: Aliis derogatoriis, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis fortissimis decretis in contrarium etiam pluries concessis, confirmatis, approbatis, & irerum iteratis vicibus innovaris &c. qualis tamen clausula quia hactenus non apposita scitur in ulla Bulla, hinc Privilegia supradictarum Religionum nunquam revocata censeri debent, uti doctus quidam Recentior in manuscripto Tractatu de Legibus existimat.

§. XIX.

PRINCIPIVM. XIX.

Privilegium Personale adhæret personæ.

Sensus.

Hoc est, quando Privilegium aliquod tantùm intuitu Personæ datum est, tum quocunque Persona migrat, etaim Privilegium secum trahit; & si illa omnino moritur, etiam Privilegium perit.

Authoritas.

Desumptum est ex lib. 6. decret. c. fin. reg. 7. illudque explicant & defendunt Canisius & Dynus in tr. de reg. Iuris.

Ratio:

Quia cessante causa cessat effectus, ergo, cùm causa Privilegii hujus extiterit sola Persona, cui collatum est, rectè infertur, Privilegium tale Personam quocunque comitari, & cum illa etiam extingui.

Praxis.

Hinc Deducitur 1. Archiepiscopum non posse pallium suum Successori relinquere, uti in cap. Ad hoc 2. de Auth. & usu pallii definitur.

Deduci-

Deducitur 2. Potestatem delegatam à Pontifice acceptam cum ipsa morte delegati expirare, uti in cap. Mandata 6. de Præsumpt. habetur.

Deducitur 3. Si Clericus moriatur, Domesticos ipsius non gaudere immunitatis privilegio, ut ex le: Etiam 118. ff soluto Matrim. colligitur.

§. XX.

PRINCIPIVM XX.

Privilegium meretur amittere, qui permissa abutitur potestate.

Sensus.

Hoc est, qui Privilegio suo, aut alia potestate utitur in Casu in quo illi vel à concedente, vel à iure, vel ab ipsa ratione talis usus concessus non est, meretur, ut dictum privilegium & potestas ei penitus auferatur.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Contingit 45. de sent excomm. & ex cap. vt privileg. 24. de privileg. illudque refert, & approbat Barbosa axiom. 190. n. 8. cum multis aliis.

Ratio.

Quia, cùm Privilegiorum concessio ad utilitatem Privilegiati, & interdum etiam ipsius boni communis ordinetur, meritò cessante hac utilitate tanquam causa, ipsum etiam Privilegium velut effectus illius cessare dicitur. Vnde & in Iure civili ff. de Transact. le. penult. dicitur: Ex eo non debet aliquis fructum consequi, quod usus est impugnare.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Episcopum, qui alium invitum ordinaverit, ab Ordinationis potestate esse suspensum, vti in cap. Vbi dist. 74. deciditur.

Deducitur 2. Religiosos, si tempore Interdicti sæpius aperiant templum, quàm eis per privilegium concessum fuit, mereri, ut omnino illis adimatur, uti in cit. c. ad privil. habetur.

Deducitur 3. Eum, qui in ipsa Ecclesia comittit homi-

cidium

cidium, aut mutilationem membrorum, non gaudere immunitatis Privilegio, uti colligitur ex cap. fin. de immun. Eccl. & omnes Theologi tenent, teste Ferd. de Castro p. 2. unic. tr. 11. pu. 9. n. 7.

§ XXI.

PRINCIPIVM XXI.

Immunis est à censura, quisquis liber est à gravi culpa completa.

Sensus.

Hoc est, quicunque vel venialiter tantùm peccat, vel actum quidem motaliter peccaminosum, sed tamen exteriùs non completum producit, non censendus est incurrisse pœnam Excommunicationis, Suspensionis, aut Interdicti.

Authoritas.

Desumptum est tum ex mente Suar. Sanch. Henriq. Filliut. Soti & plurium aliorum apud & cum Dian. p. 3. tr. 6. res. 51. negantium Censuram incurri ab eo, qui venialiter duntaxat peccat; tum ex mente Vasq. Hurt. Valent. Sayri apud & cum eòdem Dian. p. 5. tr. 9. res. 48. negantium Censuras ob actum putè internum incurri.

Ratio.

Quia cùm Lex aut Statum pœnam censuræ decernens odiosa sit, strictam Interpretationem exigit, atque adeò de sola gravi culpa exterius completa intelligenda est.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui tantùm interius negat articulum Fidei, non subjacere Pœnis & Censuris in Hæreticos latis. Ita Ferd. de Castro p. 1. tr. 4. d. 4. pu. 1. n. 1. & alii communiter.

Deducitur 2. Illum, qui cogitavit alterum ad duellum provocare, imò etiam provocavit, modò non actu & cum solemnitate solita duellum committat, non incurrere excommunicationem latam in duellantes à Concilio Tridentino Sess. 25. c. 19.

Deducitur 3. Eum, qui vulnerat alium lethaliter, non incurrere

currere censuram, si mors non sequatur, eò quòd actus in suo genere completus non sit; uti Busenbaum l. 7. de Cens. c. 1. ex communi Doctorum sentit.

ARTICVLVS IV.

De Principiis generalibus ad peccata pertinentibus.

§. I.

PRINCIPIVM I.

Periculosè determinatur mortalis iniquitas, nisi habeatur expressa veritas.

Sensus.

Hoc est, nisi quis certus sit, à se vel ab alio commissum fuisse actum, qui cum plena advertentia contra Legem aliquam graviter obligantem sit commissus, non debet judicare, se mortale peccatum admisisse.

Authoritas.

Desumptum est ex Quodlibetico 9. q. 7. a. 15. S. Thomæ ita pronuncianti: Periculosè determinatur, aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur: sed & Gabriel in 4. dist. 15. n. 2. ait, Theologos non debere esse faciles ad asserendum aliquas actiones vel omissiones esse peccata mortalia, quia hoc est ponere laqueum pedibus ambulantium.

Ratio.

Quia tanta est peccati mortalis malitia, ut vigilem latere non possit, nec ut Richardus de S. Victore ait, committi queat sine gravi corruptione sui, sine gravi læsione Proximi, sine magno contemptu DEI. Sed & P. Iacobus Alvarez ait, consensum in tale peccatum tam impium esse, ut, si quis statim post factum dubitet, an deliberatè consenserit, vel facti statim pœniteat, probabiliter judicare possit, se non consensisse, cùm non soleat, animus à DEO aversus tam subitò ad DEVM convertit.

Praxis.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Scrupulosos non facilè credere debere, se peccasse mortaliter, nisi de tali commissione jurare possint uti Suar. Vasq. Gran. Axor. & Layman docent.

Deducitur 2. Non damnandum statim esse peccati mortalis, qui per majorem Sacri partem exercet actiones exteriores prorsus quidem impertinentes ad Missæ auditionem, attamen neque secudùm se, aut ratione scandali malas mortaliter, neque graviter distrahentes animum, uti P. Gobat tr. 5. n. 237. cum Suar. Dicast. Bassæo & aliis docet.

Deducitur 3. Nec illum facilè Laicum, peccati mortalis damnandum esse, qui res sacras, imò etiam ipsum Ciborium actu continens hostias sine temeritate tangeret; uti P. Gobat tr. 3. n. 327. cum aliis contra Filliut, & Suar. docet.

§. II.

PRINCIPIVM II.

Delicta suos tenet Authores.

Sensus.

Hoc est, peccatum, quod quisque per voluntatem propriam admisit, non debet alteri imputari, sive quoad substantiam actus; sive quoad effectum inde secutum; nisi specialis causa subsit, qualis reperitur in crimine læsæ Majestatis, ob quod nonnunquam & Filii puniuntur.

Authoritas.

Desumptum ex S. Scriptura Ezech. 18. ubi dicitur: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Filium non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filii.* Item ex lib. 6. decret. c. ult. re. 76 quæ dicit: Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. Item ex le. Sancimus 22. C. de pœnis, ubi dicitur: Sancimus ibi pœnam esse, ubi & noxia est. Et paulò post: peccata suos tenent Authores, nec ulteriùs progrediantur metu, quàm reperiatur delictum.

Ratio.

Quia ratio non patitur, ut alteri per alterum iniqua conditio

ditio inferatur, uti dicitur in le. Non debet alteri. 24. ff. de reg. Iuris; nec debet aliquis alterius odio prægravari, uti reg. 22. Iuris in 6. habet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eos, qui Ius eligendi in Compromissarium transtulerunt, non incurrere pœnas insignè eligentibus decretas, si ipse Conpromissarius indignam Personam culpabiliter elegerit; ita deciditur in cap. Si Compromissarius 37. §. Porro de elect. in 6.

Deducitur 2. Si Mandatarius sui mandati limites transgrediatur, non debere damnum ex tali transgressione secutum ipsi Mandanti adscribi, uti colligitur ex cap. 9. de Arbitris, & le, Cùm per Procuratorem. 9. C. Mandati.

Deducitur 3. Infantes sine Baptismo decedentes rectiùs cum communiori sententia dici nullam pœnam sensus pati, eò quòd hæc pœna solùm debeatur peccatis propria voluntate Commissis; aliter verò se res habet quoad pœnam damni seu amissionem gratiæ originalis & gloriæ æternæ; hæc enim gratia ac gloria cum Posteris Adami per se non fuerit debita, meritò quoque illis negari poterat ob alienum peccatum, quod per transfusam in Adamum voluntatem commiserunt.

§. III.

PRINCIPIVM III.

Pro ratione delicti erit & plagarum modus.

Sensus.

Hoc est, qualis fuerit culpa quoad ipsam malitiam, talis etiam erit pœna quoad intensionem, vel extensionem, ita tamen ut non Arithmetica, sed Geometrica proportio attendatur inter culpam & pœnam, cùm sæpe (saltem in hoc mundo) non possit arithmeticè proportionata pœna pro culpa imponi.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. 25. Deuter. Item ex cap. Felicis. de pœn. in 6. ubi dicitur: Iudex pœnam metiatur ex culpa.

Ratio.

Quia, cùm pœna duplici fine infligatur, scilicet tum ad satisfactionem præstandam, tum ad propriam delinquentis, &

& aliorum recipiscentiam ac Exemplum, meritò pro obtinendo hoc duplici fine non quæcunque, sed, quantùm fieri potest, proportionata culpæ pœna infligitur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Rectè à DEO pro peccato mortali pœnam æternam & intensivè maximam fuisse constitutam; quia alioqui nec digna satisfactio præstaretur; nec homines sufficienter abstererentur à peccato uti communiter docent Theologi.

Deducitur 2 Rectè quoque a S. Thoma & aliis doceri, minimam Purgatorii pœnam omnes hujus mundi pœnas & tormenta collectivè sumpta excedere, cùm, & culpa, quatenus DEVM offendit, gravior sit, quàm omnes culpæ collectivè sumptæ, quatenus præcisè considerantur ut sunt offensa Creaturæ.

Deducitur 3. Crimina læsæ Maiestatis etiam in humano Foro ac judicio rectè extraordinaria pœna, & cum exclusione Privilegiorum, quæ interdum peccatores ratione loci vel personæ participant, puniri; cùm hoc ipso, quòd digniorem longè personam offendant, etiam majorem malitiam contrahant, atque adeò & pœnam grauiorem mereantur.

§. IV.

PRINCIPIVM IV.

Peccatum, quod consensu contrahitur, sine consensu minimè relaxatur.

Sensus.

Hoc est, quando quis per peccatum propria voluntate commissum avertitur à DEO, dissolvendo amicitiam illius, æquum est, ut per detestationem quoque propria voluntate factam iterum redeat ad amicitiam DEI.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Majores. de Bapt. illudque refert P. Gobat tr 1. sect. 6. n. 230. & addit etiam à S. Thoma & aliis Theologis communiter doceri, saltem loquendo de ordinaria via; nam per absolutam potentiam posse peccatum per solam condonationem extrinsecam remitti, non pauci hodie Recentiores docent.

Quia

Ratio.

Quia sicut qui ab uno termino ad alium accessit, non potest ad antiquum terminum vel locum ordinaria via redire, nisi per contrarium motum; ita qui à DEO semel per peccatum recessit, non potest ad illum redire, nisi per affectum contrarium, scilicet detestationem peccati, & recessum ab illo.

Praxis.

Hinc deducitur 1. pro Sacramento Pœnitentiæ rectè Attritionem saltem velut primam & summè necessariam partem à Christo fuisse requisitam, uti communiter docent Authores.

Deducitur 2. Etiam in Baptismo Adultis conferendo rectè requiri à Theologis attritionem, cùm non conveniat, vt is, qui per Baptismum recipiendus est in amicum & Filium DEI, habitualiter adhuc maneat per peccatum non retractatum versus ab eo.

Deducitur 3. Etiam ad peccatorum venialium remissionem requiri similem detestationem; cùm planè & hæc proprio consensu sint commissa, atque adeò proprio consensu aboleri debeant; unde quamdiu manet vigens ad ea affectus, tamdiu nec culpa, nec pœna remittitur, ut communiter docent Theologi; & hinc fortè natum est illud axioma seu regula in cap. unic. de feris mat. in 6. & c. Legatur 24. q. 2. Peccati venia non datur nisi correcto.

§. V.

PRINCIPIVM V.

Potiùs oportet quælibet mala tolerare, quàm malo consentire.

Sensus.

Hoc est, quando actio quæpiam intrinsecè mala est, tunc priùs oportet omnia tormenta sustinere, omniumque bonorum ablationem pati, quàm ejusmodi actionem committere.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Augustino, & refertur in cap. 3. Ita, nè 32. q. Item ex S. Thoma. 2. 2. q. 110. a. 3. in Corp.

Ratio.

Quia ex duobus malis minus est eligendum; atqui haud dubiè incomparabiliter minus est malum tormentorum & amissionis bonorum temporalium, quàm malus animæ seu peccatum, utpote per quod æterna & ineffabilia tormenta incurrunt, & bona æterna ammituntur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Priùs mortem per mille tormenta obeundam esse, quàm fidem negandam, uti unanimiter docet Theologi, & innumeri Martyres suo exemplo confirmarunt.

Deducitur 2. Susannam Dan. 13. rectè dixisse ad Senes Adulteros: Meliùs est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.

Deducitut 3. Rectè quoque S. Augustinum s. 232. de ebriet. dixisse: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut diceretur tibi: aut bibas, aut morieris, meliùs erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.*

§. VI.

PRINCIPIVM VI.

Delicta morte finiuntur.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis ob delictum à se commissum ante mortem non fuit punitus in foro externo & humano, tum neq; post mortem debet ob idem delictum punire, nisi specialis aliqua ratio aliud suadeat, uti in delicto Hæresis contingit.

Authoritas.

Desumptum est ex ho. final. ff. ad le. Iul. Majest. & ex cap. Quorundam. dist. 23. ubi dicitur Divino judicio subjecti ab humano sunt exempti. uti P. Gobat. tr. 5. c. 50. n. 25.

Ratio.

Quia, cùm Iudices terreni non nisi in Subditos potestatem habeant, mortui autem post mortem cessent esse subditi, hoc ipso punire ob præterita delicta non possunt.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui post mortem comperitur varia furta aut homicidia in vita commisisse, non debere propterea in patibulo suspendi, aut rotæ implecti, uti communis praxis habet.

Deducitur 2. Eum, qui vivus justam causam dederat usuris suis, aut aliis criminibus, ut capitis pœnam sustineret non debere mortuum eandem pœnam sustinere, uti communiter sentiunt Doctores.

Deducitur 3. Eum, qui propter certa delicta in vita commissa infamis proclamari & habere meruit, non esse ut talem secuta morte ttactandam juxta eosdem Doctores.

ARTICVLVS V.

De Principiis generalibus ad virtutes Theologicas perinentibus.

§. I.

DE FIDEI PRINCIPIIS.

PRINCIPIVM I.

Non debet esse suspecta veritas, quam revelasse summa judicatur veracitas.

Sensus.

Hoc est; quando quis sufficientia habet motiva, ob quæ prudenter judicare possit, doctrinam aliquam vel propositionem à Deo esse revelatam, hoc ipso obligatur, ut nullum ampliùs de eo dubium admittat, sed, si quidem assentiri velit, vel debeat, firmissimum Fidei assensum eliciat.

Authoritas.

Desumptum est tum ex S. Scriptura, ubi Deus passim Spiritus veritatis. ps. 39. Deus verax ad Rom. 3. non mentiri ad Tit. 1. & Num. 23. dicitur; tum ex SS. Patrum & Theologorum unanimi consensu.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd Deus sit summa & essentialis veracitas, meritò locutio illius & revelatio infallibilis, verbum veritatis Eph. & Iac. 1. dicitur, atque adeò assensum quoque appretiativè summum & firmissimum meretur. Vnde S. Basilius in moral. reg. 8. c. 2. ait, Majorem authoritatem deberi verbis Domini, quàm ulli quantumvis certissimæ animi nostri expletioni.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Quidquid in S. Scriptura revelatum est, firmissimè credendum esse, cùm hanc esse verum verbum Dei, communi Ecclesiæ & Conciliorum definitione conclusũ sit.

Deducitur 2. Etiam Traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas simili assensu credendas esse; nam ut S. Epiphanius hæres 61. rectè aduertit, non omnia à divina Scriptura accipi possunt; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione per vocem Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus, sicut tradidi vobis: & alibi: Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesiis.

Deducitur 3. Ecclesiæ quoque & Conciliorum approbatorum definitiones pro articulis Fidei habendas esse, cùm Ecclesia sit Dei vivi columna, & firmamentum veritatis, teste S. Paulo 1. ad Tim. 3. idemque de Conciliis sit sentiendum, uti S. Leo 1. Epist. 78. ad Leonem Imp. his verbis clarè indicavit: *De rebus & apud Necæam. & apud Calcedonem (sicut Deo placuit) definitis nullum audemus inire tractatum tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit Authoritas.*

PRINCIPIVM II.

Sine Fide impossibile est placere Deo.

Sensus.

Hoc est, nisi quis Adultus firmissimè credat, Deum utpote rerum Supernaturalium Authorem existere, & Remuneratorem esse atque adeò malis supplicium æternum, bonis vitam & præmium æternum tribuere; nulla ratione salvari potest. Idemque sentiendum, si ea, quæ in Symbolo Apostolico continentur, aut ratione status quivis scire tenetur, post sufficientem propositionem, saltem quoad substantiam non credat.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura Hebr. 11. ubi Fides dicitur sperandarum Substantia rerum; additurque, quòd credere oporteat accedentem ad Deum, quia est, & quia inquirentibus se Remunerator est; unde hæc duo saltem objecta secundùm

cundùm communiorem Theologorum necessaria sunt necessitate medii; reliqua verò de necessitate præcepti necessaria esse, ex ipsius Christi testimonio colligitur Marc. 16. dicentis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Ratio.

Quia cùm duo sint officia Christianæ justitiæ, scilicet declinare à malo, & facere bonum, nemo hæc facilè impleret, nisi credere existere Deum tam malorum, quàm bonorum operum Remuneratorem & vindicem esse; sed neque officio Christiani commodè satisfacere potest, nisi ea, quæ in Christiani commodè satisfacere potest, nisi ea, quæ in Christiana lege velut primarii Articuli continentur, & ad statum suum requiruntur, firmissimè credat.

Praxis.

Hinc deducitur 1. juxta communiorem doctrinam non esse necessarium necessitate medii, ut Mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis explicitè credantur, cùm hæc necessitas neque ex rei natura, neque ex S. Scriptura, Patrum traditione sufficienter ostendi queat; & sine fundamento asseri non debeat, quòd Gentibus, imò & Christianis à nativitate surdis, mutis & cæcis per internam revelationem revelentur omnia quæ ad SS. Trinitatem, & Incarnationem spectant, scituque necessaria sunt, uti rectè Laym. l. 2. tr. 1. c. 8. cum communiori discurrit.

Deducitur 2. Negativum præceptum non dissentiendi, & non dubitandi de articulis Fidei sufficienter propositis, omni tempore, & respectu omnium articulorum esse necessarium, uti unanimiter docent Theologi.

Deducitur 3. Affirmativum præceptum non omni tempore, sed tunc tantùm obligare, quando post rationis usum obtentum primò articuli Fidei sufficienter proponuntur; aut ad tentationem vincendam; aut ad alios actus supernaturales virtutum, Spei caritatis, Religionis, Pœnitentiæ, &c. eliciendos Fides velut Fundamentum illorum est necessaria, uti iterum Laym. l. c. c. 10. cum communi docet.

PRINCIPIVM III.

Corde creditur ad Iustitiam, ore autem confessio fit ad Salutem.

Sensus.

Hoc est, ad hoc, ut quis Iustitiam Christianam ac gratiam obtinere possit, sufficit per se quidem, ut corde seu mente actus Fidei internus eliciatur; nonnunquam tamen ex præcepto Dei etiam externæ Fidei Professio sub gravi peccato facienda est, atque adeò, nisi fiat, salus obtineri non potest.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura ad Rom. 10. & communi Sensu Doctorum, imò & ex ipsius Christi testimonio Luc. 9. dicentis: *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius Hominis erubescet.*

Ratio.

Quia nisi fidem hanc, quando opus est, exterius confiteatur, vel hoc facit, quia etiam interius falsam credit, & tunc infidelis est; vel certè ficto duntaxat animo simulat se à vera Fide & Religione alienum, & tum mentitur in re gravissima, utpote contra veritatem divinitus revelatam, quemadmodum Laym. l.c.c.11. discurrit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Necessariam esse hanc externam Fidei professionem, quotiescunque vel Dei honor & cultus, vel Proximi utilitas, vel propria salus requirit, uti cum S. Thoma communiter docent Theologi, teste Laym. l. c.

Deducitur 2. si Magistratus aut Persona publica de Fide ac Religione examinet, non posse eam in tali casu negari aut dissimulari; quia talis negatio vel dissimulatio cum Religionis Christianæ detrimento, publicoque scandalo conjuncta foret.

Deducitur 3. Non licere ad dissimulandam fidem idolo genua flectere, aut alia signa directè ad profitendam falsam Religionem instituta adhibere; quia hac ratione formaliter fides propria negaretur; aliud est, si vestimenta duntaxat, quibus Gentes discerni solent, aliquis portaret; hoc enim

enim licitum esse ob gravem causam communiùs sentiunt Theologi, teste Layman, l.c.

§. II.

DE SPEI PRINCIPIIS.

PRINCIPIVM. I.

Spes, quæ videtur non est Spes.

Sensus.

Hoc est, si objectum jam præsens est (sic enim hic nomen Spei sumitur, scilicet pro ipsa re sperata) non potest actum Spei terminare, utpote quæ perinde, ut Fides, circa objecta non apparentia versatur, ut rectè notat Laym. l.2.tr.2.c.1.

Authoritas.

Desuptum ex S. Scriptura ad Rom. 8. ubi addit Apostolus, *nam quod videt quis, quid sperat? si autem, quod non videmus: speramus, per patientiam peramus.*

Ratio.

Quia spes tantùm accidentaliter & formaliter differt à desiderio efficaci, quatenus scilicet desiderium præcisè tendit, in bonum absens ut possibile; Spes verò in illud quà arduum tendit, atque adeò firmitatem quandam desiderio superaddit propter perspectam obtinendi facultatem; ergo cùm in bonum absens ferri debeat, & hoc nondum videatur, aut habeatur, meritò dicitur, spem, quæ videtur, non esse spem.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Spem evacuari in Patria, & in Beatis non esse, saltem secundùm actu ejus primarium, qui est exspectatio certa beatitudinis æternæ per media divinitus ordinata, qui enim jam possidet æternam beatitudinem, illam ampliùs non espectat, atque adeò nec sperat, vt S. Thomas 2.2. q. 18.a.2. Quamvis valde probabiliter dicatur, habitum Spei in altera vita saltem quoad substantiam manere, & quosdam actus exercere posse, videlicet desiderium & exspectationem corporis glorioſi, ut Suar. de virt. Theol. tr. 2.a.1.s.8. & Ferd. de Castro Palao p.1.tr.5.disp.unic.pu.3.n.1. docent.

Dedu-

Deducitur 2. Animas in Purgatorio existentes actum Spei propriissimum elicere posse, quia illis beatitudo est absens, possibilis,& difficilis acquisitu. Et licet de illa consequenda certæ sint, certitudo tamen ista non tollit spem, sed tantùm anxietatem & turbationem, uti iterum S. Thomas 2. 2. q. 18. a. 3. in fine corp. & cum eo Suar. ConinK. & alii docent.

Deducitur 3. Eum, cui sua reprobatio à Deo revelata esset, licitè juxta comuniorem sententiam desperare posse, eo quòd in tali casu hoc ipso, quòd beatitudo ut bonum impossibile repræsentaretur, spes in illud cum auxilio Dei acquirendum tendere ampliùs non posset. Hinc B. Zeno S. de fide, & spe, &c. ait: *Tolle spem, & artes, virtutesque universæ cessabunt. Tolle spem, & interempta sunt omnia.*

PRINCIPIVM II.

Spes non confundit.

Sensus.

Hoc est, sperantem non fallit, nec frustratur, sed eum certò ad assecutionem rei à Deo speratæ perducit, si legitimè sit concepta, uti Maldonatus interpretatur.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura ad Rom. 5. & communi SS. Patrum sensu, inter quos S. Hieronymus, nemo, ait, in promissis veritatis dubiter; sit homo, qui esse debet, & mox ei addentur omnia, propter quem facta sunt omnia.

Ratio.

Quia sic & Fides persuadet, qua verbo Dei, qui veritatem hanc revelavit, credimus: tum Spes in Fidelitate Dei confidens: tum caritas, qua Deus diligitur, & viciſſim diligere meritò creditur, atque adeò omnia ad salutem necessaria media suppeditare. Quæ omnia breviter complexus S. Bernardus S. 3. de 7. panib. *tria*, inquit, *considero, in quibus tota spes mea consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis.*

Praxis.

Hinc deducitur 1. Absolutum hoc judicium; *Certa & infal-*

infallibili fide credo, me vitam æternam consecuturum: non esse actum Fidei aut Spei Theologiæ, sed falsam Hæreticorum persuasionem, in qua inanis præsumptio fundatur, ut rectè notat Laym. l. c. quia nemo sine revelatione certus est, se esse in gratia Dei, legis mandata observare, & nullo etiam occulto peccato mortali teneri juxta Eccl. 9. Hinc certitudo spei, sive infallibilis exspectatio, beatitudinis non potest esse absoluta.

Deducitur 2. Desperationem meritò inter gravissima peccata numerari, quia Deum credit, aut non esse omnipotentem, ut possit: nec infinite sapientem, ut sciat; aut certè non summè bonum & fidelem, ut velit promissis stare, & juvare.

Deducitur 3. Etsi Deus non semper largiatur id, quod petitur, non tamen propterea dici posse, quòd spes confundat, cùm, ut SS. Patres sapienter advertent, sæpe Deus non exaudiat ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Et, teste S. Bernardo, post orationem debito modo peractam unum indubitanter sperare possimus, aut id scilicet, quod petimus, aut id, quod melius est.

§. III.
DE CARITATIS PRINCIPIIS.

PRINCIPIVM I.

Non inest operationi Bonitas, cui deest meriti radix Caritas.

Sensus.

Hoc est, nisi actus aliquis de se non positivè malus procedat à Caritatis divinæ habitu, vel nudè in subjecto existente, ut sufficere putat Vasquez à Laymanno cit. l. 2. tr. 3. c. 1. vel saltem actum talem eliciente aut imperante, ut S. Thomas & alli communius cum eodem Laym. arbitrantur, non erit meritorius gratiæ in hac vita, & gloriæ in altera.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura 1. Cor. 13. ubi dicit Apostolus; Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Item ex S. Thom. 1. 2. q. 114. a. 4. & 2. 2. q. 23. a. 8. & communi Theo-

logo-

logorum doctrina docente, caritatem esse formam reliquarum virtutum.

Ratio.

Quia, ut S. Thomas argumentatur, Sapientissimus Deus ita ordinavit, ut finem vitæ æternæ, quæ in comprehensione ac fruitione summi boni consistit, homo viator non mereatur, nisi per actum liberæ voluntatis proportionatum, videlicet quo feratur in ultimum finem, summùmque bonum per modum unionis & amicitiæ; atqui iste motus proprius est caritatis, ergò. Non desunt tamen, qui cum Valentia, Medina, & aliis doceant, sufficere, si per primum & unicum actum caritatis, homo in Deum tanquam ultimum supernaturalem finem, & summum bonum suum referat, ad vim meriti tribuendam.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Nullum actum ex natura sua malum, meritorium esse posse, uti unanimiter docent Theologi, cùm talis actus ordinari non possit ad ultimum finem, sed potiùs abducat ab illo.

Deducitur 2. Neque actum de se bonum, si in gratia non fiat, meritorium esse vitæ æternæ; cùm his, qui non diligit, maneat in morte, uti S. Ioannes 1. c. 3. testatur, atque adeò opera quoque ipsius mortua esse necesse sit.

Deducitur 3. Opera de se bona, etiamsi peccati venialis malitiam adjunctam habeant, adhuc à caritate imperari, atque adeò meritoria esse posse, eò quòd peccata venialia licet minuant aliquò modo caritatem, non tamen omnino tollant.

PRINCIPIVM II.

Qui non diligit, manet in morte.

Sensus.

Hoc est, qui vel aliquid agit, quod dilectioni & amicitiæ Dei contrarium est, vel certè non elicit actum Dilectionis divinæ, quando ad id præcepto adstringitur, manet in morte, id est, aut non acquirit gratiam, si nunquam habuit; aut certè perdit, si eam priùs habuit.

Autho-

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura 1. Ioann. c. 3. & ex communi sensu Theolorum.

Ratio.

Quia cùm Deus sit summum bonum, & ultimus finis supernaturalis, æquum est, ut numquam odio habeatur ab Homine, sed, cùm in hac vita continuò dilectionis actus exercere non possit, saltem certis temporibus eiusmodi actum, quando à Deo exigitur, exerceat.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Præceptum dilectionis Deut. 6. propositum, quo Deus dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis*: non esse impossibiles, cùm S. Ioanne teste 1. Ep. c. 5. Hæc sit caritas Dei, vt mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sint.

Deducitur 2. Iuxta probabilem Laymani l. c. c. 2. & aliorum sententiam probabile esse obligari hominem, ut post obtentum rationis usum, & ultimum finem supernaturalem propositum non diu differat, dilectionis divinæ actum elicere, eò quòd, ut S. Thomas ait, præceptum de Deo diligendo prærequiratur tanquam primum principium ad seruandas leges naturæ in Decalogo contentas, atque adeò meritò homo non diu morari debeat, quin hoc principium ponat.

Deducitur 3. Etiam tunc probabiliter ad actum dilectionis exercendum hominem obligari, quando periculum illi imminet, ne alioqui in odium Dei labatur, aut à tentatione superetur. Item quando ob Confessarii defectum ad actum contritionis eliciendum obligatur.

PRINCIPIVM III.

Caritas incipit à seipso.

Sensus.

Hoc est, qui seipsum ordinatè cupit diligere, debet sibi ipsi prius consulere, & providere, quàm alteri, si non possit utrique simul providere, nisi damnum illud, quod patitur alteri potiùs, quàm sibi providendo, commodo longè majore compensetur.

Autho-

Authoritas.

Desumptum est ex Glossa supra cap. nisi specialis. 3. de author. & usu pallii. Item super cap. licet. 3. de supplenda negligentia Prælat. illudque defendit Barbosa axiom. 42. cum plurimis aliis.

Ratio.

Quia, quò quisque conjunctior est alicui, tantò arctiori vinculo obligatur ad illi subveniendum; constat autem, neminem alicui magis conjunctum esse, quàm sibi juxta commune adagium, quo dicitur: *Proximus quisque sibi;* ergò ordinata caritas dictat sibi ante omnes consulendum, id quod Christus ipse Marc. 8. indicavit, dùm dixit: *Quid proderit Homini, si totum mundum lucretur, & detrimentum animæ suæ faciat?*

Praxis.

Hinc deducitur 1. Quemlibet obligatum esse, sibi potiùs gratiam & gloriam velle, quàm reliquis omnibus, hominibus; quia norma & regula diligendi Proximum est amor sui ipsius juxta illud Christi Matt. 22. Diliges Proximum tuum sicut teipsum; atque adeò meritò dilectio sui ipsius præferenda est, uti S. Thoma 2. 2. q. 26. a. 4. & cum eò *Suar.* Valent. ConincK & alii docent.

Deducitur 2. Non posse aliquem in communi periculo vitam suam alienæ postponere, si sit in peccato mortali constitutus, & jacturam vitæ æternæ timeat, uti iterum conveniunt Theologi.

Deducitur 3. Non esse contra ordinatam caritatem, si quis nullius peccati gravioris sibi conscius, pro altero mortem obeat; aut sua omnia opera satisfactoria pro animabus Purgatorii offerat, quia damnum, quod inde patitur, aliunde compensatur, scilicet per gloriam majorem, quam in altera vita propter ejusmodi caritatem acquirit.

PRINCIPIVM. IV.

Diliges Proximum tuum, sicut te ipsum.

Sensus.

Hoc est, si vis mandatum caritatis de diligendo Proximo implere eum perinde ut teipsum considera, atque adeò, quidquid tibi vis, aut non vis fieri illud & tu facito, vel non facito illi, nam, ut S. Prosper l. 3. de vit. contempl. rectè dixit, hæc est caritas proximi, ut bonum, quod tibi conferri vis, velis & Proximo: & malum, quod tibi nolis accidere, nolis & Proximo.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura Lev. 19. Item Eccl. 31. ubi dicitur: *Intellige, quæ sunt Proximi tui ex teipso.* Super quæ verba eleganter Ludovicus granat. in tit. Amor prox. sic loquitur: Nihil brevius, nihil utilius dici potuit; quidquid sive acerbum, sive lætum, sive triste aliis evenerit, ad te transfer, & te Proximi tui loco constitue; tunc enim illius prosperitatem & miseriam velut tuam duces.

Ratio.

Quia, cùm Proximus noster sit imago Dei & membrum ejusdem corporis, scilicet Ecclesiæ, meritò eadem, qua Deum & nos diligimus, caritate diligendus est, uti sat clarè S. Ioannes 1. c. 4. indicavit, dum dixit: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & Fratrem suum odit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt; Deum, non videt, quomodo diligere potest?*

Praxis.

Hinc deducitur 1. ante omnia cooperandum esse, ubi fieri potest ad salutem Spiritualem Proximi, nam, ut rectè S. Augustinus t. 1. de mor. Ecc. advertit, non diligis Proximum tuum, sicut teipsum, si non ad bonum, quò ipse tendis, adducis.

Deducitur 2. Quemvis obligari ad bona sua Proximo in gravi necessitate constituto communicanda; nam, S. Gregorius rectè dixit in hom. quadam, minùs Proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate, illius etiam ea, quę sibi necessaria sunt, partitur; intellige, si non æqualis utriusque sit necessitas.

Deducitur 3. Iniminicis facilè condonandam esse offensam, qua offenderunt, cùm idem quisque sibi etiam fieri velit, & ideo Christus in oratione Dominica orare nos voluerit: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

AR-

ARTICVLVS VI.

De Principiis ad Iustitiæ virtutem pertinentibus.

§. I.

DE PRINCIPIIS IVSTITIAE IN GENERE.

PRINCIPIVM. I.

Cuique jus suum tribuendum.

Sensus.

Hoc est, nemo prohibendus est, quò minùs fruatur potestate directa, quam habet ad aliquid faciendum, possidendum, vel acquirendum ratione æqualitatis servandæ vel efficiendæ inter se & alios.

Authoritas.

Desumptum est ex Vlpiano in le. 10. ff. de Iust. & Iure. ubi definit Iustitiam, aitque esse constantem & perpetuam voluntatem cuique jus suum tribuendi. Item ex S. Thoma q. 85. a. 1. & Arist. 5. Eth. c. 2. ac communi sensu Theologorum.

Ratio.

Quia nihil æquiùs est, quàm ut id, quod vel à Natura, vel Legibus, vel communi conventione alicui attributum est, quietè ac pacificè possidere permittatur; alioqui enim omnia susque deq; in Republica & communitate verterentur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Neminem licitè posse per Phyltrum aut aliud quodcunque medium rationis usu privari; quia nullum Homini majus ac præstantius Ius competit, quàm in proprias suas actiones.

Deducitur 2. Nec Famam etiam & Honorem alterius licitè auferri posse; cùm & hæc duo bona proximum post rationem, aliaque Spiritualia Hominis bona locum habeant juxta notum illud: *Omnia si perdas, famam servare memento.*

Dedu-

Deducitur 3. Nec in corporis quoque ac membrorum, aut exteriorum bonorum usu Hominem impediendum esse; cùm & horum Dominium legitimè ipsi competat juxta Naturæ, legum, aut Pactorum constitutionem.

PRINCIPIVM. II.

Iure suo utens nemini facit injuriam.

Sensus.

Hoc est, qui facit id, ad quod legitimam potestatem, vel Dominium accepit, nemini occasionem præbet de injuria illata conquerendi etiamsi per accidens illi damnum ex alterius actione sequatur.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Eccles. de Elect. & communi sensu Theologorum

Ratio.

Quia cùm injuria dicatur id. quod non jure fit, uti habetur in princip. tit. Iustit. de injuriis, hoc ipso, quòd quis jure suo uti supponatur, alteri injuriam feciſſe, dici non potest.

Praxis.

Hinc deducitut 1. Si Canonici jus habeant alios Canonicos sine consensu Episcopi eligendi, Episcopum de injuria conqueri non posse, si consensum illius non requirant, uti in cit. cap. 31. cùm Eccles. de Elect. deciditur.

Deducitur 2. Si Clerici Capitulares jus obtinuerit vinum aut Cerevisiam vendendi, non posse Caupones aut Praxatores de injuria illata queri, licet ex lucro eorum imminuto damnum aliquod illis sequatur, quia ad injuriam non est referendum, quod quisque jure suo sibi consulat, uti in le. injuriam §. 1. ff. de injur. dicitur.

Deducitur 3. Si uxor habens paraphernalium bonorum administrationem, & usufructum dissipet ea inscio, invitoque Marito, nullam huic injuriam fieri, uti communiter docent Authores.

PRINCIPIVM III.

Scienti, & consentienti non fit injuria.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis potest cedere juri suo, & in aliquo casu agnoscit contra jus suum agi, nec tamen resistit, cùm facilè possit, aut etiam expressè consentit, non potest conqueri de injuria sibi illata, nisi leges in speciali aliquo casu aliud statuant.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. Decret. c. ult. reg. 27. eique simile principium est, quod in l. 145. ff. de reg. Iuris habetur, quo dicitur? Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt. Illudque defendunt S. Thomas. 2. 2. q. 59. a. 3. & plures alii apud & cum Barbos. axiom. 126.

Ratio.

Quia qui dicto modo consentit, videtur Ius suum aut omnino abjicere, aut certè in alium transferre, ergo ob defectum Iuris non potest injuriam pati.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Virginem, si sponte consentiat in defloration em, non posse à Defloratore ullam restitutionem petere, uti communiter docent Theologi, teste Busenb. l. 3. tr. 5. cap. 2. art. 4. re. 2.

Deducitur 2. Vxorem non posse de injuria expostulare, si Maritus, quem illa sciverat vagum esse, in remotissima loca secedat, quia hoc ipso, quòd illi nupserit, censetur in tale onus consensisse. Ita Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 2. n. 3.

Deducitur 3. Eum, qui scivit, alium effodere thesaurum in agro ipsius, & non prohibuit, cùm facilè posset, non posse conqueri de injuria, si Inventor totum sibi thesaurum retineat, uti Lugo de justit. d. 6. n. 114. & multi alii apud Dian. p. 9. tr. 5. re. 3. sentiunt.

PRIN-

PRINCIPIVM IV.

Iuri suo renuntiare præsumitur, qui juri suo contrarium facit.

Sensus.

Hoc est, qui actum aliquem cum Iure, quod priùs habuit, aut habere poterat, incompossibilem facit, hoc ipso Iuri suo renunciare præsumitur.

Authoritas.

Desumptum est ex capit. in audientia 25. de sent. excomm. Item ex Glossa super ca. gratum. 20. de offic. deleg. Item ex le. Si Filius 30. ff. de Minor.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd sciverit, unum actum cum altero incompossibilem esse, censetur ponendo actum contrarium, causam acquisiti aut acquirendi Iuris destructivam ponere, atque adeò juri suo renunciare voluisse.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui acceptat secundum beneficium incompossibile cum priori, huic renuntialse censeri, uti Vallensis tit. 9. n. 2. ex cap. multa 28. de præb. colligit.

Deducitur 2. Clericum, qui uxorem duxit & vestes Clericales deposuit, hoc ipso privilegio Canonis renuntiasse, ut in cap. unic. de Cleric. Conjug. in 6. deciditur.

Deducitur 3. Eum, qui appellatione interposita ad producendos Testes inducias postulavit, & demum productioni & allegationi renuncians, attestationes petiit solemniter promulgari, etiam ab appellationis jure recessisse videri, uti in cap. gratum c. definitur.

PRINCIPIVM V.

Vim vi repellere licet.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis violenter alium, aut bona illius invadit, potest se, aut bona sua cum moderamine inculpatæ tutelæ defendere.

Authoritas.

Desumptum est ex capit. Si verò. 2. de Sentent. Excomm. & communi Theologorum consensu.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd is, qui vim patitur, bona sua legitimè possideat, potest ea contra quemcunque injustum invasorem defendere, atque adeò si aliud medium non suppetat, vim vi repellere.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui scit, alium per falsam accusationem mortem ipsi machinari, posse licitè ipsum occidere, uti, teste Lugone d. 10. de just. n. 137. communiter docent Authores.

Deducitur 2. Licitum pariter esse opes magni momenti cum occisione alterius tueri, uti Tann. d. 4. q. 8. n. 82. Less. Vasq. Malderus & alii apud & cum Lug. d. 10. n. 181. docent.

Deducitur 3. Posse aliquem, qui bello injusto ab alio lacessitur, licitè bellum contra Invasorem suscipere, seque ac regionem suam tueri, uti omnes Authores fatentur, ipsaque praxis probat.

§. II.

De Principiis ad Dominium pertinentibus.

PRINCIPIVM I.

In necessitate extrema omnia sunt communia.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis non potest mortem aliter evadere, nisi aliena bona usurpet, potest ea sine alterius injuria assumere ad vitam suam defendendam.

Authoritas.

Desumptum est ex communi sensu Doctorum, uti videre est apud Laym. l. 3. tr. 1. c. 5. n. 5.

Ratio.

Quia divisio Gentium aliter fieri non potuit, nisi excluso hoc casu, cùm nemo juri ad vitam suam renunciasse credatur, atque

atque adeò nec jus ad ea, quæ ad vitam suam conservandam sunt necessaria, deponere voluisse.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum à peccato Furti excusari, qui in extrema necessitate constitutus panem Pistori ex domo aufert, uti omnes concedunt.

Deducitur 2. Milites à rapina excusari, si negato victu necessario, violenter aliis, quantùm necesse est, cibaria eripiant.

Deducitur 3. Eum, qui violenter ab alio invaditur, posse gladium cuipiam auferre ad seipsum defendendum.

PRINCIPIVM II.

Quod divini juris est, in nullius bonis est.

Sensus.

Res Sacræ, quæ per Pontifices DEO specialiter consecratæ sunt, ut sacræ ædes, vestes, vasa, propriè in nullius Hominis Dominio constitutæ dicuntur, sed ad DEVM pertinere creduntur.

Authoritas.

Desumptum est ex §. Nullius. Instit. de rerum divisione, & approbatur à Laym. l. 3. tr. 1. c. 5.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd DEO per consecrationem oblatæ sint, extra Dominium & Iurisdictionem humanam extractæ censentur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Ejusmodi res sacras ad profanum usum adhiberi non posse, uti communiter docent Authores.

Deducitur 2. Nec alienari ejusmodi res sacras posse, nisi pauperum necessitas, vel captivorum redemptio, vel alia justa causa id exigat, uti in cap. Nulli de rebus Eccl. non alienandis habetur

Deducitur 3. Ejusmodi res sacras nec in Feudum, Emphyteusin, locationem ad longum tempus, pignus hypothecam tradi posse, cùm alienationis nomen in favorem Ecclesiæ latiùs accipi, atque adeò ad hos etiam contractus extendi debeat, uti, Laym. l. 3. tr. 10. non detestatur.

PRINCIPIVM II.

Quod antea nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.

Sensus.

Hoc est, quando aliquid sub certo cujusquam Dominio constitutum non est, illius Dominium acquirit, qui illud apprehendendo possidere incipit.

Authoritas.

Desumptum est ex ff. Feræ. Instit. de rerum divisione. & refertur a Laym. tr. 1. c. 5. n. 6.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd bonum ejusmodi commune fuerat, poterat à quovis contrectari, & in propriam utilitatem converti. Dominium verò illius acquri etiam expediebat ad lites finiendas, quæ orirentur, si quisque rem communem ab alio occupatam eidem iterum pro libitu auferre posset.

Praxis.

Hinc deducitur 1 Pisces, volucres, & feras, quæ in locis nullius Domini certi Dominio subjectis capiuntur, jure Gentium ad capientem pertinere, uti Laym. l. c. ex communi docet.

Deducitur 2. Etiam bona derelicta, quæ Dominus ea mente abjecit, ut in numero rerum suarum esse nolit, ad primò occupantem pertinere, uti ex ff. Hoc ampliùs. Instit. de rerum divis. colligitur.

Deducitur 3. Res inventas, quarum Dominus nullus extitit, aut ignoratur, & cognosci non potest, ad Inventorem pertinere juxta probabilem sententiam, cùm neque jure naturali, neque Ecclesiastico videantur Inventores obligari ad tales res Pauperibus tribuendas, ut multi cum S. Thoma voluerunt, teste Laym. n. 24.

PRINCIPIVM VI.

Traditionibus & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.

Sensus.

Hoc est, ad hoc, ut aliquis perfectum alicujus rei Dominium acquirat, non sufficit; ut Titulum solum, vel solam traditionem alicujus rei habeat, sed utrumque requiritur, nisi aliud in jure statuatur.

Authoritas.

Desumptum est ex le. 20. Cod. de pactis. Item ex le. 31. ff. de acquirendo dominio, ubi dicitur, etiam traditionem solam non sufficere.

Ratio.

Quia per Titulum solum sine traditione acquiritur ordinariè solùm actio Personalis adversus Possessorem, non autem realis, nisi aliud Leges decernant, sicuti faciunt in beneficiis Ecclesiasticis, adita hæreditate, donationibus, quæ fiunt Ecclesiis, & aliis piis locis, & aliis nonnullis casibus, quos videre est apud Laym. l. 3. tr. 1. c. 5. n. 8.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si uni res aliqua sit vendita, & alteri posteriùs simul vendita & tradita hunc posteriorem Dominium rei acquirere, uti expressè in le. Quotiens. Cod. de re. vindic. insinuatur.

Deducitur 2. Si Personæ alicui particulari res aliqua donetur, & postea alteri donetur, & tradatur, donum hoc ad istam, & non ad priorem Personam pertinere, uti Glossa Baldi sup. leg. Quotiens cit. resolvit his verbis: Ille est potior in Dominio, cui res priùs traditur, licet alius in Titulo prævenerit.

Deducitur 3. Si domus alicui nuda conventione, alteri verò etiam cum traditione locata sit, non posse hunc posteriorem à priore de sua possessione deturbari.

PRINCIPIVM V.

Nemo potest plùs Iuris transferre in alium quàm sibi competere dignoscatur.

Sensus.

Hoc est, nemo potest alicui ampliorem de re aliqua disponendi facultatem concedere, quàm ipse priùs habuerit.

Authoritas.

Desumptum est ex le: 6. decret. c. ult. reg. 79. Item ex reg. 58. ff. reg. Iuris, illudque explicant, & defendunt Decius, Dynus, Canisius, & Barb. axiom. 135. & 160.

Ratio.

Quia nemo dat, quod non habet, ut in cap. Quod autem, 5. de Iure Patronatus dicitur, ergo nec plùs dare potest, quàm habeat.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si aliqua terra data alicui fuerit in Feudum, vel Hæreditatem, sed tantùm, quoad vixerit, possidenda, non posse eum in uxorem transferre hoc Ius per modum Vsusfructum post mortem ejus continuandum, uti in cap. Nuper. 6. de donat. Inter vir. & uxor. definitur.

Deducitur. 2. Non posse Confessarium delegare alteri potestatem absolvendi à reservatis casibus, à quibus ipse absolvere non potest, uti unanimiter docent Theologi.

Deducitur 3. Eum, qui alteri vendit prædium variis servitutibus gravatum, non posse illum à servitutibus talibus liberare uti ex le. Traditio. 20. ff. de acquir. rer. domin. dicitur.

PRINCIPIVM VI.

Qui prior est tempore, potior est jure.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis acquisivit jus ad rem aliquam, tum in possessione Iuris talis præfertur omnibus, qui simile Ius ad eandem rem post ipsum acquisivisse videntur, nisi aliud jura statuant.

Autho-

Authoritas.

Desumptum ex l. 6. decret. c. fin. reg. 54. & ex le. 98 ff. de reg. Iuris, ubi dicitur: Quoties in utriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit: illudque explicant Canisius, Dynus & Decius in cc. ll.

Ratio.

Quia, uti in le. Non debet. 74. ff. de reg. jur. dicitur, non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, ergo nec Ius illi, qui prior illud obtinuit, invito auferri.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, cui priùs beneficium collatum est, in possessione præferri posteriori, uti in cap. ei, cui. 7. & c. Si tibi absenti. 17. de præb. in 6. definitur, modò posterior non à Sede Apostolica, prior verò ab alio in aliquam Ecclesiam sit receptus; in hoc enim casu posterior præferri debet, uti in cap. Hi, qui. de præb. in 6. habetur.

Deducitur 2. Eum, qui prior aliquam hypothecam accepit, præferendum esse illi, qui eam posterius obtinuit, uti ex le. Qui prior. 11. ff. Qui potiores in pignore colligitur.

Deducitur 3. Eum, qui priùs sponsalia contraxit, posse petere Sponsam præ eo; cui post fidem priori datam illa se desponsavit, uti in cap. Duobus. 1. & cap. Tuas. 5. de Sponsa duorum definitur.

PRINCIPIVM. VII.

Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit

Sensus.

Hoc est, qui scit, se rem alienam possidere, aut certè dubitat, num sit sua; etiamsi tanto tempore, quantum ad præscriptionem requiritur, eam possideat, hæc tamen possessio illi minimè conducet ad privilegium præscriptionis obtinendum, nisi in aliquo casu specialiter id Iura concedant, vti inc. 1. de præscript. permittitur Episcopo loci à se conversi ad Catholicam vnitatem; item in Cap. Cùm secundùm. 19. de hæret. in 6. præscriptio earum rerum, quæ ob non solutum vectigal in commissum ceciderunt.

Autho-

Authoritas.

Desumptum est ex l.6.decr.c.fin.reg.2.Item ex c.5. 17. & 19. ac ultimo de præscript. illudque defendunt & explicant Canisius ac Dynus.

Ratio.

Quia non est æquum, ut aliquis ex suo delicto commodum reportet; neque fraus & dolus cuiquam debent patrocinari, uti in c.2. de dolo.c.2.de cogn.spir. dicitur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui invenit rem alienam, & non adhibet sufficientem diligentiam in Domino inveniendo, non posse eam ullo tempore præscribere, uti communiter docent Theologi.

Deducitur 2. Eum, qui reipsa possidet rem suam, non tamen probare potest, esse suam, non posse se præscriptionis beneficio tueri, si putaverit, se possidere rem alienam, uti Lugo d.7.n.26. & alii docent.

Deducitur 3. Eum, qui cum ignorantia Iuris possidet rem alienam, probabilius non gaudere præscriptionis privilegio, uti Lessius l.2.c.6.n.17. Dicast. Molina & alii communiùs docét.

PRINCIPIVM VIII.

Sine possessione præscriptio non procedit.

Sensus.

Hoc est, nisi is, qui rem aliquam præscribere cupit, eandem corporis, animi, jurisque adminiculo apprehendat, & detineat, numquam poterit præscriptionis privilegio gaudere.

Authoritas.

Desumptum est ex reg. 3. in 6. & habetur in le. Sine. ff. de usucap. & est receptum apud Theologus, & Iuristas.

Ratio.

Quia in hoc consistit beneficium præscriptionis, vt bonæ fidei possessor, post legitimi temporis decursum, Dominum rem suam pristinam repetentem, vel pristino suo jure uti volentem, oppositione possessionis tanto tempore, quantum iura exigunt, habitæ repellere, adeòque contra eum peremptoriè excipere possit.

Præ-

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui est incapax possidendi, eitam præscribendi incapacem esse, atque adeò Laicos nunquam res sacras præscribere posse, uti in le: Quod universas. ff. Possessionem. ff. de acquir. possess. deciditur.

Deducitur 2. Neque Commodatarium, Depositarium, Colonum, Inquilinum, Procuratorem, qui rem in pignus accepit, præscribere posse, sicut ex le.2. Cod. de præscript. 30. vel 40. ann. colligitur, eò quòd non suo, sed alieno nomine eam possideant, ut in cap. Si diligenti. de præscript. dicitur.

Deducitur 3. Subditum, dum se subditum profitetur, præscribere non posse adversus ea, quæ potestas gubernativa intrisecè ac necessariò requirit, puta, ut legibus aut præceptis non teneatur, ut à Superiore non judicetur, vel puniatur, uti ex communi docet Abbas in c. Cùm contingat. n. 14. de foro competente.

§. III.

De Principiis ad Iustitiam commutativam, & restitutionem pertinentibus.

PRINCIPIVM I.

Non dimittitur peccatum, nisi restituatur oblatum.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis advertit obligationem suam ad rem bona vel mala fide ablatam restituendam, & tamen, cùm potest, restituere negligit, non poterit sperare veniam peccati, quod ex injusta acceptione, vel detentione contraxit, donec obligationi suæ satisfaciat, nisi hæc satisfactio interea omnino impossibilis sit facta, aut alia legitima causa à restitutione faciendæ excuset.

Authoritas.

Desumptum est ex l.6. decret.c.fin.reg.4. Item ex Cap. Si res. 14. q. 6. & c. Cùm tu. 5. de Vsuris. illudque Canisius & Dynus explicant cum communi Theologorum.

Ratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ratio.

Quia peccatum non dimittitur sine pœnitentia; hanc autem elicere non potest, qui non vult obligationi suæ satisfacere; hoc ipso enim ostendit adhuc affectum ad peccatum, atque adeò sincerum propositum ad Pœnitentiam requisitum non habet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui Vsuram commisit, non posse sperare peccati sui remissionem, donec lucrum injustum Domino, vel ejus Hæredibus, vel in horum defectum Pauperibus restituat, uti in cit. c. Cùm tu. definitur.

Deducitur 2. Iudicem, qui pretio vel precibus seductus, aut per ignorantiam graviter culpabilem malè judicavit, non priùs injustitiæ suæ veniam obtenturum, quàm damnum per injustam sententiam causatum resarciat, uti communiter docent Theologi.

Deducitur 3. Omnes directè cooperantes ad damnum grave, eadem restitutionis obligatione comprehendi, nisi Ordine, quo quisque obligatur, restitutionem faciant.

PRINCIPIVM II.

Non damnat reparandi damni omissio, si absit mortalis trangressio.

Sensus.

Hoc est, quando quis per actionem suam, aut Domesticorum, aut etiam brutorum grave damnum alteri intulit, non obligatur ad restitutionem sub gravi peccato faciendam ante Sententiam Iudicis si in damno tali causando mortalis culpa non intercesserit.

Authoritas.

Desumptum est ex mente Soti utriusque, Navarr. Henriq. Salas. Saa. Lessii, apud & cum Lugone d. 8. de Iust. n. 56.

Ratio.

Quia non potest ostendi, unde talis obligatio exoriatur, neque Homines in damnis cavendis obligare se solent, ad summam diligentiam adhibendam, qualis est, si damnum ex negligentia etiam inadvertenter admissa causatum reparare sub gravi culpa tenerentur.

Praxis

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui Iracundiæ aut alterius Passionis impetu abreptus cum semiplena tantùm advertentia damnum grave causavit, non contrahere gravem obligationem restituendi, uti cc. Authores docent.

Deducitur 2. Etiam eos, qui ex Contractu Depositi, Commodati, Venditionis &c. obligati sunt ad damnum alienum cavendum, probabiliter non esse obligatos in conscientia ante sententiam Iudicis ad restitutionem, si gravis culpa Theologica non commissa sit, uti Sotus, Saa, Henriq. Toletus apud Tann. d. 4 q. 6. n. 54. docent, & consentit Lugo d. 8. n. 106.

Deducitur 3. Eum, qui diligentiam debitam adhibet in damno alterius cavendo, non obligari ad restitutionem sub peccato gravi faciendam, etiamsi majorem & indebitam diligentiam omittat, ut Lugo d. 8. n. 72. Tann. & alii communiter docent; & Lessius l. 2. c. 9. n. 113. cum Esparza q. 35. admittunt, etiamsi ex intentione nocendi majorem diligentiam omittat.

PRINCIPIVM III.

Talis esse debet restitutio, qualem exigit rationabilis Creditoris petitio.

Sensus.

Hoc est, is, qui quocunque titulo ad restitutionem obligatus est, eo modo, loco, ac tempore dictam restitutionem facere debet, quo putat ipsum Creditorem juxta prudentiæ dictamen & æquitatem, velle sibi restitutionem fieri.

Authoritas.

Desumptum est ex mente Authorum infrà pro singulis Corollarijs referendorum.

Ratio.

Quia, cùm Creditor non amiserit rei suę Dominium, aut certè jus ad debitum suum exigendum, non potest certior restitutionis faciendę modus aut regula assignari, quàm si dicatur eam juxta præsumptam prudentem Creditoris voluntatem fieri debere.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Possessorem non tantum malę (ut cum S. Thoma

S. Thoma 2 2.q.62.a.5. communiter concedunt Theologi) sed etiam bonæ fidei probabiliter debere rem alienam Domino, & non ei, à quo accepit, restituere, uti Molina, Cajet Medin. Covarr. Ledesma & plures alii docent apud Lug. d. 17. n.29. licet ipse cum multis aliis quod hoc contrarium doceat.

Deducitur 2. Eum, qui restitutionis obligationem ex injusta damnificatione contraxit, restituere quidem rem ablatam Domino debere in loco, ubi Dominus eam possessurus fuisset, si non amisisset; ad hoc tamen non obligari, si non nisi cum expensis notabiliter majoribus talem restitutionem facere possit, uti Bonac. cum Molin. Less. Filliut. Arag. & aliis docet.

Deducitur 3. Posse Debitorem satisfacere obligationi restituendi, si Creditoris sui Creditori restituat, uti iterum Molina d.743. Fill. Rebell. Lessius & multi alii apud & cum Bonac. d.1. de restit. q.5. pu.3. n.1. sentiunt.

PRINCIPIVM IV.

Mora sua cuilibet nociva est.

Sensus.

Hoc est, qui culpabiliter differt debitum eo tempore, quo obligatur solvere, omne damnum ex tali dilatione secutum suscipere in se debet. Est autem Mora alia regularis, quæ ex Persona sumitur interpellante, alia irregularis, quæ reipsa contrahitur absque ulla interpellatione Creditoris, & vocatur irregularis, eò quod regulariter mora non contrahatur, nisi Debitor interpellatus à Creditore non solvat.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. ult. reg. 25. & le. in condemnatione. 173. §.2. ff de reg. Iuris. illudque explicant & approbant Canisius, Dynus, & Decius in cit. reg.

Ratio.

Quia delicta suos tenent Authores, uti alibi dictum; ergò, cùm etiam mora culpabilis inter delicta numeretur, meritò Authori suo, & non alteri nocere debet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Commodatarium, si tempore præscripto commodatum non restituit; etiam ob damnum ex fortuito casu

casu exortum reparandum obligari, uti in cap. unic. de commodato deciditur.

Deducitur 2. Furem à primo instanti contrectationis obligari ad reparanda omnia damna ex neglecta rei ablatæ restitutione ipsi Domino exorta, uti in le. 1. Cod. de his, quæ vi, metusve causa Item le. Finali de condict. Furti deciditur.

Deducitur 3. Emptorem, si è re empta & tradita fructus percepit, nondum soluto pretio, teneri Venditori ad id, quanti eius interest, uti in le. Curabit. 5. C. de act. empt. habetur.

PRINCIPIVM V.

Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

Sensus.

Hoc est, qui potest justam causam allegare, ob quam distulerit solutionem debiti sui, non est censendus culpabilem moram admisisse, atque adeò nec ad damnum ex ea sustinendum obligatus.

Authoritas.

Desumptum ex l. 6. decret. c. ult. reg. 60. illudque referunt & approbant Dynus & Canis. in tr. de reg. Iuris.

Ratio.

Quia cùm lex solutionem aut restitutionem imperans affirmativa sit, hoc ipso non obligabit, si justa causa adsit excusans à restitutione vel solutione, atque adeò nec culpabilem moram admisisse dicendus est, qui ex tali causa solutionem vel restitutionem aliquanto tempore differt.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui cum Creditore suo pactus est, ne à se pecunia peteretur, non esse in mora, sed per exceptionem pacti defendi, uti ex §. Præterea. Inst. de except. colligitur.

Deducitur 2. Eum, qui sub pacto Legis Commissoriæ rem aliquam oppignoravit, & juravit non contravenire, postea verò injustè impeditus infra diem statutum non redimit, posse eam redimere post eam diem, uti in cap. Significante. 7. de pignoribus definitur.]

Deducitur 3. Eum, qui aliquid metu coactus, aut dolo inductus

ductus promisit, aut errore quoad substantiam lapsus; non censeri in culpabili mora esse, si non restituat, quando interpellatur à Creditore, uti in §. verbi gratia Instit. de except. deciditur.

PRINCIPIVM VI.

Paria delicta mutua compensatione tolluntur.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis per delictum aliquod alium offendit, & in simili genere vicissim ab eo est læsus, non potest abeo factisfationem petere, sed obligationem, quam alter contraxit, per suam obligationem, quà ipsi ille obstrictus est, censere potest compensatam.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Intelleximus. 6 de Adulterio. Item ex le. Viro 3. 9 ff. Soluto matrimonio, illudque explicat, & approbat Barbosa axiom. 174. cum multis aliis.

Ratio.

Quia, cùm per delictum quilibet alteri sit debitur factus in ordine ad offensam tollendam, meritò perinde dicuntur delicta talia per mutuam compensationem sublata, atque debitum unius tollitur, si vicissim ipse Creditor simile debitum contraxit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Conjugem non posse petere divortium ob adulterium, si & ipse in idem crimen inciderit, uti in cap. Tua Fraternitas. 7. de adult. definitur.

Deducitur 2. Eum, qui graviter alteri detraxit, liberari ab onere restitutionis, si ab eo, cui detraxit, simili modo infamatus est, uti Tolet. Less. Silvest. Malderus Molin. Dian. apud & cum Busembaum l. 3. tr. 6. c. 1. du. 3. docent.

Deducitur 3. Si sponsa permittat se tangi impudicè ab alio per oscula & amplexus, & ipse quoque Sponsus tam frequentèr exerceat similes tactus, ut meritò timeri possit, ne fidem Sponsæ non servet, posse & Sponsam resilire à Sponsalibus, uti Laym. Coninck. apud & cum eodem Busenbaum l. c. docent.

§. VI.

§. IV.

De Principiis ad Contractus pertinentibus.

PRINCIPIVM I.

Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur.

Sensus.

Hoc est, contractuum Natura & qualitas non tantùm ex forma à Legibus præscripta, sed etiam ex conditionibus, quas ipsi contrahentes apposuerunt, desumenda est, modò conditio talis à legibus non reprobetur, uti reprobatur pactum de dolo in le. Contractus 23. ff. de reg. Iuris.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. ult. reg. 85. & ex le. 1. Si conveniat. ff. de deposito. illudque plurimi apud & cum Barbos. axiom. 57. n. 1. defendunt.

Ratio.

Quia actus agentium non operantur ultra intentionem, ergo non potest aliquis ultra limites illos, quos sibi ipse fixit, obligari, atque adeò si certas conditiones contractui apposuit, ex harum ille natura metiendus est.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etsi per se, & vi Matrimonii non obligetur maritus ad certum locum inhabitandum, non posse tamen eum à loco certo recedere (nisi causa priùs non prævisa superveniat) si in pactis matrimonialibus talis locus habitationis constitutus est, uti Laym. l. 5. tr. 10. pa. 3. c. 2. n. 3. cum Sanch. Navarr. Saa, Soto & aliis docet.

Deducitur 2. Etsi Depositarius ex natura contractus tantùm de culpa lata & dolo teneatur, posse tamen eum etiam de culpa levi, & casu fortuito conveniri, si ita conventum sit, ut in le. 1. §. Si convenit. ff. de deposito. Item in cap. 2. de deposito deciditur.

Deducitur 3. In Indulgentiis omnes illas conditiones essentiales esse, quas Prælati legitima voluntas apponit; eò quòd indulgentiæ sit contractus quidam innominatus, quo datur aliquid, ut alter vicissim det, vel faciat aliquid. Ita P. Gobat in thes. Indulg. p. 1. n. 140.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRINCIPIVM II.

Modum suæ rei imponere cuivis licitum est.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis dispositionem aliquam facit, potest ei, quascunque vult, conditiones adjungere, sine quarum impletione hoc ipso invalida sit dispositio, modò aliunde non adstringatur ad eam dispositionem absolutè & independenter ab ulla conditione faciendam, uti fit in Sacerdote, qui non potest sine rationabili causa sub conditione absolvere, & consecrare.

Authoritas.

Desumptum est ex le: in traditionibus. 48. ff. de pactis, ubi dicitur: In traditionibus rerum quodcunque pactum sit, id valere manifestissimum est. Illudque refert, & approbat P. Gobat p. 1. thes. Indulg. n. 140.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd quisque supponatur habere dominium liberum suæ rei, atque adeò plenam de ea disponendi facultatem, potest hac facultate sua uti ad quemcunque actum producendum, ad quem se eadem facultas extendit; atqui quælibet conditio apta est constituere, diversum actum; ergo ad quemvis actum ab ea dependentem dicta facultas se extendit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Pontificem in Indulgentiis concedendis quæcunque opera exigere posse, quæ sint conditiones quasi essentiales, sine quibus nemo obtinere possit eas indulgentias, uti ipsa praxis, & communis Theologorum consensus confirmat.

Deducitur 2. Licitè in Sponsalibus contrahendis apponi pacta, quibus securitas Matrimonii procuretur, uti Sanchez. d. 38. lib. 1. n. 2. & alii apud & cum Ferd. de Castro p. 5. du. 1. pu. 14. n. 2. & 3. docent.

Deducitur 3. Testatorem posse Testamento suo varias conditiones inserere, modò non sint Iuris contrariæ, uti esset, si aliquem ita institueret in re certa, ut nollet eum succedere in aliis bonis, & tamen vellet hæredem esse, uti colligitur ex inst. §. Hæred. de hæred. inst.

PRINCIPIVM III.

Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

Sensus.

Hoc est, quando actus aliquis ab initio invalidus est, tum non potest per solum temporis fluxum suppleri id, cujus defectu ab initio non subsistebat. Hinc licet in præscriptione contrarium fieri videatur, revera tamen non fit, cùm præscribens Dominium rei non tam acquirat propter fluxum temporis, quàm voluntatem Legislatoris præscriptionem permittentis.

Authoritas.

Desumptum est ex lib. 6. decret. c. ult. reg. 18. Item ex le: quod initio. 29. ff. de reg. Iuris ubi dicitur: Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Illudque explicant. & approbant Canisius & alii.

Ratio.

Quia ex una parte tempus non est modus tollendæ aut inducendæ obligationis, ut dicitur in le. Obligationum. 3. ff. de act. & oblig. ex altera verò parte per Iuris interpretationem pro infecto habetur, quidquid vitiosum seu perperam factum est, ergo impossibile est, ut effectum habeat, nisi ponatur id, cujus defectu vitiosum erat.

Praxis.

Hinc deducitur 2. Eum, qui literas mandantes provideri de Beneficio curato impetravit, cujus tamen ob defectum ætatis capax non erat, non posse postea frui beneficio tali, si ad legitimam ætatem pervenerit, uti in cap. Licet. 14. de sent. Excom. in 6. habetur.

Deducitur 2. Matrimonium ab Impuberibus contractum non fieri validum, si illud tempore pubertatis non ratificent, uti in cap. 1. de despons. Impub. in. 6. deciditur.

Deducitur 3. Etiam Donationes & Contractus, qui ab initio non subsistunt, non posse per lapsum temporis fieri validos, uti colligitur ex le. 83. §. Sacram. ff. de verb. oblig. & ex le. 18. C. de donat. inter virum & uxorem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRINCIPIVM IV.

Præstat contractui firmamentum, qui addit legitimum Iuramentum.

Sensus.

Hoc est, quoties Contractui qui alioqui jure humano irritus fuisset, adjicitur juramentum, quod servari potest absque peccato, tum perinde confirmatur, ac si ab initio validus fuisset, modò ex parte illius, in cujus favorem juratur, nulla turpitudo reperiatur.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. 9. quamvis pactum 2. de pactis. in 6. Item ex cap. contingit. 1. de Iurejur. in 6. illudque approbant Molin to. 1. d. 149. & to. 2. d. 515. Rebellus. Saa. Sanch. & alii apud & cum Lugon. d 22. de Iustit. n. 206. ubi addit, sit omnes ferè Iuris Interpretes sentire.

Ratio.

Quia, cùm res hæc totaliter à Iure dependeat, standum est illius decisioni, ergo cùm in cit. cap. quamvis expressè dicatur pactum; cui Iuramentum adjectum est, servandum esse, rectè infertur, ejusmodi contractus per Iuramentum confirmari.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si Filia; dum nuptui traditur, paciscatur cum Patre, quòd dote contenta esse velit, nullumque ad bona paterna regressum habere, validum esse pactum, si Iuramentum adjiciat; uti in cap. quamvis definitur.

Deducitur 2. Validum quoque esse pactum, si uxor in alienationem fundi dotalis consentiat, & juramento confirmet, se tale pactum non revocaturam, uti in cap. contingat 28. de jurejur. deciditur

Deducitur 3. Contractus Minorum factos sine authoritate Curatorum circa bona imobilia alioqui de jure invalidos per juramentum adjectum confirmari, uti ex authent. Sacramenta Puberum. Cod. si adversus venditionem colligitur.

PRINCIPIVM V.

Semper in contractibus sequimur, quod in regione, in qua aliquid actum est, frequentatur.

Sensus.

Hoc est, cùm dubium exoritur, quomdo contractus aliquis inter aliquos sit initus, tum præcipuè attendi debet, qua ratione inter alios ejusmodi contractus celebrari consueverint, & juxta illum morem etiam dubius ille contractus est explicandus. *Authoritas.*

Desumptum est ex le. semper in stipulat. ff. de reg. Iuris & refertur ac applicatur à Patre Gobat in Accus. Canon. tr. 5. c. 28. nu. 3. *Ratio.*

Quia inspicimus in obscuris, quod plerumque fieri consuevit, uti in l. 6. decret. c. ult. reg. 45. dicitur, hæc enim sunt cognata Naturæ, & pro lege ac veritate habentur, ut testatur Barbosa axiom. 223. n. 3. & 4. ergo rectiùs, quàm ea, quæ rarò eveniunt, &, ut lex 64. ff. de reg. Iuris dicit, in agendis negotiis non temerè computantur, inspici solent.

Praxis.

Hinc duducitur 1. Si Maritus uxorem indotatam ducat, ipsum ad eam alendam obligari, uti P. Gobat l. c. cum Sanchez docet, asserente, neminem à se lectum, qui hoc neget.

Deducitur 2. In dubio, num venditor fidem habeat Emptori de pretii solutione, dum rem venditam Emptori tradit, omnino censeri fidem habere, & Dominium transferre, uti Laym. l. 3. de Iust. tr. 4. c. 17. §. 2. n. 11. docet.

Deducitur 3. Si Hæreticus cum Catholica Matrimonium in loco Catholico ineat, censeri, illud Catholico quoque modo, id est, modo indissolubili quoad vinculum contraxisse.

PRINCIPIVM VI.

Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.

Sensus.

Hoc est, si aliquis elicuit actum voluntatis, ex quo alte-

ri jus ad rem aliquam exortum est, non potest revocare talem actum, nisi in casibus, in quibus talis revocatio specialiter à Iure concessa est, quales sunt contractus innominati, Societas, Depositum, Mandatum, ultima voluntas, recusatio hæreditatis paternæ, nondum abalienatæ, sententia interlocutoria, uti ex variis legibus ostendit Canisius in cit. reg.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. ult. reg. 21. & ex le. 75. ff. de reg. Iuris, ubi dicitur: Nemo potest mutare consilium in alterius injuriam; illudque referunt, & explicant Canis. Decius, & Dynus in tract. de reg. Iuris.

Ratio.

Quia, ut Vlpianus relatus in le. 1. ff. de pacto ait, nihil tam congruum est humanæ fidei, quàm ea, quæ inter alios placuerunt, servare.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Sponsalia legitimè contracta non posse ab uno tantùm contrahente dissolvi, nisi grave impedimentum antea non præviśum superveniat, uti docet communis sententia Theologorum.

Deducitur 2. Eum, qui vendidit alteri rem aliquam, non posse pro libitu contractum rescindere, uti iterum conveniunt Theologi & Iuristæ.

Deducitur 3. Famulum, qui Domino suo operam ad annum condixit, non posse sine gravi causa à Domino discedere, uti Molin. Escob. Regin. apud & cum Busenbaum l. 3. tr. 3. c. 2. du 4. docent.

PRINCIPIVM VII.

Claudicat Pupilli contractus, si absque Tutoris assensu est factus.

Sensus.

Hoc est, quando Pupillus (eadem est ratio de Minoribus) sine Tutoris sui consensu, contractum aliquem init, cum eo, qui non est Pupillus aut Minor, tum alium quidem, spectato jure civili, obligare potest ad contractum implendum non tamen ipse vicissim obligabitur, nisi juramento eum confirmet.

Autho-

Authoritas.

Desumptum est ex §. neque. 2. Instit. de author. Tutor. Item ex le. si Curatorem. 3. C. de integr. restitut. illudque defendunt Molina. Sanch. Filliut. & plures alii apud & cum Bonac. d. 3. de restit. q. 1. pu. 5. n. 6.

Ratio.

Quia, cùm ætas hæc ob rationis imbecillitatem facilè in contractu decipi possit, æquum erat, ut illi potiùs per legem subveniretur, quàm aliis, qui ob plenum rationis usum satis rebus suis prospicere posse meritò supponuntur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Pupillum aut Minorem non teneri ad solvendam pecuniam creditam, quam in lusu perdiderunt, uti Bonac. l. c. cum Sanch. Molin. Regin. Navarro & multis aliis docet.

Deducitur 2. Si Pupillus sine Tutoris consensu mercem emerit, invitum à venditore compelli non posse ad numerandum pretium; quamvis ipse Pupillus si contractu stare velit, civili actione cogere possit Venditorem ad tradendam sibi mercem pro constituto pretio, ut constat ex lege si id. ff. de rescind. vendit. & docet P. Layman l. 3. tr. 4. c. 9. n. 6.

Deducitur 3. Pupillum si cum alio Pupillo contrahat, non posse illum obligare ad contractum implendum, cùm eodem uterque privilegio gaudeat, Ita idem Bonac. l. c. n. 6.

§. V.

De Principiis ad Testamenta pertinentibus.

PRINCIPIVM I.

Invalidum est non privilegiatum Testamentum, cui deest necessariæ Solemnitatis firmamentum.

Sensus.

Hoc est, si Testamentum aliquod, quod non ex speciali Iuris dispositione privilegiatum est; requisitam à Iure septem Testium legitimorum subscribentium & sigillū apprimentium (si scriptum sit Testamentum) aut certè audientium (si Nuncupativum sit) ac universalis Hæredis instituti solemnitatem non habeat, pro valido haberi non potest.

Authoritas.

Desumptum est ex le. Consultissima. C. de Testam. juncto §. sed cùm paulatim. Item ex le Hæredem 59. ff. de R. I. & communi Theologorum & Iuristarum doctrina, ipsaque praxi.

Ratio.

Quia, cùm ultimæ Testatorum voluntates variis fraudibus, & litibus sint subjectæ, meritò ad has cavendas suprà descripta Solemnitas à Iure introducta est; nam ut in le. Testamentum C. de testam. dicitur, abundans cautela non nocet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si unus ex Testibus non sit, aut habeatur legitimus (v. g. quia non est extraneus, aut quia surdus, mutus, cæcus, furiosus, jure infamis est) hoc ipso invalidum esse Testamentum. Dixi tamen, *si non habeatur legitimus:* quia si tempore Testamenti confecti pro legitimo fuerit habitus, & postea illegitimus fuisse deprehendatur, tum error communis impedimenti latentis jus confert, uti in argum. le. Barbar. ff. de offic. Præt. dicitur, & communiter approbant Authores, teste Laym. l. 1. tr. 4. c. 22. n. 9. quoad præsentem casum verò speciatim deciditur in §. cùm aliquid. Instit. eodem, dum dicitur. Cùm aliquis ex Testibus, testamenti quidem faciendi tempore liber existimabatur, postea autem Servus appareat, Hadrianus, Severinus item, & Antoninus rescripserunt, subvenire se ex sua liberalitate Testamento, ut sic habeatur firmum, ac si, ut oportebat, factum esset. Quam constitutionem Doctores, teste Laym. l. 3. tr. 5. c. 1. nu. 2. communiter ob eandem rationis æquitatem ad alios etiam similes casus extendunt.

Deducitur 2. Si Testator in suo Testamento Hæredem, qui in universum Ius defuncti succedat, instituere omittat, nullum quoque fore Testamentum, uti apertè in Instit. de Fideicom. hæred. §. 2. habetur, cùm Hæredis Institutio sit basis & fundamentum Testamenti.

Deducitur 3. Etiam ex eo capite invalidum secundum Ius civile fieri Testamentum, si uno tempore & contextu non fiat, ita ut nullus actus extraneus & alienus à Testamento intermisceatur; uti ex le. Hæredes 21. in fine ff. qui testam. facere possit. & le. Antiquitas C. hoc tit. colligitur.

PRIN-

PRINCIPIVM II.

Non obest Testamentum deficiens solemnitas cujus defectum supplet Privilegii qualitas.

Sensus.

Hoc est, licet interdum aliquod Testamentum debitis solemnitatibus careat, si tamen per Leges & Iura cum eodem circa similes solemnitates dispensatum fuerit, perinde validum haberi debet, atque alia Testamenta, quæ cum omnibus à Iure requisitis solemnitatibus sunt confecta.

Authoritas.

Desumptum est ex legibus & Authorum infrà pro singularibus corollariis citandorum unanimi consensu.

Ratio.

Quia ad eundem legislatorem pertinet leges condere & in iisdem dispensare, ergo, sicut Imperatores ad aliqua Testamenta dictas solemnitates requisiverunt, ita in alii dispensare, & pauciores, vel nullam specialem solemnitatem requirere potuerunt.

Praxis.

Hinc deducitur 1. In Testamentis ad pias causas (puta Dei, & Sanctorum honorem, vel animæ salutem) factis nullam omnino solemnitatem requiri, sed solo naturali, divino ac Gentium jure subsistere, uti cum Bartolo, Abbate, Claro, Tiraquello & aliis docet Laym. l. 3. tr. 5. c. 2. nu. 2. quia Iura sæcularia in causis Ecclesiasticis nullum præjudicium afferre possunt, nisi à Summo Pontifice approbata sint; non esse autem receptas ab his Iuris civilis solemnitates, ex cap. relatum. 1. de Testam. constat.

Deducitur 2. Etiam Testamentum à Parentibus inter liberos conditum validum esse, etiamsi præscriptæ Iuris solemnitates non fuerit observatæ, modò testamentum tale absolutum, & tempus condit Testamenti, nominaque Filiorum ac portionum scripto sint à Testatore notata, aut certè manu propria subscriptum sit Testamentum, uti in le. ult. c. Famil. herciscundæ & le. Consultissima. C. de Testam. definitur.

Deducitur 3. Idem sentiendum esse, si Testamentum coram supremo Principes factum sit, oblato ei libello, in quo ultima

tima voluntas descripta habeatur; uti ex le. omnium. C. de Testam. colligitur, quia acta Iudicii Testium vim habent, & eorundem solemnitatem supplent. Ad Militum verò in bellica expeditione versantium Testamentum duo saltem Testes etiam non rogati sufficiunt, uti in le. Milites. Cod. de Testam. Milit. & le. Lucius. ff. eod. habetur.

PRINCIPIVM III.

Meretur Testatoris voluntas ultima, ut sollicitè conservetur Dispositionis substantia.

Sensus.

Hoc est, quando de alicujus Testamento legitimè facto constat, ad Executores pertinet, ut cum omni sollicitudine ea, quæ in tali Testamento disposita sunt, observari faciant.

Authoritas.

Desumptum est ex c. ult. de testam. ubi dicitur: Vltima voluntas Defuncti omnibus modis conservari debet.

Ratio.

Quia, cùm quisque de re sua disponere pro arbitrio possit, nisi aliunde impediatur, hoc ipso, quòd Testator jus suum ad relicta bona in certas Personas vel loca transtulerit, non possunt isti hoc jure acquisito privari; cùm juxta Cap. discretioni de eo, qui cognov. nemo debeat jure suo sine culpa privari.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si Testator certam quantitatem pro certo numero Missarum determinavit, non posse Hæredem mediam partem sibi servare, etiamsi possit pro altera media parte invenire, qui constitutum Missarum numerum impleant, uti rectè sentit P. Gobat. tr. 3. n. 573.

Deducitur 2. Si Hæredi certò constet, voluntatem Testatoris fuisse, ut aliquid in piam causam expenderetur, eum ad hoc exequendum in conscientia obligari, etiamsi id in foro externo probare non possit, uti Laym. l. c. n. 5. docet.

Deducitur 3. Etiam Testamentum ad causam non piam factum probabiliùs implendum esse, si desint solemnitates jure positivo requisitæ, uti Lessius l. 2. de just. c. 19. apud & cum Vallensi l. 3. tit. 21. num. 9. docet, & colligi videtur ex le. Etsi inutiliter. C. de fideicomm. & §. ult. Instit. de fideicomm. hæred. nam ex tali voluntate ultima cognita oritur obligatio naturalis, solemnitas Iuris verò tantùm requiritur, ut fidem in foro externo faciat & falsitas omnis, deceptioque evitetur uti in le. Quæstionem. 32. C. de fideicomm. dicitur

PRINCIPIVM III.

Tamdiu Testatoris ambulat voluntas, quamdiu supereſt vivendi facultas.

Sensus.

Hoc est, quamdiu Testator vivit, tamdiu potest Testamentum suum vel omnino annullare, vel pro libitu mutare.

Authoritas.

Desumptum est ex Vlpiano le. 4. ff. de adim. leg. ubi ait: Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum.

Ratio.

Quia, ut in le. 1. C. de Eccles. dicitur, nihil est, quod hominibus magis debeatur, quàm ut Supremæ voluntatis (postquam jam aliud velle non possunt) liber sit Stylus; & licitum, quod iterum non redit, arbitrium.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si Testator factum à se Testamentum laceret, vel hæredis nomen deleat, vel sigillum auferat, ipso facto censeri voluntatem ultimam mutasse, uti in le. si unus de septem & le. nostrum C. de Testam. dicitur.

Deduc. 2. Si Testator aliud Testamentum priori dissimile condat, hoc ipso priùs Testamentum irritasse censeri debere, uti in §. posteriore Inst. Quibus modis Testam. irritentur, deciditur.

Deducitur 3. Etsi Testator in priore testamento protestatus fuerit, se nolle in alio Testamento disposita valere, si tamen in posteriori Testamento clausulam derogatoriam inserverit, omnino priùs Testamentum invalidum censeri debere, uti in le. Si quis à principio ff. de legatius definitur.

PRIN-

Universidad de Deusto Biblioteca

PRINCIPIVM V.

Desideria morientium ex arbitrio viventium colliguntur.

Sensus.

Hoc est; Quando non satis constat, quid illi, qui è vita discesserunt, & varia bona reliquerunt, de iisdem bonis disposuerint, cum ad ea, quæ vel ipsi, dum vivebant, vel alii ejusdem conditionis homines viventes disponere circa talia bona solebant, attenditur, & juxta eiusmodi voluntatem bona ab iis relicta distribuuntur.

Authoritas.

Desumptum est ex le. Quoniam. 4. C. de natur. liberis. illudque Gribaldus l. 1. de rat. Stud. cum communi Iurisconsultorum approbat.

Ratio.

Quia, cùm voluntatem Morientium Sanctè custodire, atq; adeò sic interpretari debeamus ut potiùs valeat, quàm ut pereat; meritò, si de certa voluntate Testatoris defuncti non constet, ad præsumptam ejusdem voluntatem confugitur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui naturalem suum Filium Municipalibus Muneribus vivens applicuit, hoc ipso etiam facultatum suarum Successorem constituere voluisse, uti in cit. le. quoniam deciditur.

Deducitur 2. Executores Testamenti probabiliter non posse sibi applicare Eleemosynam in testamento legatam, si Paupertas eorum Testatori cognita fuerit, uti Sanch. to. 2. l. 6. c. 11. n. 54. apud & contra Dian. p. 8. tr. 5. re. 47. & Dicastillo docet.

Deducitur 3. Si quis moriatur nullo condito Testamento, aut condito quidem, sed postea rupto, aut irrito facto, succedere tamen Hæredes, & quidem ante omnes legitimos liberos, quia hoc non tantùm Iuri, sed communi hominum voluntati consentaneum est. Quòd si descendentes nullos habeat, succedunt Pater & Mater Defuncti.

§. VI.

De Principiis ad Iustitiam Vindicativam seu Iudicia pertinentibus.

PRINCIPIVM I.

Nemo Iudex esse potest in propria causa.

Sensus.

Hoc est, quando sententia circa litem aliquam vel controversiam ferenda concernit propriam utilitatem Iudicis, non debet sibi Iudex arrogare officium Iudicis, nisi sit ipse Iudex supremus, aut causa manifesta sit atque notoria, aut Ecclesiam propriam concernens.

Authoritas.

Desumptum est ex le. nunc. C. ne quis in sua causa judicet; ac defenditur, & explicatur à Laymanno. l. 3. tr. 6. c. 2. n. 13.

Ratio.

Quia Iudex debet esse medius, ac veluti Diremptor inter partes contendentes, uti habetur in Glossa c. 1. causa 4. q. 4. ergo non potest simul & partis litigantis, & Iudicis decidentis munus sustinere.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si quis Iudici litem de hæreditate vel alio jure cedendo moveat, Iudicem non posse litem hanc dirimere, sed alteri decidendam committere debere, uti ex le. suprà cit. patet.

Deducitur 2. Neminem privatum posse alterum vindictæ causa aut verberare, aut alio modo punire, ob propriam offensam, sed potiùs, si velit, Iudicis officium implorare debere, uti communis praxis Tribunalium declarat.

Deducitur 3. Supremum Principem ab aliquo Subdito graviter offensum posse commeritam pœnam ab eo exigere, eò quòd ut Supremus Magistratus, & fons legum atque justitiæ, atque optimis Consiliariis cinctus, nihil nisi justum contra Subditos decreturus supponatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRINCIPIVM II.

De occultis non judicat Prætor.

Sensus.

Hoc est, de iis actionibus, quæ exteriori aliquo signo vel indicio non produntur, nullus Iudex præsumere debet sententiam ferre.

Authoritas.

Desumptum est ex c. 1. §. porro ut Ecclesiastica benefic. sine dimin. conf. & le. cogitationis ff. de pœnis, ubi dicitur: Cogitationis pœnam nemo patitur.

Ratio.

Quia ejusdem est cognoscere & judicare, ergò cùm Iudex occulta seu interna peccata cognoscere ordinariè non possit, de iisdem etiam judicare non debebit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiamsi quis leviter percutiens Clericum habuerit intentionem graviter nocendi, non tamen excommunicationis pœna feriri posse, uti Bonac. apud & cum Busenbaum l. 7. c. 1. ex communi docet.

Deducitur 2. Eum, qui Hæresin tantùm occultam fovet, pœnis Hæreticorum non subjacere, uti Laym. l. 2. tr. 1. c. 14. nu. 1. ex communi docet.

Deducitur 3. Eum, qui propositum habuit furandi, sed impeditur, quò minus propositum exequi possit, non posse velut furem puniri, uti plurimi Authores apud & cum Laym. l. 1. tr. 4. c. 4 n. 5. docent, quia, ut c. 1. 15. q. 6. dicitur, non potest humano judicari examine, quem Dominus suo reservavit judicio.

PRINCIPIVM III.

Sanctius est impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare.

Sensus.

Hoc est, si de delicto alicujus non satis constat, sed dubium est, an vel omnino sit patratum, vel certè cum sufficienti deliberatione commissum, tum rectiùs sine pœna dissimulatur,

latur, quàm ut infligendo supplicium incurratur periculum, ne, si culpa non sub sit, innocens puniatur.

Authoritas.

Desumptum est ex le. absentem ff. de pœnis & refertur à P. Gobat. tr. 2. exeg. n. 281. & in accus. canon.

Ratio.

Quia; cùm partium jura sunt obscura, Reo potiùs favendum est, quàm actori; atqui in tali casu lex quodammodo actor est, reus verò ipse, qui dubium delictum commisit. Et præterea ex dissimulatione nullum damnum per se sequitur alterutri parti, sequeretur autem grave damnum, si culpa non subsistente innocens plecteretur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si ebrius aliquem occidat, nec certò constet, quòd ea intentione se inebriaverit, spectato jure naturali vel omnino non puniri posse, uti Molina. Fern. Vasquius & alii apud & cum P. Gobat in acc. Canon. c. 20 n. 19. censent; vel certè mitiori, quàm ordinaria pœna puniendum esse uti Azor, Fagund & multi alii ibidem cc. docent.

Deducitur 2. Si dubium sit, num pœna aliqua certo vitio decreta sit, non debere pœnam ejusmodi in ipsum decerni, si aliunde pœna talis non nisi ab illis, qui latam esse norunt, incurri supponatur, uti iterum Authores in materia de censuris docent.

Deducitur 3. Eum, qui prudenter dubitat, utrum Filius aliquis ex adulterio conceptus sit suus, non posse à Iudice ad eundem alendum compelli; uti S. Anton. Silvest. Navarr. Lessius & plures alii apud & cum P. Gobat. in accus. canon. c. 28. nu. 42. sentiunt.

PRINCIPIVM IV.

Ut respiciatur Personæ diversitas, non patitur ferendæ sententiæ æquitas.

Sensus.

Hoc est, ut Iudex legitimè fungatur officio suo, & æquitatem in sententia ferenda certiùs observet, non debet respicere ad qualitatem Personarum, quæ judicandæ sunt (an scilicet sint divites vel pauperes, nobiles vel ignobiles domesti-

cæ, vel extraneæ) sed præcisè ad merita & circumstantias causæ vel litis attendere.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Novit. de judic. & Extrav. de Constit. c. non omnes. Item 2. q. 3. c. si quis Presbyter. ac communi sensu Doctorum. Imò & ipsa S. Scriptura Lev. 19. ubi dicitur: *Non consideres Personam Pauperis, nec honores vultum potentis, justè judica Proximo.* Et Deut. 1. *Nulla erit distantia Personarum, ita parvum audies ut magnum.*

Ratio.

Quia cùm Iudex de causæ duntaxat æquitate debeat ferre sententiam, meritò ad illa tantùm respicere debet, quæ causæ suadent æquitatem; hæc autem ordinariè non sunt qualitates in Personis repertæ, sed ea tantùm, quæ cum ipsa causa seu re, de qua litigatur, sunt conjuncta.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si Nobiliores Personæ peccent, non esse propter nobilitatem à Iudice correptionem dissimulandam, uti in cit. capit. novit. his verbis insinuatur: Cùm enim non potius humanæ, quàm divinæ constitutioni innitamur, quia potestas nostra non est ex Homine, sed ex Deo, nullus qui sanæ sit mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corrigere quemlibet Christianum: & si correptionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere. Sed forsan dicetur, quòd aliter cum Regibus, & aliter cum aliis est agendum. Cæterum scriptum novimus in lege divina: Ita magnum judicabis ac parvum, nec erit apud te acceptio Personarum.

Deducitur 2. Iudicem non debere munera facilè accipere à partibus litigantibus, uti in cap. statutum in 6. ff. insuper dicitur, ubi etiam additur, quòd si ob causam commissam debeat extra domicilium proficisci moderatas quidem expensas recipere, non tamen ab una parte quàm alia plùs accipere possit, cùm commune gerat negotium utriusque.

Deducitur 3. Si Presbyter contra Laicum, vel Laicus contra Presbyterum aliquam habet querimoniæ controversiam, Episcopo præcipiente vel regente, sine Personarum acceptione finiendam esse, uti in caus. 1. q. 5. cap. si quis Presb. dicitur; nam Injustitia maxima est, quòd aliorum honores sint occasio aliis nocendi, uti in le. fin. Cod. de statuis legitur.

PRIN-

PRINCIPIVM V.

Iudex debet esse propensior ad absolvendum, quam condemnandum.

Sensus.

Hoc est si in alterutro, scilicet vel in absolutione, vel condemnatione excessus aliquis faciendus foret, potiùs permittendū foret, ut in lenitate, quàm in severitate Iudex excederet.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. ex literis de probat. ubi hæc verba habentur: *Promptiora sunt iura ad absolvendum, quàm ad condemnandum.* Item ex Glossa super c. dilecti 6. de judiciis, ubi dicitur: De apicibus Iuris non est disputandum. Item ex le. placuit. 8. C. de judiciis, quæ sic loquitur: Placuit in omnibus præcipuam esse Iustitiæ, æquitatisque rationem. Et defenditur à P. Gobat toto libello, qui Clypeus Clementium Iudicum appellatur.

Ratio.

Quia Iudicia hoc ipso, quòd humana sint, debent etiam humano modo administrari; talis autem est si attenta fragilitate hominum benignitas, æquitasque juri præferatur. Hinc Honorius Papa relatus in cap. fin. de transact. sic loquitur: In his, in quibus Ius non invenitur expressum, procedas (æquitate servata) in humaniorem partem declinando semper, secundùm quod Personas, & causas, & loca, & tempora postulare videris sed & alia ratio redditur in le. 25. ff. de legibus, ubi dicitur: Nulla Iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.

Praxis.

Hinc deducitur 1. In re dubia benigniorem semper interpretationem esse adhibendam, uti in le. semper in dubiis ff. de reg. Iuris dicitur.

Deducitur 2. In legibus pœnalibus mitiorem quoque interpretationem usurpandam, atque adeò verba in stricto sensu accipienda, uti in leg. penult. ff. de pœnis dicitur; & le. Interpretatione. tit. eod. ubi dicit Hermogenianus: *Interpretatione legum pœnæ mollienda sunt potiùs, quàm exasperandæ.*

Deducitur 3. Confessarios in pœnitentiis imponendis benignos magis, quàm rigidos esse debere, uti in c. alligant. 26. q. 7. ex S. Chrysostomo his verbis indicatur: *Etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? Vbi Paterfamilias largus est, ut quid Sacerdos ejus austerus?*

PRINCIPIVM VII.

Non agnoscitur latæ sententiæ æquitas, cui deest præscripta Iuris solemnitas.

Sensus.

Hoc est, si Iudex non observet ea, quæ ad Iudicii formam à legibus sunt præscripta, tum hoc ipso sententia illius nulla reputabitur, atque adeo effectum habere non potest.

Authoritas.

Desumptum est ex variis capit. infrà pro Praxi citandis; & ex communi sensu Doctorum, ac praxi Tribunalium.

Ratio.

Quia, cùm in Iudicio plerumque de rebus non levis momentis agatur, atque adeò, ut tantò securiùs procedatur, variæ à legibus actiones observandæ sint præscriptæ, meritò Iudex officio suo satisfeciisse non censebitur, si ejusmodi præscriptas solemnitates Iuris non observet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si Iudex reum non audiverit, aut causam non bene cognoscere studuerit, non debere sententiam ferre; quia judiciaria potestas hoc postulat, ut, quod debet judicare, discernat, quemadmodum text. c. 1. de pœn. 6. §. caveat insinuatur, teste P. Gobat tr. 7. n. 236.

Deducitur 2. Pariter nullam esse sententiam, si Reus cui defensio competere potest, non citetur, uti in Clem. 2. de re judic. dicitur, cùm citatio sit initium instituendarum actionum, & Iuris etiam naturalis esse videatur, nisi causa sit tam notoria, ut reo nulla competere defensio queat. Ad hanc porro citationem etiam pertinet libelli (qui nihil aliud est, quàm brevis scriptura complectens claram actoris petitionem, & contra Reum ad ejus condemnationem concludens) oblatio.

Deducitur 3. Ad hoc, uti sententia valida fit, litis contestationem

stationem quoque necessariam esse, quæ nihil aliud est, quàm initium Iudicii, quod fit per petitionem Actoris in Iudicio factam, & secutam Rei responsionem animo litigandi.

PRINCIPIVM VII.

Cùm partium Iura sunt obscura, Reo potiùs favendum est, quàm Actori.

Sensus.

Hoc est, quando Actor aut nihil probat, aut non nisi æqualiter probabiles rationes affert, tum pro ipso Reo potiùs ferenda est sententia, quàm pro Actore modò; non sit controversia de re favorabili, puta de dote, libertate, testamento, Matrimonio, &c. in his enim casibus potiùs Actori favendum est, uti in le. Titia. 59. ff. de manumissis testam & le. in ambiguis 85. ff. de reg. Iur. & le. si pars 10. ff. de inoff. testam. & c. continebatur 6. de desponſ. impub definitur.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. cap. fin. reg. 11. & ex le. 125. ff. de reg Iur. ubi dicitur: Favorabiliores Rei potiùs, quàm Autores habentur; & illud explicant etiam, & tuentur Caniſ. Decius, Dynus, ac Barbosa axiom. 199.

Ratio.

Quia, cùm agatur de re sua ipsi Reo adimenda, meritò tamdiu melior debet ipsius ut possidentis esse conditio, donec validioribus argumentis de sua possessione dejiciatur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui in judicio petit restitutionem sibi fieri, non esse exaudiendum, si non legitimè probaverit, rem ad se pertinere, uti in cap. Inter dilectos. 6. de fide instrum. dicitur & clariùs in cap. fin. de jurej. his verbis: Actore non probante Reus, etsi nihil præstiterit, absolvitur.

Deducitur 2. Quando utrinque Testes æquales in aliqua probatione adducuntur, pro Reo pronunciandum esse, si cætera sint paria; cùm promptiora sint jura ad absolvendum quàm condemnandum, ut suprà ex cap. Ex literis. 3. de prob. dictum est.

Deducitur 3. Si duorum Ordinariorum unus Reum absolvit,

solvit, & alter condemnat, illius sententiam præferendam esse, qui pro Reo decidit, uti in cap. fin. de sent. & re judic. definitur.

PRINCIPIVM VIII.

Non debet Actori licere, quod Reo non permittitur.

Sensus.

Hoc est, quando specialis aliqua ratio, eaque major non militat pro Actore, tum nullum ei privilegium aut facultas in judicio concedenda est, quæ non eodem modo etiam Reo competere debeat.

Authoritas.

Desumptum est ex le. 41. ff. de reg. Iur. item ex le. 6. decret. reg. 32. illudque referunt, & tuentur Canis. Decius, & Dynus.

Ratio.

Quia, cùm favorabiliores sint partes Rei, quàm Actoris, recte infertur, non esse plus permittendum Actori, quàm Reo, nisi specialis aliqua ratio pro eo militet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si Actori beneficium Appellationis conceditur, etiam Reo id concedendum; & vicissim si Reo id negetur, etiam Actorem eo carere debere, uti in c. 2. de mutuis petit. dicitur.

Deducitur 2. Sicut Reus post litem contestatam mutare Procuratorem aut litem in se transferre non potest, ita nec Actori id licitum esse debere, uti in le. post litem. 17. ff. de Procur. habetur.

Deducitur 3. Si Actor impetravit, ut Reus cogatur personaliter comparere etiam ipsum debere adesse judicio in propria Persona, uti Decius cum aliis in cit. reg. docet. Aliud foret, si Reus vellet perinde ex variis Iudicibus unum eligere, sicut Actori licet; sic enim cùm Reus eludere posset judicium, utique hoc ei permitti non debet, uti in le. fin. C. ubi in rem actio. & le. quod legatur 38. ff. de judic. deciditur.

PRINCIPIVM IX.

Non censeri debet sententia Iudicis rata, quæ non fertur secundùm allegata & probata.

Sensus.

Hoc est, Iudex in sententia ferenda non debet proprium animi motum, aut privatam scientiam sequi, sed secundùm allegationes & probationes in judicio prolatas procedere.

Authoritas.

Desumptum est ex c. 6. de Renunc. & c. Iudicet. 3. q. 7. ubi ex S. Ambrosio s. 20. in Psalm. refertur hæc sententia: *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ propositio voluntatis, sed juxta leges & jura pronunciat.*

Ratio.

Quia, ut Laym. l. 3. tr. 6. c. 2. n. 6. discurrit, jure Gentium judicandi potestas tali conditione Magistratibus collata est, ut ea non nisi secundùm publicas allegationes utantur; siquidem id maximè reipublicæ interest, ne alioqui prætextu privatæ notitiæ publica judicia ab improbis pervertantur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiamsi judex privata notitia aliquem reum esse cognoverit, non posse tamen eum condemnare, si juridicè innocens sit probatus, uti S. Thomas & alii communiter, teste Laym. l. c. docent.

Deducitur 2. Etiam cùm Innocentem aliquem esse novit Iudex, probabiliter absolvere non posse, quamdiu secundùm publicas probationes nocens apparet, uti idem S. Thomas & alii apud eundem Laym. docent; licet ipse & Lugo, Fill. Bonac. in hoc casu veriùs contrarium putent, eò quòd sit intrinsecè malum, directè innocentem occidere.

Deducitur 3. Multò magis in Civilibus & criminalibus minoribus causis, ubi tantùm de pecuniariis pœnis agitur, posse judicem secundùm allegata & probata procedere; tum quia Innocens per appellationem potest in integrum restitui; tum quia Respublica habet potestatem in bona suorum civium, quando bonum publicum id requirit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRINCIPIVM X.

Non requiritur alia probatio, quando præcedit propria confessio.

Sensus.

Hoc est, cùm quis in judicio crimen suum ultro & sponte fatetur, non est necesse, ut Iudex ulteriorem probationem exigat, sed potest mox ad sententiam ferendam procedere.

Authoritas.

Desumptum est ex le. unic. C. de Confessis, ubi dicitur: Confessio propria facit plenam probationem, in præjudicium confitentis. *Ratio.*

Quia, cùm nemo censeatur sponte sibi injuriam facere velle, meritò etiam nefas est in dubium revocare propriam confessionem; hinc ista excellentior omni probatione, omnium probationum illustrissima, & Regina vocatur à Menochio, & aliis, teste P. Gobat acc. canon. tr. 5. c. 30. 42. & 199.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si Reus extra torturam crimen ultro confiteatur, non esse ulteriora criminis commissi & confessi indicia inquirenda, uti communis sensus Doctorum & praxis Tribunalium confirmat.

Deducitur 2. Confessarium, licet vix credere possit, crimen aliquod vel plura à Pœnitente fuisse commissa, tamen credere ipsi debere, si illa confiteatur, uti iterum communis sententia docet.

Deducitur 3. Si ex duobus complicibus unus se apud Confessarium accusset de peccato commisso, alter reticeat peccatum, confessionem propriam non esse in dubium revocandam, nec alteri etiam absolutionem negandam, uti iterum ex mente Suar. Fagund. Dian. & aliorum docet Busenbaum. l. 6. tr. 4. c. 2. du. 6.

PRINCIPIVM XI.

Non est admittendus ad Iudicem, qui propriam allegat turpitudinem.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis in causa non criminali, nec animæ suæ,

suæ, aut alienæ salutem concernente, de se, aut alio crimen fatetur, non debet accipi hæc confessio à Iudice pro legitimo testimonio aut argumento ad faciendam probationem.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Inter dilectos. 8. de donationibus. Item ex le. Mercalem. 5. C. de condictione ob turpem causam; illudque refert & approbat Barbosa axiom. 221. cum pluribus aliis

Ratio.

Quia, cùm nemo præsupponatur seipsum infamare, nisi in favorem suæ aut alienæ salutis; nec quisquam præsumatur malus, nisi probetur, rectè constitutum est, ut turpitudinem allegans extra allatos casus neque pro se, neque pro alio audiatur. *Praxis.*

Hinc deducitur 1. Eum, qui fatetur donationem à se factam cum perjurio aut alio simili vitio, non esse audiendum in judicio, uti ex cit. cap. Inter dilectos, &c. Cùm profitearis. 4. C. de revoc. donat. colligitur.

Deducitur 2. Maritum, qui petit in judicio sibi adjudicari pretium promissum pro uxore, quam adulterandam alteri commisit, velut iniquum Petitorem esse repellendum, uti ex cit. le. Mercalem, colligitur.

Deducitur 3. Eum, qui fatetur in transactione dolum à se commissum fuisse, non posse petere, ut alio modo fiat transactio, uti in l. Transactione. 30. C. de Transact. deciditur.

PRINCIPIVM XII.

Testis producens argumentum destruit Testimonii sui firmamentum.

Sensus.

Hoc est, si Testis nitatur variis argumentis assertionis suæ probabilitatem conciliare, hoc ipso indicat, se certum non esse de assertione sua, atque adeò ad probationem faciendam, dicendumque testimonium non admittitur.

Authoritas.

Desumptum est ex Alex. Consil. 50. n. 12. l. 5. apud P. Gobat. tr. 9. n. 491. & communi sensu Authorum.

Ratio.

Quia cùm Testi testimonium de facto sensibus propriis percepto ferre debeat, meritò repellitur à Iudice, si aliis argumentis probare facti speciem nitatur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui tantùm profitetur, se ab aliis audivisse, quòd hoc vel illud crimen ab alio sit commissum, legitimum Testem esse non posse, uti Layman l. 3. tr. 6. c. 4. n. 5. cum pluribus à se cc. docet, & collligitur ex cap. Licet. 47. hoc tit. & communi axiomate, quo dicitur plùs valere oculatum testem, quàm auritos decem.

Deducitur 2. Si Testis probabilia duntaxat indicia criminis afferat, etiam in hoc casu testimonium illius legitimum non esse, uti idem Laym. l. c. n. 7. cum pluribus iterum affirmat.

Deducitur 3. Non esse idoneum testimonium Titii, si interrogatus à Iudice, an Cajus homicidium fecerit? affirmet, Cajum Homicidam esse, & testimonii sui causam afferat, se illum ex domo occisi sanguine conspersum exire vidisse, quia Titius hoc modo non deponit de ipso crimine, sed de indicio duntaxat. Vide Laym. l. c. n. 7.

PRINCIPIVM XIII.

Inanis est probatio, quæ sumitur ex Rei domo.

Sensus.

Hoc est, quando testimoniis aliqua causa decidenda est, & pro Testibus non alii, quam Domestici habentur, perinde irrita censeri debet probatio, ac si nullus Testis adhiberetur, excepta causa matrimoniali, uti ex cap. Licet. 47 de Testibus colligitur.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Ex literis. 24. de Testibus & atteſt. Item ex le. de minore. 10. ff. de quæstionibus. Et le. Etiam. 3. C. de Testibus; illudque approbant communiter Doctores.

Ratio.

Quia, cùm testimonium debeat omnem falsitatis suspicionem excludere, meritò pro testimonio ferendo minùs aptæ

aptæ censentur Personæ illæ, quas pronum est ob arctissimam Naturæ, sanguinisque conjunctionem, aut servilem timorem, ad testimonium pro Reo, sive verum, sive falsum sit, ferendum inclinari.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Parentes & Liberos adversus se nec volentes ad testimonium admittendos esse, uti in le. Parentes. 6. C. de Testibus deciditur.

Deducitur 2. Nec Famulos & Ancillas, quos Reus de domo sua produxerit, pro legitimis Testibus agnoscendos esse, uti in le. Servi. 7. ff. de Testibus deciditur, idemque de Libertis etiam sentiendum, ex le. Libertorum. 12. C. de Test. colligitur.

Deducitur 3. Multò minùs pro seipso Reum in sua causa testari posse, uti in le. Nullus. 10. ff. de Test. dicitur.

PRINCIPIVM XIV.

Non affert Testis efficax testimonium, nisi firmum adijciat Iuramentum.

Sensus.

Hoc est, nisi Testis, antequam ferat testimonium, juret se dicturum, sive interrogetur, sive non, quæ pro utraque parte novit, nulla falsitate admixta, ex nullo odio, vel amore, aut pretio, ut ex Glossa cap. Fraternitatis. V. Iuram. colligitur, non debet Testimonium illius legitimum haberi, nisi tale juramentum à parte adversa remittatur, ut in cap. Tuis. de Test. dicitur; aut certè Personæ testantes sint hujusmodi, quæ jurare non soleant, quales censentur Papa, &, ut Andreas Gail apud P. Gobat accus. canon. c. 42. n. 102. & seq. in Germania observari ait, etiam Nobiles & Illustres Personæ, quæ sub fide duntaxat sua per scripturã & sigillum deponere solent: aut aliæ Personæ, quæ per privilegium habent, ut jurare non teneantur.

Authoritas.

Desumptum est ex textu expresso cap. Nuper. 51. de Testibus, ubi dicitur: Nullius testimonio, quantumcunque Religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. Et le. Iurisjurandi. C. de Testibus.

Ratio.

Ratio.

Quia, cùm in Iudiciis & Tribunalibus vel maximè Iustitia vigere debeat, meritò etiam magna valde certitudo de veritate probationum requiritur, utpote quæ sunt fundamentum sententiæ in judicio ferendæ.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eos, qui juramenti præstandi incapaces sunt (quales censentur infames, amentes, aut pleno rationis usu carentes) etiam Testimonii ferendi incapaces censeri debere, uti per se constat.

Deducitur 2. Eos, qui ad testimonium dicendum cogi possunt, hoc ipso etiam ad juramentum cogi posse, nisi sint Personæ exceptæ, de quibus supra dictum.

Deducitur 3. Iuramentum hoc non posse præstari ab eo, qui per solum auditum aut famam aliquid novit, ut rectè notat P. Gobat accus. canon. c. 42. n. 110. contra Moncadam ib. c.

PRINCIPIVM XV.

Inefficax est probatio, quam facit unius Testis assertio.

Sensus.

Hoc est, quando probatio aliqua per Testes facienda est, tum licet adsit unus Testis omni exceptione major, tam parùm tamen sufficiet ad probationem plenam faciendam, quam si nullus adesset, nisi sint causæ non judiciales, & non præjudicantes tertiæ personæ (ut cùm de baptismo collato, Ecclesia consecrata testimonium ferendum est) aut in quibus de peccato impediendo agitur, ut in denunciatione impedimenti matrimonii contrahendi, inhabilitatis ad ordines conferendos &c. uti Laym. l. 3. tr. 6. c 4. n. 6. notat.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Licet. 23. & c. Veniens. 10. de Test. & Accus. Item ex l. e. Iurisjurandi. C. de Test. illudque approbant unanimiter Theologi & Iurisconsulti, teste Lessio apud P. Gobat accus. canon. c. 42. nu. 81. unde nata sunt axiomata hæc: Vox unius, vox nullius: Vnus Testis, nullus Testis.

Ratio.

Ratio.

Quia, ut Christus ipse Matth. 28. dixit: *In ore duorum aut trium Testium stat omne verbum*; difficiliùs scilicet est, duos falli aut corrumpi, quàm unum, adeoque in favorem illius, contra quem probatio suscepta est, meritò duo saltem Testes requiruntur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si duo jurati Testes testentur de aliquo crimine, & eorum alter sit socius criminis, nullam esse probationem, cùm unius tantùm, scilicet innocentis testimonium sit legitimum, ut in c. Veniens cit. definitur.

Deducitur 2. Etsi Iudex, quantæcunque sit authoritatis (excepto summo Pontifice) aliquid affirmet & testetur, non esse tamen ei fidem in causis probandis adhibendam, uti in c. cùm à nobis. 27. de Test. dicitur.

Deducitur 3. Si in loco, ubi Tridentinum receptum est, unus tantùm Testis cum Parocho testetur, matrimonium esse contractum, invalidum esse matrimonium, uti ex Tridentino Concilio Sess. 24. c. 1. colligitur.

PRINCIPIVM XVI.

Ad testimonium in tribunali dicendum admittitur, quisquis à Iure non excluditur.

Sensus.

Hoc est, Omnis ille Homo in Tribunali idoneus, &, ut c. 1. de consanguinit. & affinit. vocatur, omni exceptione major Testis reputandus, atque ad testimonium dicendum admittendus est, qui nulla exceptione legitima repelli potest; hinc Menochius, Felinus & Decius apud P Gobat. accus. canon. c. 42. n. 2. ajunt, Testium regulam permissivam esse, ut censeantur idonei omnes, qui expresè prohibiti non inveniuntur, seu, quibus nihil deest eorum, quæ ipsum Ius naturale exigit, ad id, ut prudenter iis Fidei haberi possit; quales Lessius l. 2. de just. c. 30. dub. 5. n. 35. censet eos omnes esse, qui usu rationis perfecto sunt præditi, nisi aliquid in illis reperiatur, ob quod Ius velit minùs idoneos censeri.

Autho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Authoritas.

Desumptum est ex le. 1. ff. de Testib. & approbatur communiter à Doctoribus.

Ratio.

Quia, cùm ex una parte sæpe in Tribunalibus aliæ probationes, quàm Testium haberi non possint; ex altera verò parte ipsa ratio dictet, fidem haberi posse illi, qui nullam legitimam falsitatis suspicionem præbet, meritò illi, qui à Iure pro talibus habentur, ad testimonium dicendum admitti possunt.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Nec Furiosos & amentes, nec impuberes, aut minores viginti annis ad testimonium dicendum admitti, uti ex variis textibus & legibus probant Authores.

Deducitur 2. Etiam Mulieres (in causa testamentaria, & publico judicio per accusationem instituto duntaxat, uti ex c. Foras. & c. Mulierem. 33. q. 5. colligitur) & Servos (uti habetur in le. Servi. ff. de Testibus) & Pauperes (si suspecti sint, ne ob lucrum falsum testentur) à testimonio dicendo repelli.

Deducitur 3. Neque Hæreticos (saltem non toleratos) contra Orthodoxum; uti ex cap. Si Hæreticus. 2. q. 7. colligitur; neque infames jure vel facto pro Testibus admitti, uti ex reg. pen. de reg. Iuris in 6. deducitur, ubi dicitur, quod infamibus portæ dignitatum patere non debeant; atque adeò nec ad testimonium dicendum, cùm testimonii dicendi jus sit generosa dignitas, uti in c. Præceptum. 32. q. 5. habetur.

PRINCIPIVM XVII.

Obligatur quisque ad dicendum testimonium, si Iudicis legitimi exigat imperium.

Sensus.

Hoc est, Quandocunque Iudex ab aliquo sibi Subdito iustè & legitimè petit, ut de crimine vel alio facto quopiam edicat, quod proprio sensu cognoverit, tenetur in conscientia respondere. Censetur autem Iudex legitimè id petere, quando cujuspiam justa accusatio, infamia, vel denunciatio criminis,

nis, semiplena probatio criminis, vel alia indicia ad Testes examinandos sufficientia præcesserint, sicut ex communi docent Lessius l. 1. c. 30. du. 7. & Laym. l. 3. tr. 6. c. 4. n. 8.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Thoma 2. 2. q. 70. a. 1. & aliis apud & cum Laym. l. c. & colligitur ex tit. lib. 2. decret. de Testibus cogendis.

Ratio.

Quia justo Superioris præcepto parendum est; ergo cùm in præsenti casu Iudex legitimè exigere testimonium supponatur, meritò ei parendum dicitur, ita, ut, si nolit, etiam per torturam ad id cogi quis queat, quemadmodum Clarus & Farinacius apud Laym. l. c. docent.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiamsi quis ab Adversario esset juramento adstrictus, ne testimonium contra ipsum ferat, adhuc tamen cogi ad id dicendum posse, uti ex c. Pervenit. 4. de Test. cog. & c. Constitutis. 1. de Test. colligitur.

Deducitur 2. Licet sint aliqui privilegiati, ne cogantur ad testimonium dicendum, id tamen tunc tantùm locum habere, si alii Testes haberi queant, ut ex communi docet Hostiensis.

Deducitur. 3. Etiamsi quis per se non obligetur ad testimonium ferendum, si sibi vel suis notabile damnum ex eo immineat; hoc tamen non intelligi de atrocibus & republicæ perniciosis criminibus, quæ aliter impedire non possunt, uti ex Navarr. Layman n. 9. docet.

PRINCIPIVM XVIII.

Plus creditur duobus Testibus affirmantibus, quàm mille negantibus.

Sensus.

Hoc est, quando duo Testes omni exceptione majores affirmant, se aliquid sensu proprio percepisse, tum, etsi alii absolutè negent, se id scire, plùs illis duobus, quàm omnibus negantibus credendum est, modò assertio negativa non sit loco & tempore coarctata, in tali enim casu, si sub sensum cadat,

dat, æquè neganti ac affirmanti creditur, ut Franc. Curtius tr. de Test. n. 9. apud P. Gobat accus. canon. c. 42. n. 100. docet.

Authoritas.

Desumptum est ex Glossa in le. diem proferre. ff. de arbitr. & approbatur communiter ab Authoribus.

Ratio.

Quia cùm illi, qui affirmant, positiuum de facto Testimonium afferant; illi verò, qui absolutè & sine determinatione loci & temporis id negant, tantùm asserant, sibi nihil constare de facto, idem faciunt, ac si dicerent, se testari non posse, quòd commiserit, vel non commiserit crimen.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si quis in certo loco à duobus Testibus in crimini deprehensus sit, etiamsi alii omnes, qui in loco illo præsentes non fuerunt, contrarium testentur, audiri istos non debere, uti ex cit. Glossa colligitur.

Deducitur 2. Si Petrus crimen aliquod certo die commiserit, idque pro hoc tempore duo Testes testentur; alii verò multi testentur, se alio die non vidisse eum hoc scelus committentem, etiam in tali casu plùs affirmantibus, quàm negantibus credendum esse, uti ex eadem Glossa colligitur.

Deducitur 3. Si duo affirment, se Paulum certo loco & tempore peccantem vidisse, & decem alii testentur, se eodem in loco & tempore ipsum vidisse, nec tamen de peccato testari posse; in tali casu æquè aut plùs his negantibus, atque illis affirmantibus credendum esse, uti P. Gobat l. c. cum Curtio docet.

PRINCIPIVM XIX.

Nullus defensionibus pluribus uti prohibetur.

Sensus.

Hoc est, quando quis una via se defendere cœpit, eamque advertit sufficientem non esse, non prohibetur aliud defensionis genus assumere, modò non renuntiaverit huic Iuri (uti factum videtur, dum in cap. Veniens. 19. de præscript. exceptio præscriptionis post exceptionem privilegii priùs objectam

ctam non admittitur) aut per legem non prohibeatur, cujusmodi casus plures à Glossa super le. Nemo. 43. ff. de reg. Iuris censentur.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. fin. reg. 20. Item ex le. Nemo. c. ubi sic exprimitur: Nemo ex his, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impediat. Sed & approbant illud, & explicant Canisius, Dynus & Decius in cc. reg.

Ratio.

Quia, cùm nihil magis naturale sit, quàm se, suaque defendere, meritò non una tantùm, sed pluribus viis defensio talis permittitur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui hominem à se occisum ab initio negavit, posse, si postea convictus sit, recurrere ad exceptionem, quòd ob tutelam corporis occiderit, uti Canisius in cit. reg. 20. Decio ad c. Pastoralis. n. 15. de except. docet.

Deducitur 2. Eum, qui ex allatis rationibus succumbit, posse ad Testes confugere, uti communis sententia & praxis docet.

Deducitur 3. Eum, contra quem probatum est, jure possessionem aliquam illi non competere, posse se per exceptionem præscriptionis defendere, uti in ℒ. ad hæc. 13. q. 2. c. 1. dicitur

PRINCIPIVM XX.

Res judicata pro veritate accipitur.

Sensus.

Hoc est, quando sententia semel à Iudice lata est, & non probari potest manifestè nulla aut notoriè injusta esse, tum perinde acquiescendum illi est à partibus, ac si veritatem ipsam circa controversiæ suæ punctum audivissent, intellige, si sententia talis sit ultimata, à qua appellare non licet.

Authoritas.

Desumptum est ex le. 207. ff. de reg. & ex communi Doctorum in c. Suborta. 21. de sentent. & re judicata, ut ait Barbosa axiom. 200.

Ratio.

Ratio.

Quia sententia præsumitur justè lata, uti idem Baarbosa l.c. n.2. cum plurimis ex c. in præsentia, 6. de renunciatione docet; alioquin enim nullus finis controversiarum foret.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Sententiam, quæ contra rem priùs judicatam lata fuerit, viribus carere, etiam circa provocationis adminiculum, uti in le. Latam. 1. c. Quando provocare, deciditur.

Deducitur 2. Eum, qui per sententiam latam ingenuus declaratus est, pro tali habendum esse, etiamsi priùs Libertinus fuerit, uti in le. Ingenuum. 25 ff. de statu hominum deciditur.

Deducitur 3. Iudicem sententiam semel latam non posse mutare, aut corrigere, aut revocare, uti in le. Quod jussit. 14. ff. de re judicata habetur.

ARTICVLVS VII.

De Principiis ad Religionem pertinentibus.

§. 1.

De Principiis ad Orationem spectantibus.

PRINCIPIVM I.

Debet orare, sollicitè, qui cupit, rectè vivere.

Sensus.

Hoc est, Quisquis vitam suam rectè, &, prout Christianum docet, ordinare desiderat, orationem velut necessarium medium diligenter suo tempore usurpare debet; maximè si tentatio gravis superanda, aut aliud grave periculum aut malum à se, aut communitate avertendum, bonumve aliquod magnum à DEO impetrandum est.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Augustino ho. 40. ubi sic illud proponit: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* Item ex S. Chrysostomo l. 1. de orando Deo, ubi ait: *Arbitror, cunctis esse*

esse manifestum, quòd simpliciter impossibile sit absque præcationis præsidio cum virtute dirigere. Etenim qui fiat, ut virtutem quis exerceat, nisi continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur homini. Vnde Suar. Laym. & hoc teste communiter Theologi dicunt, orationem juxta ordinarium modum à DEO constitutum ad homines salvaldos, esse non tantùm necessitate præcepti, sed etiam medii necessariam.

Ratio.

Quia & rerum Naturis, & suavi Providentiæ ac gubernationi DEI, rationabilium creaturarum cooperationem exigentis congruit, ut, posteaquam homines DEVM Authorem, & infirmitatis suæ Adjutorum agnoverunt, ejus necessarium auxilium quærant, desiderent, & humiliter petant. Hinc Christus dixit Luc. 11. *Petite, & accipietis*, quasi aliter non dandum sit, nisi petatur, ut discurrit Layman. l. 4. tr. 1. c. 1. nu. 2.

Praxis.

Hinc deducitur 1. sine intermissione (morali intellige) orandum esse, ut Christus hortatur Luc. 18. & S. Paulus 1. ad Thess. 4. quia Militia est vita hominis super terram, & ideo, ut Galfridus rectè dixit, nunquam deest orandi necessitas, ubi nunquam est vera securitas.

Deducitur 2. Omnibus, ut S. Hilarius ep. 89. dixit, Orationem Dominicam esse necessariam, quam ipsis etiam Arietibus Gregis, id est, Apostolis suis Dominus dedit, ut unusquisque Deo dicat: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; cui enim hæc in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hic sine peccato vivere pronunciandus est.

Deducitur 3. Omnibus ferè operibus orationem jungendam esse; quia instabilis est bonorum operum structura, quæ devota orationis frequentiam non compaginatur.

PRINCIPIVM II.

Exaudit Deus infallibiliter, si homo petat convenienter.

Sensus.

Hoc est, si Homo debitas conditiones observet, nempe

ut petat necessaria & utilia ad salutem: ut petat piè: ut petat pro seipso, & perseveranter, certum est, quòd obtenturus sit, quod petit.

Authoritas.

Desumptum est ex S Scriptura Matth. 24. *Omnia, quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Item ex S.Thoma 2.2. q.83.a.16.in corp. & communi Theologorum sensu.

Ratio.

Quia, cùm Deus omnes homines salvos fieri velit, idque sine ipsius auxilio obtinere nemo possit, hoc ipso, si talia auxilia convenienter ab ipso petantur, ea indubitatè communicabit. Hinc eleganter S Bernardus S.5 de quadrag. ait: *Nemo nostrum parvipendat orationem suam; dico enim vobis, quod ipse, ad quem oramus, non parvipendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo, & unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus, aut quod novit utilius.*

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiam Peccatores obtenturos, quod petunt, si utilia petant; nam, si Peccatores Deus non exaudiret, fructra Publicanus ille oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori, inquit rectè S. Augustinus tr. 44. in Ioann. Vnde illud Io.19. *Scimus, quia Peccatores Deus non audit;* S. Thomas de peccatoribus qua talibus, id est, petentibus dona Dei, ut peccare possint, intelligendum ait.

Deducitur 2. Causam, cur multi non obtineant, quod petunt, esse, quia conditiones præscriptas non observant juxta illud Iacobi cap.4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd male petatis.* Vnde rectè S. Isidorus l.4.epist. 12. ait, *præcedant à te, quæ exiguntur à te, & tunc demum ea, quæ sunt auxilii divini, subsequantur.*

Deducitur 3. Etiamsi S.Thomas & S. Augustinus addant conditionem, ut pro se petatur aliquid; rectè tamen Suar. Valent. Tolet. apud. Laym. n.10. docere, promissionem Christi etiam ad orationes pro aliis fusas se extendere, si dispositi sint, uti ex S. Iacobo colligitur c. 5. dicente: *Orate pro invicem, ut Salvemini; multùm enim valet deprecatio justi assidua.*

PRIN-

PRINCIPIVM. III

Non implet Ecclesiæ imperium, qui debito modo non recitat Canonicum officium.

Sensus.

Hoc est, qui in Horis Canonicis non observat eas circumstantias, quas oratio tum ex natura sua, tum Horæ illæ specialiter ex præscripto Ecclesiæ requirunt, non satisfecit præcepto gravi, quo obstringitur ad Horas Canonicas recitandas.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. dolentes de celebratione Missarum & in Clem.1.eod.tit.uti Studiosè pariter ac devotè officium dici præcipit Innocentius III. ubi Glossa hæc verba interpretans ait, studiosè quoad officium oris, devotè quoad officium cordis.

Ratio.

Quia, sicut Ecclesia ad ipsam substantiam orationis hujus obligare potuit, ita potuit etiàm certas circumstantias præscribere, quæ in recitandis Horis Canonicis observari debeant; atque adeò, sicut non satisfacit imperio Ecclesiæ, qui ipsas Horas Canonicas omnino omittit, ica nec satisfaciet quoque, qui circumstantias sub gravi obligatione præscriptas negligit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. non satisfacere obligationi suæ illum Sacerdotem, qui sine legitima causa non recitat officium ab ipsa Ecclesia præceptum, sed illud in notabiliter brevius mutat; uti Layman.n.4. cum pluribus aliis sentit.

Deducitur 2. Etiam illum, non implere præceptum Ecclesiæ, qui cum notabili interruptione sine legitima causa recitat Horas Canonicas, uti ex c.nihil 7.q.1.& c.nullus de consecr.d.1.colligitur, & patet ex eo, inquit Layman. num.7. quòd sic unitas & quasi forma orationis ab Ecclesia institutæ solvatur.

Deducitur 3. Etsi non pauci, & graves Doctores solam attentionem ad verba sufficere contendant ad Ecclesiæ præ-

ceptum adimplendum: contrariam tamen sententiam, quæ negat cum voluntaria distractione satisfieri præcepto Ecclesiæ, communiorem, & probabiliorem esse, uti Layman. nu. 10. cum plurimis docet, & ex ipsa natura orationis, quæ est elevatio mentis ad Deum, colligit.

PRINCIPIVM IV.

Non est liber ab omni crimine, qui officium Canonicum non recitat in tempore.

Sensus.

Hoc est, qui in Horis Canonicis consuetum tempus sine justa causa non observat, non est omnino à veniali saltem culpa liber, si privatim eas recitet: secus si in publicis horis ordinem cum scandalo notabiliter inverteret, tum enim meritò graviter peccare dicendus foret,

Authoritas.

Desumptum est ex communi Sensu Doctorum, ut videre est apud Laym. nu. 8. unde natum est illud proverbium ex Hugone relatum: *Ante horam orare* (puta ex legitima causa) *providentiæ est, post horam negligentiæ, in hora obedientiæ.*

Ratio.

Quia non minùs Ecclesia circa recitationem Horarum certum tempus, quam alias circumstantias præscribere potuit: cum ergo ex communi sensu Doctorum & c. 1. de celebr. miss. colligatur, eam certum tempus pro officio divino præscripsisse, meritò hoc perinde ac aliæ circumstantiæ observatur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui Matutinum cum Laudibus absque legitima causa primùm Vespertino tempore diceret, peccato veniali obnoxium fore uti Layman. l. c. cum Suar. Tol. & aliis communiter docet.

Deducitur 2. Etiam illum non immunem fore à peccato veniali, qui Horas minores sine omni honesta causa usque ad noctem differret, vel Vesperas & Completorium manè recitaret, uti idem Laym. l. c. cum aliis docet.

Deducitur 3. Etsi privatim juxta Suar. Azor. Less. & alios communiter licitum sit Matutinum cum laudibus pridie circa finem temporis Vespertini recitare, cum ut S. Thomas quodlibet. 5. c. 28. discurrit, Solemnitas dies sequentis juxta consuetudinem Ecclesiæ à Vesperis præcedentis diei incipiat: in publica tamen recitatione id non licere nisi diebus illis, quibus ipsa Ecclesiæ consuetudo id permittit, uti communiter iterum Authores docent.

PRINCIPVM V.

Obligatur ad divinum Officium, quisquis participat Ecclesiasticum Beneficium.

Sensus.

Hoc est, præter Clericos in Majoribus Ordinibus constitutos, & Religiosos professos ad chorum destinatos, etiam ii Clerici, qui, licet in minoribus tantùm ordinibus constituti. Beneficium aliquod Ecclesiasticum actu participant, & possident.

Authoritas.

Desumptum est ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. in Bulla reform. & communi sensu Authorum.

Ratio.

Quia Beneficium datur propter officium, cùm nihil sit aliud, quam Ius perpetuum percipiendi reditus ex bonis Ecclesiæ ratione spiritualis officii, Ecclesiastica authoritate constitutum.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiam illum teneri ad Officium, qui non omnes fructus Beneficii sui, sed talem duntaxat partem, quæ ad sustentationem sufficit, habet, ut Bonac. apud & cum Busenbaum l. 4. c. 2. du. 1. docet.

Deducitur 2. Etsi aliqui non improbabiliter ab officio divino recitando excusent eos, qui tenue adeò Beneficium possident, ut ad sustentationem non sufficiat, contrariam tamen sententiam communiorem & menti Ecclesiæ Beneficia conferentis conformiorem esse, eò quòd Iura indistinctè omnibus Beneficiatis eam obligationem imponant, tales autem verè etiam sint Beneficiati.

Deducitur 3. Eum, qui culpabiliter omittit officium ad restitutionem partis fructuum officio omisso respondentis fabricæquæ aut pauperibus faciendam obligari, uti Concilium Lateranense cit. & Bulla Pii V. decreverunt.

§. II.

De principiis ad Beneficium Ecclesiasticum Spectantibus.

PRINCIPIVM I.

Nil prodest Beneficium Ecclesiasticum, quod non est Canonicè obtenium.

Sensus.

Hoc est, jus percipieudi reditus Ecclesiasticos nec licitè, nec validè percipere ac possidere potest, qui illud vel per legitimam electionem, vel postulationem, & confirmationem, vel per collationem simplicem, vel ad præsentationem Patroni Ecclesiæ factam non obtinuit; hæc enim per Canonicam Institutionem intelliguntur, uti ex toto titulo de Institut. colligitur.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. de reg. Iuris, illudque defendunt communiter Doctores.

Ratio.

Quia in Ecclesiam Dei non debet esse alius ingressus, quàm per Ostium, cujus Claves Præfectis Ecclesiarum committuntur, ergo, cùm hi non intromittant, nisi per Canonicam Institutionem, rectè infertur, invalidum esse Beneficium, quod non est Canonicè obtentum.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui non servata forma electionis, vel per Simoniam, vel ab eo, qui Ius non habuit, electus est ad Beneficium, non posse illud validè & licitè retinere, uti ex cap. quia propter 42. de elect. & cap. Sacrosancta 51. eod. colligitur.

De-

Deducitur 2. Nec eum, qui à Patrono Laico absque authoritate Superioris Beneficium obtinuit, validè illud possidere, uti decisum habetur in cap. 4. 8. 10. 15. de Iure Patronatus, ubi Clerici tali modo Beneficia recipientes communione privantur.

Deducitur 3. Nec Beneficii nondum vacantis collationem validam esse, uti ex c. 2. de concess. præb. colligitur.

PRINCIPIVM II.

Invalidè possidet Beneficium, quem Iura non agnoscunt idoneum.

Sensus.

Hoc est, qui ætatem, scientiam, Clericatum, probitatem, aliasque qualitates ad Beneficiatum ab Ecclesia requisitas non habet, non potest bona conscientia Beneficium possidere.

Authoritas.

Desumptum est ex Concilio Tridentino sess. 21. 22. & 23. de reform. & communi sensu Authorum.

Ratio.

Quia, cùm Beneficium propter officium detur, hoc ipso, si ob defectum idoneitatis officium administrare non potest, etiam Beneficio frui non debet.

Praxis.

Hinc deducitut 1. Eum, qui in simplici Beneficio fruendo ætatem annorum saltem quatuordecim; aut Majorem etiam, si ordo qui ad Beneficium possidendum requiritur, eam exigat non habet non posse ad Beneficium tale promoveri. Vti Concilium Trident. sess. 24. c. 12. de reform. decrevit.

Deducitur 2. Etiam illegitimos non dispensatos Beneficii incapaces, esse, uti ex c. 1. de Filiis Presbyterorum in 6. colligitur. Imò nec naturales aut veri Filii in eodem vel simili Beneficio Patri succedere possunt, uti in cap. quoniam cap. vel extirpandas de Filiis Presbyt. definitur.

Deduc. 3. Eum, qui voluntatem saltem conditionatam clericandi (ut loquuntur Authores) & Sacrum ordinem à Iure requisitum suscipiendi non habet, Beneficium accipere non

Universidad de Deusto
Biblioteca

posse; & si curatum Beneficium absque tali voluntate susceperit. ipso Iure privatum, & ad fructuum restitutionem obligatum esse, uti ex cap. commissa §. 7. de Elect. in 6. colligitur.

PRINCIPIVM III.

Quid sentit commoda Beneficii, sentire debet & onera officii.

Sensus.

Hoc est, quicunque fructus Collati Beneficii percipit, non recusare debet obligationes Beneficio annexas, propter quas ejusmodi fructus conceduntur.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. ult. reg. 55. item ex le. 10. ff. de reg. Iuris, ubi dicitur, Secundùm naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incomoda. Illudque approbant & explicant Canisius, Decius, Dynus, & Barbosa axiom. 169. n. 3.

Ratio.

Quia alioqui onera in paucos conjicerentur, atque adeò æquitas naturalis & Iustitia non observaretur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Beneficiatum, qui fructus competentes actu ex Beneficio percipit, etiam ad officium divinum recitandum obligari, uti ex cap. significatum 11. de præbendi colligitur.

Deducitur 2. Etiam ad Residentiam obligari Beneficiatum, ita ut ultra tres menses (ubi Concilium Tridentinum receptum est) non liceat illi abesse ab Ecclesia, cujus fructus percipit, uti in sess. 24. c. 12. de reform. & tit. de clerico non resid. colligitur.

Deducitur 3. Distributionibus quotidianis non gaudere eum Beneficiatum, qui officio divino præsens non est, & per corporalem infirmitatem, aut necessitatem, aut evidentem Ecclesiæ utilitatem non excusatur, ut Bonifacius VIII. de cler non residente in 6. definivit, & Concilium Trid. sess. 24. c. 12. de reform. confirmavit.

PRIN-

PRINCIPIVM IV.

Non est tutus in conscientia, qui plura possidet Beneficia.

Sensus.

Hoc est, qui plura Beneficia incompatibilia vel compatibilia, quorum unum quodque honestam sustentationem offert, possidet, non potest ea absque peccato & obligatione restituendi possidere, nisi talis pluralitas per causam justam, aut consuetudinem immemorialem cohonestetur.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. is, cui de præb. in 6. ubi dicitur: Is, cui conceditur, ut authoritate Apostolica possit uni Personæ idoneæ in sua vel aliena Ecclesia providere, alicui aliud beneficium sufficiens obtinenti providere non potest. Item ex cap. postulasti da rescriptis & cap. cùm teneamur de præb. Et communi consensu Theologorum hanc pluralitatem juri naturæ repugnare asserentium.

Ratio.

Quia alioquin Ecclesiastici raditus malè & inutiliter dispensantur, divinus cultus imminuitur (dum unus loco pluriun instituitur) & in aliquibus Beneficiis etiam de fraudatio voluntatum Testatorum sequitur, ut qui ad hoc bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi esset, uti S. Thomas quod l. 9. a. 15. discurrit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eos, qui plures Canonicatus aut Episcopatus possident, non posse illos retinere, nisi ex immemorabili consuetudine (qualem Layman in Germania vigere putat) residentia paucorum duntaxat mensium requiratur.

Deducitur 2. Non esse causam sufficientem ad plura Beneficia percipienda, si aliquis fructus de alterutro pauperibus distribuere velit; quia aliæ adhuc deformitates, videlicet Ecclesiæ damnum, inæqualitas distributionis, &c. non tolluntur.

Deducitur 3. Si habens Beneficium curatum vel Personatum aliud susceperit, prius Beneficium ipso Iure vacare, uti in c. de multa de præb. Innocentius III. decidit.

§. III.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. III.

De Principiis ad Iuramentum pertinentibus.

PRINCIPIVM I.

Non est illicitum Iuramentum, si debito modo, causaque sit factum.

Sensus.

Hoc est, etsi per se optandum sit, ut nullum unquam Iuramentum fieret (uti Christus Matt. 5. indicavit, dum dixit: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino*) si tamen conditiones ad jusjurandum à S. Hieronymo & Theologis communiter requisitas, scilicet veritatem, justitiam, & discretionem habeat, non modò non illicitum, sed laudabile, & verus Religionis actus est.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura c. 1. Deut. ubi dicitur: *Illi soli servies, & per nomen ejus jurabis.* Item ex Hieremiæ 4. cap. ubi ait Propheta: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, & justitia.* Et S. Thomas cum Theologis unanimiter consentit.

Ratio.

Quia pertinet ad cultum & venerationem Dei, ejus ininfallibilem veritatem & authoritatem agnoscere ac prædicare, quod per Iuramentum contingit. Vnde & passim in Iure utroque Iuramentum Religio vocatur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. non temerè, & levi de causa esse jurandum, cò quòd quandà irreverentiam contineat tale jusjurandum, & in perjurii periculum præcipitet; unde salubriter monet Salomon Eccles. 23. *Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus sunt in illa.*

Deducitur 2. Rectè tum ab Ecclesia in professione Fidei, & aliis similibus casibus, tum à Magistratu civili tam in suscipiendis muneribus, quàm decidendis litibus juramentum exigi, cùm ejusmodi actus firmitatem voluntatis requirant, nulla autem major firmitas dari possit, quàm quæ per invocationem Dei in Testem procuratur.

Dedu-

Deducitur 3. rectè S. Hieronymum in c. 4. Ierem. juramento tres Comites sociasse, *veritatem* scilicet, ut non fiat in confirmationem Falsi aut Mendacii: *judicium*, ut cum prudente Intellectus consideratione, pia ac reverente voluntatis affectione, nec sine necessitate aut magna utilitate juretur: *justitiam*, ut testimonium divini Numinis æquissimi non adducatur in confirmationem rei aut dicti iniqui, sive peccato obnoxii, ut docet Sotus l. 8. de just. q. 1. a. 2. nam si unus ex his Comitibus desit, juramentum non jam debet modo & causa fiet.

PRINCIPIVM II.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Iuramentum.

Sensus.

Hoc est, Quotiescunque juramentum aliquod vergit in alienæ salutis dispendium, aut æternæ salutis præjudicium tum hoc ipso cessat obligatio illius.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. ult. reg. §8. Item in c. in malis 22. q. 4. illudque referunt, explicant, & defendunt Canis. & Dynus in cit. reg. Item Barbosa axiom. 134. n. 6. cum multis aliis.

Ratio.

Quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, ut dicitur in cap. cùm contingat 28. de jurej. foret autem, si contra bonos mores præstaretur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui malum rem alteri promisit, non obligari ad promissionem exolvendam, etiamsi juramento eam confirmarit, uti ex reg. cit. deducit Canis. in reg. 69. Iuris.

Deducitur 2. Sponsalia posteriora etiam cum juramento contracta non obligare uti Ferdin. de Castro p. 5. d. 1. pu 22. n. 2. cum Sanch. & aliis communiter docet.

Deducitur 3. Si quis juret, se crimen Titii Iudici legitimè interroganti non manifestaturum, tale juramentum no

obli-

obligare, eò quòd cedat in præjudicium Reipublicæ, & justæ gubernationis.

§. IV.

De Principiis ad votum pertinentibus.

PRINCIPIVM I.

Votum in Deo non respicitur, quòd non de meliori bono esse cognoscitur.

Sensus.

Hoc est, quotiescunque illius rei, quæ vovetur oppositum seu carentia gratius est, quàm ipsa res voto promissa, irritum est votum, atque adeò Deo ingratum.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Thoma q. 88. a. 2. & communi Sententia Theologorum.

Ratio.

Quia, cùm Deo, qui, ut S. Paulus ad Thessal. 1. c. 4. ait, est sanctificatio nostra, magis placeat opus, quod majus & melius est, quàm oppositum, manifestè sequitur, placitum illi esse non posse, si quis ad eligendum minus se obliget.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Votum de lusu, vel choreis, aut alia simili materia frequentandis irritum esse, eò quòd ab his abstinere plerumque Deo gratius, & majoris virtutis ac meriti existat, ut Layman. l. 4. tr. 4. c. 2. n. 11. ex Suar. & aliis notat

Deducitur 2. Etiam votum Matrimonii contrahendi ordinariè validum censeri non debere (nisi per accidens ad majus proprium aut alienum bonum promovendum specialem aliquam bonitatem, & continentia majorem sortiatur) eò quòd oppositus continentiæ status utpote animum à carnis voluptatibus, & curis sæcularibus liberum efficiens melior censeatur, uti idem Lay. l. c. n 12. cum communi docet.

Deducitur 3. Idem dicendum esse, si quis Episcopatum v. g. aut similem Prælaturam, nisi legitimum Superioris imperium, aut alia necessitas cogat, se non accepturum voveret; uti idem Laym. n. 14. cum S. Thom. Suar. Sanch. Rodriq. & aliis docet.

PRINCIPIVM II.

In grata Deo est voventis promissio, si non sequatur rei promissæ redditio.

Sensus.

Hoc est, etsi per se omne votum Deo gratissimum sit, si tamen non debita quoque diligentia & conatus in ipso voto implendo adhibeatur, tantùm Deo displicet neglecta impletio, quantùm priùs ipsa voti oblatio placebat.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura Eccl. 5. ubi dicitur: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis: & stulta promissio.* Item ex cap. qualiter de pactis. ubi dicitur: *Studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleamus.*

Ratio.

Quia, si inter homines bonæ fidei contractus nulla solent ratione dissolvi, quantò magis pollicitatio, quam cum DEO pepigit homo, sine vindicta, solvi non poterit, ut S. Gregorius ad Bonifacium scripsit. Hinc rectè & breviter S. Bernardinus ep. 2. ad Fulcon. ait: *Iustè exigitur ad solvendum, qui non cogitur ad vovendum.*

Praxis.

Hinc deducitur 1. Non posse voventem à voto suo recedere, aut illud mutare, nisi in melius, aut (ut aliqui putant contra communiorem & veriorem sententiam) saltem æquale commutet. Quia si in melius mutat, præstantius quid Deo offert, unde tunc locum habet, quod in cap. 1. de voto & c. pervenit ibid. dicitur? *Promissum non infringit, qui illud in melius commutat.*

Deducitur 2. Etiam ab alio non sine causa votum commutari, aut dispensari posse; uti Laym. c. 8. n. 4. cum pluribus docet; eò quòd potestas dispensandi & commutandi in jure Superioris, id est, Deo collata sit in ædificationem, non in destructionem, rescissio autem voti sine causa in destructionem cederet.

Dedu-

Deducitur 3. Neque irritationem voti à quovis fieri posse, sed ab eo duntaxat, qui potestatem dominativam habet in alterum (uti Pater in liberos, Maritus in uxorem, Superior in Subditos) & in cujus præjudicium ejusmodi vota cedunt, uti communis sententia Theologorum docet.

§. V.

De Festorum & Iejuniorum observantia.

PRINCIPIVM I.

Nescit legitimè Festa observare, qui præsumit serviliter laborare.

Sensus.

Hoc est, Præceptum Ecclesiæ de diebus Festis piè & religiosè observandis transgreditur, qui sine legitima causa opera servilia, id est, mechanica & illiberalia, laborem corporis tantùm exigentia, ab operariis duntaxat, ac servis fieri solita exercet.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Clemente l. 8. constit. c. 39. S. Augustino S. 251. & 252. Innocentio 1. in Epist. ad Decentium c. 4. & communi SensuDoctorum & Fidelium praxi.

Ratio.

Quia decet, ut Deo quidem certis temporibus perfectior cultus exhibeatur, Famulis verò & brutis laborantibus quandoque respirandi & quiescendi facultas concedatur; atqui ad utrumque hunc finem vel maximè conducebat abstinentia à servilibus laboribus, ergo meritò præcipiebatur ab Ecclesia; maximè cùm & ipse Deus in veteri lege exemplo præiverit, & Exod. 20. præceperit: *Non facies omne opus in eo.*

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiam illos hoc præceptum violare, qui recreationis duntaxat, & non lucri causa opera servilia exercent, eò quòd hæc intentio sit prorsus impertinens ad præceptum, uti Laym. Suar. & alii communiter contra Canonistas docent.

Deducitur 2. Eos quoque contra hoc præceptum facere, qui laboriosam, & ex officio competentem venationem & piscationem exercent, uti Escobar. & alii apud Busenb. & Layman docent, licet hæc excusent, si recreationis tantùm gratia, & moderatè fiant.

Deducitur 3. Licet pingere, & characteres ponere inter servilia opera non censeantur, juxta aliquos, colore tamen terere, & imprimere characteres meritò juxta omnes servilibus operibus annumerari.

PRINCIPIVM II.

Frangit Ecclesiasticas Abstinentias, qui debitas non observat Circumstantias.

Sensus.

Hoc est, qui non simul & à carnibus & ubi mos viget in quadragesima, ovis & lacticiniis abstinet, atque una refectione contentus est, certaque refectionis tempora observat; præceptum Iejuniorum ab Ecclesia certis diebus sub gravi peccato præscriptorum non servasse dicendus est.

Authoritas.

Desumptum est ex unanimi SS. Patrum & Theologorum sensu, ac ipsa praxi continua Ecclesiæ.

Ratio.

Quia, cùm Ecclesia ob graves causas hæc jejunia instituerit, ideoque sub gravi etiam obligatione servanda præcipiat, meritò Fideles obtemperare, atque adeò omnes conditiones ad hoc jejunium ab illa requisitas observare decet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etsi per se non peccet, qui sæpius de die bibit, si tamen lac, jusculum & similia, quæ principaliter ad nutriendum destinantur sumeret, omnino contra hoc jejunii præceptum peccaturum, ut communiter docent Authores.

Deducitur 2. Iejunium Ecclesiasticum non violari per vespertinam collatiunculam in debita quantitate sumptam, cùm hæc per consuetudinem (quæ est optima interpres legum)

gum) sit introducta, uti iterum unanimis Doctorum consensus, & Fidelium praxis probat.

Deducitur 3. Neque illos hoc præceptum violare, qui vel per impotentiam saltem moralem, vel pietatem & caritatem, vel legitimam Superioris dispensationem, omnes aut aliquam ex allatis tribus conditionibus non servant; cùm lex hæc humana duntaxat ac positiva sit, atque adeò non nisi humano modo, id est, quando absque notabili incommodo aut damno observari potest obliget.

§. VI.

De Principiis ad vita Religioni opposita Spectantibus.

PRINCIPIVM I.

Semel Deo dicatum non est ad usus humanos transferendum.

Sensus.

Hoc est, quando res aliqua v. g. Templum, Altare, Cœmiterium, Calix, Patena, &c. per consecrationem aut benedictionem ad divinos usus est deputata, tum debet ad humanos, id est, sæculares usus adhiberi, intellige, quamdiu eandem formam & consecrationem retinet, uti Glossa in cit. reg. interpretatur.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. cap. fin. reg. 51. & Extrav. de relig domib. c. adhæc & de rerum permut. & explicant ac approbant Canisius, Decius & alii.

Ratio.

Quia per consecrationem res tales humano quasi commercio exemptæ sunt, uti in c. 2. de immun. Eccl. dicitur, ideoque in nullius bonis esse dicuntur, ut in §. nullius Instit. de rerum divisione insinuatur, ergo non decet eas aliter, quàm ad honorem illius, cui consecratæ sunt, usurpare.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Clericos non posse ad sæcularia tribunalia

nalia citati, nec sine sacrilegio à sæcularibus verberari, uti ex variis capitulis Iuris Canonici probant Doctores, apud Laym. l. 4. tr. 9. c. 4. & 5.

Deducitur 2. Calicem & similia vasa aut vestimenta Sacra non posse sæcularibus Personis pro usu profano vendi, nisi priùs per fractionem sufficientem benedictio sacra illis adimatur; tunc enim ad usus profanos adhiberi posse, Ferd. de Castro p. 1. tr. 8. d. 1. pu. 6. n. 25. apud & cû Dian. p. 5. tr. 13. re. 7. docet.

Deducitur 3. Etiam Templis immunitatem rectè concessam esse, ita ut in iis existentes rei nec ad tribunalia rapi, neque vulnerari aut occidi licitè queant, uti juxta cap. inter alia de immu. Eccl. tum Sacrorum Statuta Canonum, tum traditiones Legum Civilium decernunt. Et etiam Concilium Araufica-num 1. Can. 5. confirmavit dicens, eos, qui ad Ecclesiam confugiunt: tradi non oportere, sed loci sacri reverentia & intercessione defendi; intellige, nisi exceptum crimen v. g. homicidii in ipsa Ecclesia commissi aut imperati admiserint, aut publici Latrones & Prædones extiterint, tum enim locum habet axioma Iuristarum: Frustra legis auxilium invocat, qui delinquit in legem.

PRINCIPIVM II.

Vitiat effectum vel cultum Superstitio, si desit causæ vel objecti proportio.

Sensus.

Hoc est, si cultus aliquis vel falso Deo, vel vero quidem, at non modo debito exhibetur; superstitionis vitium semper committitur Religionis veræ virtuti contrarium.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Thoma. 2. 2. q. 92. a. 1. & communi consensu Theologorum.

Ratio.

Quia ideo hoc nomen Superstitio impositum est, ut per illud significetur excessus in cultu Dei sive quoad substantiam, sive quoad modum. Vnde juxta Laym. l. 4. tr. 10. Superstitio idem sonat, ac aliquid supra convenientem Dei cultum statutum.

Praxis.

Hinc deducitur 1. A Magis, si Dœmoni divinum cultum exhibeant, veram Idololatriam committi, quæ licet à proprietate Idololatriæ perfectæ Ethnicorum quoad intellectum (quatenus non credunt, esse verum DEVM) deficiat; quoad voluntatem tamen & malitiam superat illam, tum quia prior ex ignorantia, hæc autem ex mera malitia committitur; tum quia simulationem & mendacium pernicioſum, Deoque valde injurioſum continet, ut rectè Laym. l.c. c.2. nu. 3. notat.

Deducitur 2. Etiam eos superstitionis vitiũ incurrere, qui aut rebus per se sacris v.g. aquæ benedictæ, sacris granis &c. infallibilem effectum attribuunt; aut certè ipsi etiam DEO cultum falsum v.g. per cæremonias veteris Legis, aut fallà miracula & reliquias propositas, vel certè superfluum v. g. per cæremonias ludicras, aut ab Ecclesia non approbatas exhibent; uti communiter docent Authores.

Deducitur 3. Pariter Superstitionis crimen committi, cùm vel per divinationem quis futura cognoscere, vel per Maleficium aliis nocere, ope Dœmonis implorata, conatur; vel amuleta, aliaque similia improportionata media ad varios effectus infallibiliter producendos adhibere præsumit, uti iterum conveniunt Doctores.

PRINCIPIVM III.

Non est immunis à Simoniâ, qui pretio mercatur bona spiritualia.

Sensus.

Hoc est, Quisquis bonum aliquod spirituale (quale censetur quodvis donum supernaturale ad animæ salutem directè institutum, aut spirituali ita annexum, ut vendi non possit, nisi etiam spirituale bonum vendatur) pro pretio temporali per contractum oneroſum & reciprocum commutat, gravissimum Simoniæ vitium committit.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Reperiuntur. 1. q. 1. ubi appellatur execrabile flagitium. Cap. Si quis Episcopus. ibid. ubi turpissimum lucrum appellatur.

Ratio

Ratio.

Quia gravis irreverentia & irreligioſitas, imò, ut loquitur Layman. l.c. virtualis quædam blasphemia est, quodcunque donum spiritualis gratiæ ita tractare, ac si res vilis sit, vel ab arbitrio & potestate hominis dependeat, ut pretio æstimari, & commutari possit. Vnde S. Petrus Act. 8. Simoni (à quo Simonia nomen accepit) simile donum spirituale sibi vendi postulanti dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum DEI existimasti pecunia possideri.* additque: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Et in c. Sicut. 1. de Simonia. Simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincere dicitur, in c. Sanè 1. q. 3. autem instar publici criminis læsæ Majestatis puniendum.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si antidoralis remuneratio pro exhibita re spirituali in obligationem pacti ex justitiæ & fidelitatis virtute deducatur, Simoniæ vitium committi, uti Laym. tr. 10. c. ult. §. 2. n. 9. cum pluribus docet.

Deducitur 2. Etiam ab iis Simoniam committi, qui pro absolutione aut dispensatione in votis, juramentis, impedimentis matrimonii, irregularitate pretium aliquod petunt, uti idem Laym. cum aliis docet, licet non sit prohibitum aliquid ut mulctam piæ causæ applicandam exigere ut num. 24. ait.

Deducitur 3. Eum quoque, qui in beneficio jus plenè acquisitum necdum habens pecuniam offert ei, qui per se ac directè impedire vult, quò minùs ille jus acquirat, Simoniam saltem jure Ecclesiastico committere, uti iterum Laym. nu. 22. assert. 8. ex communi docet.

ARTICVLVS VII.

De Principiis ad Sacramenta in genere spectantibus.

PRINCIPIVM I.

Non efficitur validum Sacramentum, nisi verbum accedat ad elementum.

Sensus.

Hoc est, ut Sacramentum aliquod validè conficiatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

semper præter intentionem Ministri, etiam materia, & forma, seu Res & Verba, quæ gratiam Sacramentalem ex opere operato conferant, requiritur.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Augustino tr. 8. in Ioan. dicente: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Item ex Concilio Florentino in decreto Eugenii dicente: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & Persona Ministri* & addit: *horum si aliquid desit, non efficitur Sacramentum.*

Ratio.

Quia sic Christus instituit, uti ex Conciliis & communi sensu probatur & colligitur ex eo, quòd materia requiratur, ut Sacramentum sit signum visibile, forma verò, ut determinet indifferentiam materiæ ad certam significationem.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiam in Sacramento Eucharistiæ verba reperiri non tantùm in fieri, sed etiam in facto esse, quatenus verba, quibus conficiebatur, adhuc moraliter perseverant, uti Lugo & alii concedunt.

Deducitur 2. Nec in Sacramento Matrimonii deesse verba: cùm ipsa signa externa, quibus contrahentes mutuum consensum significant, verborum saltem virtualium loco habeantur, uti plerumque explicant Authores contra Durandum.

Deducitur 3. Etsi Pœnitentiæ Sacramentum in solis verbis, scilicet in confessione & absolutione facienda proferri solitis, consistere videatur; verè tamen adhuc materia constare, quia constat contritione, quæ fit per ipsam confessionem, & similes circumstantias sensibiles, ut Lugo & alij docent.

PRINCIPIVM II.

Inanis est Sacramentalis actio, cui deest legitima Ministri intentio.

Sensus.

Hoc est, nisi Minister Sacramenti legitimam intentionem

nem eliciat, & id, quod Christus fieri jussit, vel quod Ecclesia facere solet, intendat, non efficiet verum Sacramentum.

Authoritas.

Desumptum est ex Trident. Sess. 7. can. 11. & communi sensu Theologorum.

Ratio.

Quia Ministri constituti sunt à Christo, ut Sacramenta rationali modo ministrent, uti ex illo Apost. 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum DEI*: colligitur; ad hoc autem requiritur, ut verè facerev elint id, quod Christus instituit, aut Ecclesia fieri præcipit.

Praxis.

Hinc deducitur 1: Non sufficere habitualem duntaxat intentionem in Ministro, sed actualem vel virtualem requiri, quia alioqui non humano modo operaretur Minister.

Deducitur 2. Nec conditionatam intentionem conditione pendente in futurum sufficere; quia alioqui Sacramenta non essent practica symbola, uti communiter docent Authores.

Deducitur 3. Nec sufficere, ut Minister solam actionem externam intendit, sed debere saltem implicita intentione velle Sacramentum conficere; quia alioqui non determinaret sufficienter indifferentiam Verborum & actionum ad esse Sacramentale, ut iterum communis Authorum contra Scribonium docet.

PRINCIPIVM III.

Non debet concedi Sacramenti participatio, ubi non supponitur legitima dispositio.

Sensus.

Hoc est, cùm ad hoc, ut Sacramentum validè & licitè recipiatur, certæ à Christo & Ecclesia dispositiones in recipiente requirantur, non debet temerè ad Sacramenta percipienda admitti, nisi qui dispositiones tales habere prudenter supponitur.

Authoritas.

Desumptum est ex unanimi Theologorum consensu cum S. Thoma q. 68. ar. 7.

Ratio.

Quia, cùm Christus ejusmodi dispositiones tum ob reverentiam Sacramentorum, tum ob alias graves causas requisiverit, meritò indignus censetur eorum participatione, qui ejusmodi dispositiones afferre neglexerit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Nullum adultum validè ullum Sacramentum suscipere posse, nisi interpretativam saltem intentionem habeat suscipiendi illud; uti tum ex variis Conciliis, tum ex communi Theologorum consensu, tum denique ex eo etiam probatur, quòd per Sacramenta homines DEO initientur, & consecrentur, atque adeò deceat, ut consentiant in ejusmodi initiationem, si possunt; nam, ut in le. Invitus. 156. ff. de reg. Iuris dicitur, quod cuique pro eo præstatur, invito non tribuitur; &, ut in le. hoc jure 19. §. 2. habetur, non potest liberalitas nolenti acquiri.

Deducitur 2. Ad consequendam justificationem primam in Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ necessariò requiri aliquem dolorem ex motivo supernaturali conceptum, uti Tridentinum s. 6. c. 6. & Sess. 14. c. 4. definivit, & meritò, quia congruum est, ac decens, inquit Lay. l. 5. tr. 1. c. 6. n. 4. assert. 2. ut, qui per peccatum voluntariè se avertit à DEO, illud iterum detestando ad eundem DEVM revertatur: unde S. Augustinus l. 50. hom. 27. ait: Nemo eligit vitam novam, nisi quem veteris pœniteat. Et hom. ult. c. 2. Cæterorum hominum (præter Parvulos) nullus transit ad Christum, ut incipiat esse, quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse, quod erat.

Deducitur 3. Ad Sacramenta Vivorum præter intentionem, etiam Fidem, Spem, & gratiam in suscipiente requiri, uti communiter docent Theologi.

PRIN-

PRINCIPIVM IV.

Repetendum est Sacramentum, quando non adest certitudinis experimentum.

Sensus.

Hoc est, quando prudenter dubitatur, num Sacramentum sit legitimè administratum, tum illud iterum sub conditione administrandum est, modò Minister adhuc sit in talibus circumstantiis, in quibus licitè Sacramentum conficere possit, quales non essent, si, postquam vestes Sacerdotales jam exuit, adverteret, se aquam pro vino consecrasse.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. Si nulla. dist. 4. de consecr. & ex communi sensu Authorum.

Ratio.

Quia, ut cit. cap. Si nulla. dicitur, non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis; & aliunde ipsa Sacramenti reverentia, aut etiam necessitas suscipientium idipsum exigere videntur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Reprehendendam non esse opinionem & praxin eorum, qui Infantes ab Obstetricibus baptizatos iterum sub conditione baptizant, cùm experientia constet, obstetrices non rarò fuisse deceptas à Diabolo, ideoque revera aliquod periculum animæ subsit, ob quod irreverentia cesset, inquit Busenbaum l. 6. tr. 2. du. 4. ubi etiam addit, eam consuetudinem à Pastorali Romano Antuerpiæ 1607 edito fuisse approbatam. Vnde hic locum habere videtur illa Iuristarum regula ex le: Testamentum. 17. C. de test. qua dicitur: abundans cautela non nocet.

Deducitur 2. Eum, qui prudenter dubitat, num absolverit Pœnitentem, posse eum denuo absolvere sub conditione, si adhuc ille moraliter præsens sit, & interea graviter peccasse credi non possit, uti Suar. Bonac. Filliut. Regin. & alii communiter apud Busenb. l. 6. tr. 4. c. 2. du. 5. docent.

Deducitur 3. Eum, qui post sumptum Calicem prudenter dubitat, an non aquam potiùs, quàm vinum consecrarit,

debere denuò vinum aqua mistum affundere, & sub conditione consecrare, uti ex Rubricis Missalis patet.

PRINCIPIVM V.

Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

Sensus.

Hoc est, qui omnia ad Actum aliquem (vel Sacramentum in hac materia) requisita sic adhibita esse advertit, ut prudenter de valore dubitare non possit, non debet majorem certitudinem sollicitè requirere, & indagare.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. cap. fin. reg. 31. eamque approbant Canisius, Decius, & Iuristæ communiter, licet eam in ordine ad alias materias paulò aliter explicent.

Ratio.

Quia, cùm in humanis actionibus moraliter procedere oporteat, hoc ipso, si moralis certitudo de valore Sacramenti aut alterius actus habetur, alia major inquiri non debet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. ad hoc, ut Baptismus iterari non debeat, non requiri physicam certitudinem de Baptismo ritè collato, sed sufficere, quòd nulla occurrat ratio, ob quam prudenter de ejus valore dubitari possit, uti Laym. Suar. & alii apud & cum Busenb. l. 6. tr. 2. c. 1. docent.

Deducitur 2. Etiam eum, qui cum cognita attritione accessit ad Sacramentum Pœnitentiæ, non obligari ad aliam absolutionem ab alio Sacerdote (etiam in articulo mortis) petendam, aut contritionem eliciendam; quia ob clarum Concilii Tridentini textum certum est, eum, qui cum attritione cognita accedit ad Pœnitentiam, validè absolvi, si ex parte absolventis non sit defectus, ut unanimiter docent Theologi.

Deducitur 3. Nec de Ordinum Sacrotum valore Clericos sollicitos esse debere; cùm ex una parte dubitare non possint, Episcopum sciviſſe ea, quæ ad Collationem Ordinum horum pertinent; ex altera verò multò minus dubitare possint, ipsum ea, quæ necessaria esse novit, adhibere non voluisse.

PRIN-

PRINCIPIVM VI.

In morbis disperatis satius est, dubiam adhibere medicinam, quàm nullam.

Sensus.

Hoc, est, quando aliquis in gravi necessitate salutis suæ amittendæ versatur, & per medium aliquod, quod probabiliter conducere posse judicatur, ei adhuc succurri potest, præstat hoc medium cum spe dubiâ salutis obtinendæ adhibere, quàm nullum adhibendo in certum interitum præcipitare.

Authoritas.

Desumptum est ex P. Sanchez l. 1. mor. c. 19. nu. 39. post Gregorium de Valentia apud P. Gobat tr. 9. exeg. n. 720.

Ratio.

Quia, cùm Sacramenta instituta sint in hominum utilitatem, potiùs habenda est ratio necessitatis Fratris, quàm reverentiæ Sacramenti, uti cum Vasquez d. 155. c. 3. n. 40. plures discurrunt, teste P. Gobat tr. 2. n. 381. ergo quamdiu per dubium valorem Sacramenti apparet spes juvandi Fratrem in necessitate constitutum, satius est, hoc medium adhibere, quàm reverentiæ Sacramenti scrupulosè, nimis consulere velle, nam, ut S. Leo epist. 37. c. 1. rectè advertit, inprimis cavendum est, ne, dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si certa materia pro baptizando in necessitate Infante haberi non potest, saltem lixivium, aquam rosaceam, jusculum, aut cervisiam tenuem adhiberi posse, uti Busenbaum l. c. du. 1. cum Layman. Escobar. & aliis docet.

Deducitur 2. Etsi speculativè loquendo communior & verior sit sententia docens, absolvi in periculo mortis non posse eum, qui nullum amplius signum dedit, cùm actus judicialis non exerceatur, nisi accusatio præcesserit; in praxi tamen posse dubium hoc medium sub conditione applicari, cùm non pauci sic fieri posse, imò debere etiam contendant, uti apud Busenb. l. 6. tr. 4. c. 1. du. 3. a. 2. videre est.

Deducitur 3. Si infirmus, qui aliud Sacramentum susci-

pere

pere non potest, extrema Vnctione muniendus sit, & oleum eo anno consecratum haberi non possit, oleo veteri, aut si neque hoc haberi queat, Chrismate infirmum ungi posse, uti non pauci cum Laym. Suar. & aliis docent. Vnde universim in ejusmodi casibus doctrina Escobar & Io. Sanchez à P. Gobat tr. 8. n. 824. relatorum ob oculos habenda est, qua dicunt, negotia, in quibus nihil amittendum timetur, sed potiùs lucrum speratur, audacter tractanda esse.

PRINCIPIVM VII.

Supplendum est in Sacramentis sollicitè, quod priùs prætermissum fuit incautè.

Sensus.

Hoc est, quando in Sacramentorum administratione aliquid vel ex necessitate vel alia causa omissum est, quod vel ad integritatem Sacramenti, vel ad ritum & cæremonias ejusdem pertinet, & alioqui juxta voluntatem & consuetudinem Ecclesiæ suppleri consuevit, non est ejusmodi suppletio omnino negligenda.

Authoritas.

Desumptum ex Cap 1. de Sacram. Non iter. & refertur à P. Gobat. tr. 2. exeg. n. 407 & aliis passim.

Ratio.

Quia, cùm Sacramenta sint præcipui ritus nostræ Religionis, per quos suavitatem & præstantiam Legis Gratiæ DEVS specialiter ostendit, meritò eorum integritas, & alia, quæ ad reverentiam ac æstimationem illis conciliandam, vel ab ipso Christo, vel ab ipsa Ecclesia instituta sunt, sollicitè sunt procuranda.

Praxis.

Hinc dedcitur 1. Si Baptismus in necessitate sine cæremoniis fuit administratus, privatim postea suppleri debere, uti ex cap. 57. hanc regulam. 1. q. 1. Et cap. 1. de Sacram. non iter. & Rituali Romano colligitur. Vnde licet Tann. Laym, Fr. Lugo & alii apud P. Gobat. tr. 2. n. 506. asserant, non solere has Cæremonias cum iis, qui ab Hæresi ad Catholicam fidem transeunt, repeti, consultum tamen esse ajunt, ut contra hanc consuetudinem agatur, & cum junioribus maximè, apud quos faciliùs hæc repetitio sine incommodo fieri potest, Cæremoniæ dictæ repetantur.

Deducitur 2. Quandò aliquis non Chrismate, sed simplici oleo confirmatus, aut sine manum impositione in Subdiaconum ordinatus est, utroque in casu supplendum esse cautè, quod fuit incautè prætermissum, uti cit. cap. 1. de Sacr. non iter. loquitur.

Deducitur 3. Si in Sacrificio Missæ post sumptum Calicem advertit, à Ministro aquam loco vini affusam fuisse, aliud vinum infundere, & consecrare debere, uti ex Rubricis de defectibus Missæ colligitur.

ARTICVLVS VIII.

De Principiis ad Sacramentum Eucharistiæ pertinentibus.

PRINCIPIVM I.

Quod vitæ spirituali conservandæ institutumest Eucharistiæ convivium, non est trahendum in morttis pernicioſum exitium.

Sensus.

Hoc est, cùm Eucharistiæ Sacramentum præcipuè ad hunc finem institutum sit, ut vita spiritualis animæ conservetur, & augeatur, non debet susci pi aut administrari in eo casu, in quo perniciem potiùs animæ, quàm salutem cederet ea perceptio.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Thoma 3. p. q. 83. a. 6. ad 3. ubi ait: Calix vitæ in mortem verti non debet. & refertur à P. Gobat tr. 3. Exeg. n. 425.

Ratio.

Quia, sicut imprudenter sumeretur cibus, aut aliud medium in iis circumstantiis, in quibus non solùm finis tali sumptioni præfixus non obtineretur, sed contraria potiùs omnia

mnia sequerentur; ita idem de spirituali hoc cibo, convivioque sentiendum est.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui ante Communionem recordatur peccati gravis per confessionem necdum expiati, debere illud priùs per confessionem expiare, si commodè potest, uti Suar. Sanch. & alii communiter docent.

Deducitur 2. Eum Sacerdotem, qui celebrandi necessitate urgetur, & conscius peccati mortalis confitendi copiam non habet, saltem contritionem elicere debere, uti unanimiter iterum Theologi docent.

Deducitur 3. Illi, qui publicè notorius est Peccator, non posse, nec debere Eucharistiam administrari, nisi correctus sciatur, aut prudenter supponatur, uti Filliut, Laym. & alii passim docent cum Busenb. l. 6. tr. 3. c. 2. du. 1.

PRINCIPIVM II.

Non potest æternum vivere, qui cibum vitæ non sumit in tempore.

Sensus.

Hoc est, qui SS. Eucharistiam, quæ est cibi animæ temporibus à DEO & Ecclesia præscriptis reverenter & fructuosè non sumit, hoc ipso mortem spiritualem peccati, incurret, atque adeò vitam æternam obtinere non poterit.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura Ioan. 6. ubi Christus dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis, ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et colligitur etiam ex c. Omnis utriusque sexus. de pœn. & remiss.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd Eucharistia per modum cibi instituta t, ejus usus meritò sæpius in vita necessarius apparet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Saltem in articulo mortis quemque præcepto divino de sumenda Eucharistia obligari, uti communior sententia docet, & ex Concilio Niceno relato in cap. de his. 26. q. 6. insinuatur, ubi cavendum dicitur, ne discessurus

rus è corpore necessariò viæ suæ viatico defraudetur.

Deducitur 2. Tempore Paschali quemvis Christianum præcepto Ecclesiastico ad Communionem obligari, uti in Trid. Concil. Sess. 13. Can. 9. & in C. Omnis utriusque cit. præcipitur.

Duducitur 3. Verosimilius esse, aliquos particulares homines specialiter obligari ad hoc Sacramentum sumendum, eò quòd DEVS decreverit illis gratiam ad vincendas tentationes necessariam non aliter, quàm per hoc Sacramentum dare, uti P. Gobat tr. 4. n. 4. cum Suar. & Soto docet, licet hi rectè addant, perrarum esse hunc casum.

PRINCIPIVM III.

Sumit Eucharistiam legitimè, qui sumit sub una specie.

Sensus.

Hoc est, qui Eucharistiæ Sacramentum sub solis speciebus panis accipit, nec contra Christi aut Ecclesiæ præceptum quidquam agit; nec etiam fructu ex bina specie percipi solito fraudatur.

Authoritas.

Desumptum est ex Concil. Trid. Sess. 21. Can. 3. ubi dicitur: Si quis negaverit, totum integrum Christum, omnium gratiarum fontem & Authorem sub una specie sumi, anathema sit. Item ex consuetudine veteris & novæ Ecclesiæ.

Ratio.

Quia, quæ ad accidentales modos seu ritus Sacramentorum pertinent, Christus non præcepit, sed Ecclesiæ disponenda reliquit; Communio autem sub utraque specie ad accidentalem tantùm formam pertinet, cùm sive spectetur natura Sacramenti, una species materiam & formam contineat; sive refectionis spiritualis qualitas, una species carnem & sanguinem, cibum & potum involvat; sive res contenta consideretur, in quavis specie Christus reperiatur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Ecclesiam non malè fecisse, quando decrevit, ut sub una duntaxat specie à Laicis Eucharistia sumatur;

matur; hoc enim ob gravia incommoda vitanda factum esse, communiter Authores.

Deducitur 2. Fideles de facto non fraudari fructu ex altera specie sanguinis percipi solito, cùm juxta probabilem multorum sententiam per duas species non major fructus, cæteris paribus, quàm per unam percipiatur.

Deducitur 3. Non esse quidem de facto Laicis concessum, ut speciem sanguinis sumant; si tamen relicto Calice consecrato aufugeret ob militem imminentem, vel repente moreretur Sacerdos, nec alius adesset Sacerdos, qui eandem speciem suppleret, vel sumeret, posse eam ab Aedituo, vel alio Laico sumi, uti Suar. d. 71. s. 3. apud & cum P. Gobat. tr. 4. n. 26. sentit.

PRINCIPIVM IV.

Iure merito vivit de Altari, qui propter Altare studuit operari.

Sensus.

Hoc est, Sacerdotes, qui Missa celebrant in aliorum commodum, meritò ab ipsis stipendium absque ullo Simoniæ periculo, accipere possunt.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura 1. ad Cor. 9. ubi Apostolus dicit: *Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant?*

Ratio.

Quia ipsa natura permittit, ut pro rebus pretio æstimabilibus pretium aliquod exigi possit; atqui obligatio ad Missam certo loco & tempore celebrandam, aut fructum ipsi applicandum est pretio æstimabilis, ut communis fert persuasio doctorum & indoctorum, teste P. Gobat n. 556.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etsi Capellanus quidam alioqui obligatus sit ad Sacrum dicendum, si tamen ad certum locum & tempus non adstringatur, & ab alio rogetur, ut certo tempore, vel ad certam aram celebret, salva conscientia posse aliquid juxta

juxta loco consuetudinem accipere, uti P. Gobat cum Caramuel. n. 656. docet.

Deducitur 2. Etiam Opulentos Beneficiatos exigere posse ejusmodi stipendium, uti Suar. Tanner. & alii contra Caiet. & Silv. docent. cùm & divites Operarii digni sint Mercede sua.

Deducitur 3. Si quis non dat justum stipendium, non obligari Sacerdotem ad totum sacrum pro illo offerendum, cùm secundùm mensuram mercedis sit & laboris modus.

ARTICVLVS IX.

De Principiis ad Sacramentum Pœnitentiæ spectantibus.

PRINCIPIVM I.

Non remittitur facta à DEO aversio, nisi fiat iterata ad ipsum conversio.

Sensus.

Hoc est, cùm Homo per peccatum à DEO velut summo & vero bono ad creaturas velut particulas & umbras illius boni se converterit, non decet, ut ei ejusmodi peccatum (saltem de ordinaria via) remittatur, donec per veram Pœnitentiam iterum se convertat ad DEVM, & sic impleat illud Baruch. 4. *Sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis à DEO, decies tantùm iterum convertentes requiretis eum.*

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura Luc. 13. ubi dicitur: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Hinc S. Ambrosius ad virg. lapsam ait: *Pœnitudo necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medicamenta. Cùm animo conceperis, non aliud remedium constitutum esse post baptismum, quàm Pœnitentiæ Solatium, quantumvis affectionem, quantumvis laborem & indecorem subire contentaesio.*

Ratio.

Quia, cùm in omni peccato reperiantur duo, aversio scilicet a DEO, & conversio ad creaturam, meritò, qui cum

DEO

DEO iterum in gratiam redire, eique per caritatem uniri cupit, recedere à creatura, sicque vinculum amoris inordinati seu peccati, quo ei se conjunxerat, per pœnitentiam destruere debet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Pœnitentia rectè pro prima parte Sacramenti Pœnitentiæ assignatam fuisse; cùm enim hoc Sacramentum velut secunda naufragii tabula ad peccatorum remissionem institutum sit, meritò per pœnitentiam conversio ad peccatum seu amorem inordinatum ad creaturas velut obex gratiæ & amicitiæ priùs removendus erat.

Deducitur 2. Pœnitentiam ante omnia Sacramenta vivorum suscipienda rectè necessariam dici; cùm hæc supponant gratiam, quam augere solent, atque adeò etiam Pœnitentiam sine qua prima gratia non obtinetur, præmitti exigant.

Deducitur 3. Quemvis peccato mortali obnoxium in articulo mortis obligari ad pœnitentiam eliciendam, etiamsi nullius alterius Sacramenti actu percipiendi occasionem habeat; cùm quivis teneatur saluti suæ consulere, atque adeò & medium illud arripere, sine quo salus in tali casu obtineri non potest, quale haud dubiè est ipsa Pœnitentia.

PRINCIPIVM II.

Sperari non potest à DEO peccati remissio, nisi præcedat ejusdem dolorosa confessio.

Sensus.

Hoc est, si quis occasionem habet confitendi peccatum mortalem, quo obstrictus est, non potest ejus remissionem à DEO sperare, nisi priùs illud cum debito dolore & proposito non peccandi confiteatur; aut, si occasionem non habet propositum saltem confitendi eliciat.

Authoritas.

Desumptum est ex Tridentino Sess. 14. & can. 6. & 7. ubi anathema dicitur illis, qui negaverit Confessionem jure divino institutam, & ad salutem necessariam esse.

Ratio.

Ratio.

Quia, licet per se peccata mortalia etiam per solam contritionem aut actum dilectionis divinæ remitti potuissent, posito tamen quòd Christus Sacramentum Pœnitentiæ instituit, & ad id omnes peccato mortali obnoxios obligavit, in re vel voto illud suscipere debent.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Vnumquemque peccato mortali obnoxium in articulo mortis ad Confessionem obligari, si occasionem habet, uti omnes Theologi fatentur.

Deducitur 2. Ad eandem etiam obligari omnes, qui, dum Eucharistiam percipere volunt, gravis peccati sibi sunt conscii, uti iterum consentiunt Theologi.

Deducitur 3. Extra hæc tempora saltem in Paschate quemvis motalibus peccatis obnoxium ad illa per confessionem expianda obligari, uti ex c. Omnis utriusque sexus de Pœn. & remiss. colligitur.

PRINCIPIVM III.

Non nocet omissa circumstantia, quando salva manet ipsa Sacramenti substantia.

Sensus.

Hoc est, si omnes partes ad Sacramentum Pœnitentiæ à Christo requisitæ ponuntur, nihil impedit valorem, etiamsi aliqua circumstantia accidentaliter duntaxat, & ad melius esse requisita omittatur.

Authoritas.

Desumptum est ex Barbosa axiom. 100. n. 1. & 17. cui etiam Suar. Salas & alii consentiunt.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd circumstantia illa accidentalis duntaxat sit, signum est eam posse abesse sine ipsius Sacramenti corruptione.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Circumstantias speciem quidem mutantes, non autem eas, quæ aggravant tantùm peccatum, esse in cõfessione explicandas, uti communior hodie sententia docet.

Deducitur 2. Si quis circumstantiam aliquam sine violatione famæ alienæ confiteri non possit, aut aliam justam causam habeat circumstantiam talem reticendi, validè confessurum, etiamsi eam omittat, quia adhuc salva substantia confessionis formaliter integra manet, uti communiter sentiunt Authores.

Deducitur 3. Non esse ordinariè exprimendam qualitatem Personæ confitentis, nisi circumstantia sit ejusmodi, ut speciem mutet ejusmodi qualitas, ut si Religiosus contra votum castitatis peccet; tunc enim tenetur dicere, se voto castitatis obstrictum esse, licet non exprimere cogatur, cujus Religionis sit Religiosus, uti iterum conveniunt Authores.

PRINCIPIVM IV.

Non habet verum Emendationis propositum, qui non vult vitare peccandi periculum.

Sensus.

Hoc est, qui in occasione proxima constitutus, eandem dimittere non statuit, licet fine gravi suo incommodo possit, hoc ipso censetur seriam emendandi sese, & à peccato abstinendi voluntatem non habere, atque adeò frustra absolutionem possit.

Authoritas.

Desumptum est ex c legatur. 24. q. 2. ubi dicitur, nunquam in Ecclesia Dei vel ab Apostolis, vel à Pontificibus, vel ab ipso Christo veniam, nisi corrigentibus se fuisse concessam. Item ex Eccl. c. 3. ubi dicitur: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Et communi denique Theologorum consensu.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd prævideat, moraliter certò se iterum relapsurum, si occasionem proximam non devitet, clarissimum præbet argumentum, quòd habeat adhuc firmam voluntatem idem peccatum committendi, atque adeò seriò non avertitur à peccato; unde in tali casu vel maximè locum habet illud S. Augustini in quodam sermone dicentis: *Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: Nihil prosunt lamenta si replicentur peccata: nihil valet à malis veniam poscere, & mala denuò iterare.*

Praxis.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui concubinam habens eandem, cùm possit, non ejicit, absolutionis incapacem esse, uti Laym. Lugo & alii communiter docent.

Deducitur 2. Usurarium non posse legitimè absolvi, quamdiu in hoc statu vel officio, in quo ejusmodi usuras moraliter certò exercere pergit, perseveraverit.

Deducitur 3. Eum, qui sciens causam belli illegitimam esse in militia perseverat, non posse sperare absolutionem, nisi Militiam deserat, vel certè sub alio, Duce, qui justam causam belli habet; militet.

PRINCIPIVM V.

Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.

Sensus.

Hoc est, quando jus commune aliquid præcipiens aut prohibens est indispensabile, tum non est illud violandum etiamsi alioqui gravissima peccata & scandala sequantur.

Authoritas.

Desumptum est l. 5. decr. de reg. juris. Item ex venerab. Beda ibid. cit. illudque approbant communiter Authores.

Ratio.

Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; ergo, cùm veritatem bonæ vitæ (hæc enim in regula intelligitur, & non veritas Justitiæ aut Disciplinæ) relinquere sit peccatum, rectè dicitur priùs permittendum scandalum, quàm dictam veritatem relinquendam esse.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Confessarium potiùs permittere debere, ut aliquis Innocens damnetur, quàm ut ex confessione dicat aliquod peccatum, quod conducat ad innocentiam rei monstrandam, uti communiter docent Theologi.

Deducitur 2. Confessarium obligari ad sigillum confessionis etiam cum periculo propriæ vitæ servandum; eò quòd, cùm periclitatur utilitas publica, negligenda sint commoda propria, uti in Authent. res. quæ Cod. communia, quæ

Legatis & ex le. unic. fin. C. de caducis tollendis dicitur.

Deducitur 3. Confessarium non posse uti notitia confessionis ad aliquod quantumcunque grave malum avertendum, si periculum sit, ne peccatum in ea explicatum indirectè revelet-ur, uti communiter docent Authores.

ARTICVLVS X.

De Principiis ad Sacramentum Matrimonii Spectantibus.

PRINCIPIVM I.

Nuptias non concubitus, sed consensus facit.

Sensus.

Hoc, est etiamsi duæ Personæ, Mas scilicet & Femina inter se copulentur, non tamen propterea censebuntur valido Matrimonio conjunctæ, nisi præter ipsam copulam insuper legitimus in Matrimonium contrahendum consensus accedat.

Authoritas.

Desumptum est ex le. 30. ff. de reg. Iuris, illudque refert, & explicat Decius in tr. de reg. Iuris.

Ratio.

Quia cùm Matrimonium sit mutua traditio corporum in ordine ad usum conjugalem, tam parùm sine consensu subsistere id poterit, quàm parùm alii contractus absque interno consensu sunt validi. *Praxis.*

Hinc deducitur 1. Etiamsi quis sub promissione Matrimonii copulam extorqueat, nondum tamen consistere Matrimonium, nisi etiam ipsa Mulier violata promittat futuras nuptias, uti communis docet Theologorum.

Deducitur 2. Puellam impuberem alteri desponsatam non posse post pubertatem cohabitare Sponso, nisi novum consensum eliciat, uti iterum docet communis.

Deducitur 3. Matrimonium cum errore circa Substantiam versante contractum esse nullum, etiamsi copula jam præcesserit, uti cum S. Thoma docent Suar. Sanch. Laym. & alii communiter.

PRINCIPIVM II.

Omnes res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.

Sensus.

Hoc est, omnis actus, qui non tantùm in prima productione, sed etiam in conservatione ab ipsius agentis arbitrio pendet, dissolvitur per dissensum à voluntate, sicut ab eadem per consensum moraliter productus est; quem sensum videtur indicare Glossa in reg. 1. l. 5. decr. Item reg. 153. ff. de reg. Iuris; nec videtur posse esse alius, nisi in pluribus casibus admittere velimus falsam esse regulam, uti consideranti patebit.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 5. decret. c. ult. reg. 1. & le. 50. ff. 35. ubi dicitur: nihil tam naturale est, quàm eo genere quidq; dissolvere, quo colligatum est; ideo verborum obligatio tollitur verbis, nudi consensus obligatio contrario dissensu dissolvitur.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd supponatur talis actus à voluntate in sui productione & conservatione dependere, tamdiu censebitur mortaliter existere, & conservari, donec à voluntate per contrarium actum revocetur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Sicut Sponsalia non possunt contrahi sine utriusque Sponsi consensu; ita nec dissolvi sine utriusque consensu posse, uti communiter docent Authores.

Deducitur 2. Sicut conjuges mutuo consensu se ad cohabitandum obligarunt, ita mutuo consensu etiam Matrimonium quoad thorum (non quoad vinculum, quia hujus conservatio ab eorum voluntate non pendet) dissolvere posse, ut Laym. & alii cum communi docent.

Deducitur 3. Posse etiam cohabitantes conjuges per mutuum consensum obligationem debiti reddendi remittere, & votum castitatis edere, uti iterum conveniunt Doctores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRINCIPIVM III.

Duo Vincula fortiùs ligat, quàm unum.

Sensus.

Hoc est, quando duo actus aut circumstantiæ obligationem inducentes in aliquo subjecto concurrunt tum prævalent vinculo simplicem duntaxat obligationem inducenti, si quidem utrumque vinculum etiam in his circumstantiis patere obligationem possit.

Authoritas.

Desumptum est ex authent. de consang. & uterinis in princip, item ex §. sed hodie Instit. de adopt. juncta glossa in V. Iura. illudque approbant communiter Doctores, teste Schnei devvein in l. 1. tit. 11. ff. sed hodie n. 2.

Ratio.

Quia ipsa æquitas naturalis exigere videtur, ut, ubi duæ obligationes concurrunt, prævaleant simplici duntaxat obligationi.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Sponsalia Impuberum juramento probabiliter confirmari, ita ut resilire non possint, cùm ad annos pubertatis pervenerint, uti Dicastill. d. 1. n. 494. cum Sanch. & Hurtad. docent.

Deducitur 2. Si posterioribus Sponsalibus copula accedat, ab his probabiliter priora Sponsalia dissolvi, uti Ferd. de castro p. 5. d. 1. pu. 22. n. 5. cum Pontio, Rebello & aliis docet.

Deducitur 3. Si Matrimonium primis duobus mensibus consummatum sit, non licere amplius Religionem ingredi alteri conjugi sine alterius consensu, sicut ante consummationem, quando ratum duntaxat erat Matrimonium, licebat.

PRINCIPIVM IV.

Errantis nullus est consensus.

Sensus.

Hoc est, Si quis circa ipsam causam motivam erret, putetque abesse bonitatem, ob quam in aliquem actum consensit,

sit, cùm tamen illa non adsit, tum hoc ipso censendus est absolutè in talem actum non consensisse.

Authoritas.

Desumptum est ex le. 116. de reg. Iuris §. 2. ubi dicitur: Non videntur, qui errant consentire. Item ex le. si per errorem 15. ff. de judic. & le. non idcirco 9. Cod. de Iuris & facti ignorantia, illudque refert, & defendit Barbosa axiom. 82. cum plurimis aliis.

Ratio.

Quia cessante causa cessat effectus, ergo cùm error quoad substantiam, causam seu motivum principale cessare faciat, mirum videri non debet, si ipse quoque consensu velut effectus illius irritus dicatur; unde meritò in cit. leg. si per errorem dicitur, nihil consensui tam contrarium esse, quàm errorem.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Matrimonium & Sponsalia nulla esse, si cum errore circa substantiam versante contractum sit, uti S. Thomas Sanch. Suar. Laym. & alii communiter docent apud Ferd. de castro p. 5. tr. 28.

Deducitur 2. Si magna Sponsi debita aut morbi graves occulti & continui, aut grave famæ periculum detegatur, posse sponsum alterum resilire à Sponsalibus, ut Bonac. & alii apud & cum Busenb. l. 6. tr 6. c. 1. du. 3. docent.

Deducitur 3. Etiam si defectus aliquis gravis superveniat contractis Sponsalibus, fore sufficientem iisdem dissolvendis, si talis sit defectus, ut Sponsus, si eventurum talem defectum sciviſſet. Sponsalia non contraxisset, uti Tann. Sanch. Laym. Coninck & alii communiter docent apud & cum P. Gobat tr. 10. n. 193. quia etiam in tali casu error quoad substantiam in futurum intervenit.

PRINCIPIVM V.

Actus, qui non valet, ut geritur, saltem valet, ut valere potest.

Sensus.

Hoc est, si actus aliquis divisibilis quoad omnes suas partes valorem suum sortiri non potest, saltem validus erit se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cundùm eam partem, ſecundùm quam habet omnes conditiones ad valorem requiſitas.

Authoritas.

Deſumptum eſt ex cap. un. de deſponſ. impub. in 6. illudque approbant communiter Doctores, teſte P. Gobat in theſ. indulg. p. 1. n. 64.

Ratio.

Quia nemo præſumitur facere velle actum fruſtratorium, ut Barboſa axiom. 11. cum Sardo colligit ex le. unic. Cod. de theſauris, ergo ſi totus actus validus eſſe non poteſt, præſumitur malle quiſque ſaltem aliquem fructum ex ſuo actu, quàm nullum habere.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Matrimonium inter puberem & impuberem contractum, vel inter duos impuberes initum, non quidem valere ut Matrimonium, habere tamen vim Sponſaliorum, uti colligitur ex cap. unic. de deſponſ. impub. in 6. & docent multi apud & cum Sanch. l. 1. d. 21. n. 1.

Deducitur 2. Si Pontifex aut Epiſcopus in Indulgentiarum conceſſione tranſgrediatur terminos à jure conceſſos, ejuſmodi conceſſionem invalidam quidem eſſe (uti colligitur ex cap. indulgentiæ de pœn. & remiſſ. in 6.) ſed ſolummodo quoad exceſſum, uti P. Gobat l. c. ex communi docet.

Deducitur 3. Quando quis bona fide vendit alteri duos equos, unum proprium & alterum alienum, valere contractum ſaltem quoad proprium equum, niſi indiviſibiliter ſint venditi. Ita iterum communis.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Quinam potiſſimùm Authores legi poſſint ab iis, qui in Theologiæ moralis Studio magis ſe perficere deſiderant.

Etſi ex his, quæ hactenus de generalibus principiis Theologiæ moralis ſunt dicta, Theologus moralis non modicum reportaturus ſubſidium credatur, quia tamen juxta commune proverbium dulcius (imò & utilius, abundantiusque) ex ipſo fonte petuntur aquæ, ideo ut ſuo tempore ab ipſos etiam Fontes, id eſt, Authores fuſiùs de hac materia diſcurrentes recurrere ſciat, placet breviter coronidis loco brevem Cathalogum annectere eorum Authorum, qui noſtris ſaltem in partibus notiores exiſtunt, & Theologiam moralem vel totam, vel quoad aliquas ſaltem partes peritius aut ad ipſam praxin accommodatiùs tractaſſe videntur. Quod tamen ante, quàm præſtem, duo præmonitum velim Lectorem. 1. Non me comparationem ullam (quippe quam odioſam eſſe non ignoro) inter Authores inſtiruturum: & quis eorum alteri ſive ob ingenii ac prudentiæ acumen, ſive ob tractatæ materiæ dexteritatem ac claritatem præferendus ſit, deciſurum, ſed præcisè unam aut alteram rationem, ob quam utiliter legi poſſit, indicaturum. 2. Me, dum hos potius, quàm alios nomina vero, non propterea inſinuare velle, quòd non aliquoque plures in aliis Regionibus aut Provinciis reperiantur, qui æquè utiliter ſcripſerint, aut legi queant, ſed quòd hi in noſtris partibus ferè notiores ſint, & de conſuetudinibus & praxibus Germaniæ noſtræ majorem notitiam habuerint, aut in proponendis ſuis doctrinis & opinionibus magis ſe ad captum & ingenium etiam indoctorum accommodare conati ſint. Quales quidem ferè ſequentes eſſe videntur.

I. P. Paulus Layman, qui in Bibliotheca Societatis IESV vir profunctè doctus, & Iuris Canonici peritiſſimus vocatur. Scripſit Theologiam moralem quinque libris comprehenſam, dignam, quæ ab omnibus Theologiæ moralis amatoribus legatur, ab practicam, & copioſam materiam, clare, ſolidè & ordinatè explicatam.

II. P. Ferdinandus de Caſtro Palao, qui & ipſe, teſte Bibliotheca Societatis, Theologiam moralem magna eruditionis fama docuit, & poſtea tribus tomis comprehenſam typo dedit, vel ideo æſtimandus, quod non veterum modo, ſed etiam Recentiorum Authorum ſententias ſtudioſè collegerit, & prudenter ponderarit, Vnde M. F. Dominicus Fellez ſic de eo loquitur: De aliorum placitis grave judicium: quod fert proprium forti ratione tuetur.

III. P. Thomas Tamburinus binos ſcripſit tractatus paulo majores in Decalogum, & de Sacramentis. Duos item minores, quorum alter expeditum modum celebrandi alter expeditum Methodum confeſſionis explicat, qui omnes ob ſoliditatem & brevitatem, ac claritatem non pa-

rùm

tùm hactenus commendati sunt ab iis, qui legerunt.

IV. P. Ioannes Azor Institutionum moralium tomos tres conscripsit, in quibus præ cæteris eruditio cum soliditate dote doctrinæ conjuncta æstimatur.

V. Martinus Bonacina tres quoque Thomos in Theologiam moralem conscripsit, varietate Casuum ex principiis generalibus deductorum præcipuè commendatos.

VI. B. Valerius Reginaldus, qui, teste P. Philippo Alegambe in Bibl. Soc. viginti annis Theologiam moralem cum summa nominis celebritate docuit, scripsit praxin Fori pœnitentialis duobus grandibus tomis comprehensam, & confessariis præcipuè (in quorum subsidium etiam libellum alium de Prudentia & cæteris in Confessario requisitis composuit) perutilem ob universalitatem materiæ ad hoc officium requisitæ.

VII. P. Thomas Sanchez, quem, teste Alegambe passim Præsules, & viri Principes consulebant tanquam absolutissimum Theologum, & Iuris utriusque peritissimum; sed & scriptores passim vocabant Scriptorem gravissimum, eruditissimum, illustrissimum, moralium Scriptorum Principem, scripsit imprimis tomos tres de Matrimonio, de quibus Clemens VIII. pronuntiavit, nullum unquam Scriptorem extitisse, qui dubias de Matrimonio Controversias uberius & accuratius enucleasset. Item alios tomos duos, quibus varias alias doctrinas morales pari judicio, perspicuitate, soliditate, & subtilitate tractavit.

VIII. P. Georgius Gobat, qui duos tomos scripsit, unum Experientiarum Theologicarum, in quo septingentos casus proponit, & mira felicitate, soliditate, & ammænitate decidit, alterum Exegeticum quinque tractatus peculiares complectentem; qui proinde libri sed prior præcipuè utpotè materiam de omnibus Sacramentis complectens, & quàmplurimos casus in quotidiana praxi occurrentes, & ab aliis non facilè indicatos continens, & ad praxim peraccommodatè proponens meritè dignissimi videntur, qui ad manus semper habeantur à Curatoribus animarum, & iis etiam, qui in Theologiæ Studio proficere cupiunt.

IX. Antoninus Diana Clericus Regularis Resolutionum moralium tomos undecim conscripsit meritè ob eruditionem & doctrinam ab Authoribus commendatos, uti elogia decimo & undecimo tomo præfixa testantur; quia tamen ob multitudinem Tomorum nec facile, nec volupe est cuique tot libros emere ac pervolvere, saltem compendium illorum, quod Ausonius Noctinos, seu, ut propriè eum vocari Diana ipse p. 10. tr. 16. re. 70. asserit, Ausonius Cottonius composuit, & in Epistola præfixa solum ut suum approbat Diana) comparasse, & studiosè evoluisse proderit.

X. P. Hermannus Busembaum Medullam Casuum Conscientiæ conscripsit, ob brevitatem simul, & soliditatem, perspicuitatemque tantopere commendatam, ut plurimi ante, quàm typis vulgaretur, privatim eam propriis manibus descripserint; unde velut aptissimum totius Theologiæ moralis compendium, & non veterum duntaxat, sed etiam novorum Authorum opinionibus eruditè illustratum compendium meritò omnibus Theologis Moralis Studiosis, nec non & ipsis animarum Curatoribus summopere commendatur.

XI. Eligius Bassæus Ordinis Capucinorum flores totius Theologiæ Practicæ collegit, à singulari diligentia, claritate ac brevitate multùm à viris doctis commendatos.

XII. Franciscus Bardus Soc. IESV disceptationes morales scripsit de conscientia in communi, recta erronea, probabili dubia, & scrupulosa; opus ut in titulo libri dicitur, summo studio elaboratum, omnibus Confessariis, Pœnitentibus, Studiosis, tum utriusque Iuris Professoribus & Iudicibus ad decidendos casus inusitatos utilissimum & necessarium.

XIII. Card. Ioan. de Lugo responsa moralia scripsit, vel ideo magni æstimanda, quod ad praxin non parùm serviant: & in illis perinde ut in aliis suis libris appareat in seligendis melioribus sententiis præstant judicium; in explicandis iisdem eximia claritas, & cum perspicuitate, quod ratum est, congrua brevitas.

XIV. Vincentius Filliutius Soc. IESV moralium quæstionum de Christianis officiis, & Casibus Conscientiæ ad formam Cursus, qui prælegi solet in Collegio Societatis Romano, duos tomos conscripsit, Confessariis ob practicum modum tractandi non parùm utiles.

XV. Henricus Henriquez S. I. tres tomos Theologiæ moralis conscripsit, vel ideo æstimandos, quod Henricus vir fuerit

fuerit in Theologicis disciplinis perfectè eruditus, quas & cum magna doctrinæ opinione publicè professus est, ut Bibliotheca Societatis testatur.

XVI. Ludovicus de Molina S. I. tractatum de jure & justitia scripsit, dignum suo Parente partum, erat autem tantæ in Theologia authoritatis & æstimationis in tribunalibus, & apud Iuristas, ut sine ullo adminiculo & copia aliorum Authorum censeatur afferre lumen veritati, decisionem causis, terminum litigiis, uti Bibliotheca Soc. refert.

XVII. Basilius Pontius Augustinianus lumen fulgentissimum Salmanticensis Academiæ & vir eminentissimi ingenii, ut Diana eum vocat, tomum de Matrimonio scripsit ab omnibus viris doctis Meritò summopere prædicandum.

XVIII. Laurentius de Portel Ordinis Minorum de observantia dubia regularia conscripsit, quæ, teste Diana in Catalogo, sunt mira claritate & eruditione referta, & non solùm ab Ordinario, sed etiam officio Inquisitionis approbata.

XIX. Ioannes Sanctius selectas disputationes scripsit, opus, ut ait Diana in Catal. script. immortalitate dignissimum, in quo Author ingenii acumen, & doctrinam luculenter demonstrat.

APPENDIX.

COMPREHENDENS METHODUM COMPENDIARIAM REFORMATIONIS ECCLESIASTICAE.

In

Decretis Concilii Tridentini Contentæ.

Proœmium.

1. ETsi Sacerdotes omnes & præcipuè Curatores animarum meritò per magni facere, & memoriæ firmiter imprimere deberent, omnium conciliorum œcumenicorum saluberrima decreta, utpote maturo consilio longaque deliberatione, & ipso, ut fas est credere, dictante Spiritu Sancto ob altissimos fines concepta, atque ad Ecclesiæ (cujus ministri sunt Sacerdotes) augmentum ac conservationem, animarumque, quæ ipsis ut Pastoribus commissæ sunt, salutem præcipuè ordinata; quia tamen plerumque nec Libros, in quibus ejusmodi decreta continentur, ad manus habent, nec etiam tempus aut animum ad tantam Decretorum multitudinem perlegendam, ideò saltem Concilii Tridentini quod brevi quasi Compendio omnes præteritorum Conciliorum saluberrimas Constitutiones renovavit, & confirmavit, Canones atque decreta diligenter pervolvere, ac Studiosè observare debent. Quod ut assequantur, duo præcipuè prænotare oportet.

II. Primò, Concilium hoc œcumenicum anno 1542. 22. Maij à Paulo III. Statutum, & in solenni Prinicipis Apostolorum die promulgatum, atque in ipso Sanctorum omnium Festo inchoandum indictum, sed ob varia impedimenta interjecta 13. Decembris primùm inchoatum, postea sub

Iulio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iulio III. continuatum, & tandem sub Pio IV. ducentis quinquaginta Patribus præsentibus feliciter absolutum esse; quod quidem, quantæ sit Authoritatis, quantoque in honore & æstimatione habendum, non possum clariùs & efficacius, quàm verbis Eminentissimi Cardinalis, Pallavicini, exprimere, qui in eruditissima sua & solidissima Historia Concilii Tridentini c. 1. appar. sic loquitur: *Iam verò si quis Religionis processus meretur ob ejusmodi commoda, ut posteriorum memoria commendetur, ea sine dubio est habenda œcumenica Synodus superiori sæculo Tridentina celebrata. Nullum è reliquis Conciliis ea diuturnius tempore, amplius fidei dogmatibus ibi sancitis, morum legumque mutatione efficacius, obstaculis interpositis magis arduum, sedulitate in rebus discutiendis accuratius, &, quod ferre solet operis magnitudo, nullum magis ab Amicis collaudatum, ab inimicis vituperatum.* Ita ille.

III. Secundò notandum est; Concilium hoc duos maximè ob fines Spiritu S. inspirante congregatum, & celebratum fuisse. Ad exaltationem fidei, & extirpationem hæresum. 2. Ad reformationem Clerici, ac populi Christiani, ut dicitur sess. 1. Priorem fidem assequi studuit S. Synodus decretis & Canonibus, de plerisque fidei nostræ articulis, & mysteriis S. Spiritu dictante confectis. Posteriorem decretis de reformatione, quæ secretis fidei subjunxit. Ea, quæ ad Mysteria fidei pertinent, Theologi in scholis explicant, & adversus Hæreticos propugnant. Reformationis negotium Episcopis, aliisque Prælatis præcipuè incumbit, neque tam explicatione indiget, quàm executione, cujus neglectu ingens detrimentum multis locis patitur Ecclesia, animarum salus. Cui utrique, si tantùm prodesse volunt Episcopi, quantum sub periculo æternæ damnationis obstringuntur, nec meliùs, nec faciliùs id præstabunt, quàm S. Concilii Tridentini integra ac inviolata, quoad fieri poterit, observatione.

IV. Quia verò decreta Reformationis, pro ut res & occasio ferebat, per sessiones sparsa sunt, & rarò, quæ eandem materiam concernunt, simul juncta reperiuntur; imò multa in prioribus inchoata solùm, & velut delineata pluribus interjectis annis, in posterioribus demum sessionibus aucta, completa, & accuratiùs, prolixiùsque definita; quæ-

quædam etiam limitata sunt. Hinc non adeò facile est, sapientissimæ, sanctissimæque Reformationis tenorem, & singula ejus membra perspicere, ac animo complecti. Imò non rarò errabit, qui in prioribus sessionibus quælibet quasi integrè & absolutè definita accipiet, cùm in posterioribus multa addantur, & limittentur.

V. Quare operæ pretium visum fuit fore, si omnia Reformationis capita in methodum redacta, & in certas partes distributa sub aspectum darentur, ut citiùs, faciliùsque appareat, quid quaque de re Concilium præcipiat, quæ ejus decreta quovis loco observentur aut negligantur. Qui labor Clericis præcipuè gratus accidere debet, utpote quorum Reformatio præcipuè in his Concilii decretis intenditur; atque adeò meritò memoriæ firmiter imprimere debent, quæ ab eodem Concilio ad hunc finem saluberrimè sunt constituta; id quod accurata hujus Compendiariæ Methodi lectione haud difficulter obtinebunt.

VI. Vt autem omnia ordinatè & distinctè proponantur, summatim tres hujus Reformationis partes distingui possunt, quarum prima de iis, quæ ad fidem & Sacramenta quædam, seu potius legitimum eorum usum, valorem & debitam administrationem pertinent tractabit. Secunda de officio & jurisdictione Episcoporum, quæ tanta illis tribuitur, quantam subditorum gubernatio, & Ecclesiæ Reformatio requirit, aget. Tertia, quæ ad officium & disciplinam reliquorum Ecclesiasticorum & partim etiam Laicorum pertinent, explicabit: De quibus Laicis ideò pauca S. Synodus & professo attingit, quia Reformatio Clerici secum trahit Reformationem populi Christiani, ubi enim recta via eunt Pastores, non aberrant oves.

PARS

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS I.

DE IIS, QUAE AD FIDEM SEU SACRAMENTA PERTINENT.

CAPVT I.

De professione Fidei.

I. PRofessio fidei facienda est ab omnibus promovendis ad Ecclesias Cathedrales, & cùm informatione de illis in publicum instrumentum redacta mittenda ad Pontificem sess. 24. c. 12.

II. Provisi de beneficiis curatis eandem facere debent in manibus Episcopi aut ejus Vicarii intra duos menses Possessionis à die adeptæ Professionis ibidem.

III. Item Provisi de dignitatibus & Canonicatibus Cathedralibus, non solum coram Episcopo, sed etiam in capitulo, alioqui prædicti omnes fructus non faciunt suos. ibid.

IV. Item Episcopi & omnes, qui interesse debent in primo Concilio provinciali, post finem hujus Concilii habendo sess. 25. c. 2.

V. Item omnes promovendi in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos; Ibidem. Renuentes deferantur ad Pontificem ab Episcopis comprovincialibus, qui interim à communione eorum abstineant. ibid.

VI. Item Magistri, Doctores, & alii in universitatibus singulis annis se obstringant ad ea docenda, quæ sunt Catholicæ fidei conformia. ibidem.

CAPVT II.

De Sacra Scriptura.

I. NEmo Scripturam interpretetur contra communem sensum Ecclesiæ & Patrum; etsi ea interpretationes nunquam forent edendæ sess. 4. de editione & usu Sacrorum librorum.

II. Nemo verba & sententias Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, incantationes indivinationes, sortes, libellos famosos &c. usurpet, sub pœnis juris & arbitrii episcopalis, ibidem.

III. Nemo imprimat aut imprimi faciet libros de rebus sacris sine Nomine Authoris, nec vendat aut retineat, nec legat, vel aliis communicet, nisi examinatos & approbatos ab Ordinario sub pœna pecuniæ & anathematis Concilij Lateranensis sub Leone X. sess. 10.

IV. Regulares ultra prædicta licentiam suorum superiorum impetrare debent, recognitis eorum libris juxta suas ordinationes ibid.

V. Probatio in scriptis detur, & in fronte libri authenticè appareat: tam ipsa autem, quàm examen gratis fiat, ibidem.

VI. Vbi est beneficium pro lectoribus Theologiæ deputatum, ordinarii locorum beneficiatos ad interpretationem Scripturæ per se ipsos, si idonei sunt, aut per idoneum substitutum, ab ipsis approbandum compellant, etiam subtractione fructuum sess. 5. c. 1.

VII. De cœtero stipendium hujusmodi non nisi Personis idoneis ad hoc munus conferatur, alias provisio sit nulla, ibidem.

VIII. In Ecclesiis etiam collegiatis insignibus, ubi tale stipendium non est, præbenda, præterquam, ex causa resignationis, primò vacatura, & compatibilis ad eum usum, ipso facto perpetuò constituta sit ibidem.

IX. Deficiente tali præbenda Metropolitanus vel Episcopus assignatione simplicis beneficii vel contributione Beneficiatorum, vel aliter provideat lectioni Scripturæ, aliis tamen consuetis lectionibus salvis ibidem.

X. Si Abbates in suis Monasteriis hanc lectionem negligant, ab Episcopis ut delegatis Apostolicis compellantur. In conventibus aliorum Regularium eadem lectio habeatur, & dignioribus Magistris assignetur. Item in Gymnasiis publicis aut instituatur, aut restituatur. ibidem.

XI. Nemo ad hujus lectionis officium admittatur, ni-

si priùs ab Episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus, exceptis Lectoribus in claustris Monachorum; ibidem.

XII. Lectores autem & discipuli privilegiis de percipiendis fructibus in absentia gaudeant. ibidem.

XIII. In Ecclesiis tenuibus, & ubi lectio scripturæ commodè haberi non potest, Episcopus cum consilio Capituli Magistrum eligat, qui Clericos aliosque pauperes Gramaticam gratis doceat, qui mercedem accipiat ex simplici beneficio, vel ex Episcopi aut Capituli mensa, vel Episcopus aliter provideat. ibidem.

CAPVT III.

De Reliquiis & Imaginibus.

I. INsolitam imaginem, nisi ab Episcopo approbatam nemo ullo loco ponat, vel poni curet. Nulla etiam miracula nec novæ reliquiæ recipiantur, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo, qui Theologos in consilium adhibeat. sess. 25. de invocatione Sanctorum, reliquis, & SS. imaginibus.

II. Si dubius aut difficilis sit abusus, aut quæstio gravior, Concilii provincialis sententiam expectet, nihil autem insolitum in Ecclesia, Pontifice inconsulto, decernatur. ibidem.

CAPVT IV.

De Indulgentiis.

I. IN concedendis Indulgentiis moderationem haberi, S. Synodus cupit. sess. 25. de Indulg.

II. Pravi quæstus pro his consequendis aboleantur, alii abusus ex superstitione, ignorantia, irreverentia provenientes ab Episcopo in prima Synodo provinciali referantur, & statim ad Pontificem deferantur. ibidem.

III. Quæstores, eleemosynarii, sive quæstuarii nec per se, nec per alium prædicent. sess. 5. cap. 2. Eorum nomen atque usus penitus aboleatur, non obstantibus privilegiis & consuetudinibus quibuscunque. sess. 21 c. 9.

IV. Indulgentias & alias Spirituales gratias Ordinarii adhibitis duobus de Capitulo publicent; iidem eleemosynas & sponte oblata charitatis subsidia gratis colligere possunt. ibidem.

CAPVT V.

De Sacrificio Missæ.

I. ABusus, qui ex avaritia, superstitione, vel irreverentia irrepserunt, Episcopi tollere, sedulò curent, ac teneantur. sess. 22. decr. de observandis & evitandis in celebratione Missæ.

II. Conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis, & importunas eleemosynarum exactiones, aliaque similia prohibeant. ibid.

III. Interdicant, ne cui vago celebrare liceat. ibidem.

IV. Nullum peregrinum sine sui Ordinarii litteris ad divina celebranda aut Sacramenta administranda admittant. sess. 23. c. 16.

V. Publicè & notoriè criminosos altari ministrare, aut Sacris interesse ne permittant. sess. 22. decr. de obs. & evit. in celebr. Missæ.

VI. Privatis in domibus atque extra Ecclesiam & oratoria ab ipsis ordinariis designanda & visitanda Sacrificari ne sinant. ibidem.

VII. Ab Ecclesiis Musicas lascivas, sæculares actiones, vana atque adeò profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant ibidem.

VIII. Caveant, ne Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent: ne ritus aut ceremonias & preces ab Ecclesia non receptas adhibeant. ibidem.

IX. Missarum & candelarum numerum, superstitiosum removeant. ibidem.

X. Doceant populum de sacrificii hujus fructu, & moneant, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus dominicis & majoribus Festis accedant. ibid.

XI. Hæc & quæcunque alia huc pertinere visa fuerint,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rint, ipsi ut delegati Apostolici mandent, corrigant, statuant. sub censuris & pœnis arbitrariis, non obstantibus privilegiis, appellationibus, & consuetudinibus quibuscunque. ibidem.

XII. Vbi tantus est Missarum numerus pro defunctis, ut illis pro singulis præscriptis diebus satis fieri nequeat, vel eleemosyna pro illis nimis est tenuis, possunt Episcopi in Synodo diœcesana: item Abbates & Generales ordinum in Capitulis generalibus statuere, quidquid viderint expedire: ita tamen, ut eorum defunctorum semper commemoratio fiat, qui legata reliquerunt. sess. 25.

CAPVT VI.

De Sacramento ordinis.

§. I.

De prima Tonsura & ordinibus minoribus.

I. PRima tonsura non initienrur, nisi confirmari, & scientes rudimenta fidei, ac legere & scribere, quique hoc vitæ genus ob divinum cultum eligant. Sess. 23. c. 4.

II. Ad minores Ordines promovendi bonum à Parocho & Magistro Scholæ, testimonium habeant, ibidem. ca. 5. Linguam latinam intelligant, & dent spem scientiæ majoris. ibidem. c. 11.

III. Per temporum interstitia conferantur, & promati in uno quoque tempore se in iis exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia, & non nisi post annum à susceptione postremi Ordinis minoris ad Sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat. ibidem.

IV. Nullus prima tonsura aut Minoribus initiatus capax est beneficii ante annum 14. ætatis. ibid. c. 6.

V. Nec gaudet privilegio fori, nisi Beneficium habeat, & habitum ac tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviat, vel in Seminario aut Scholis, quasi in via ad majores Ordines versetur. ibidem.

VI. In Clericis conjugatis servetur constitutio Bonifacii

cii IX. quæ incipit: Clerici, qui cum unicis (in 6. de Clerico conjugat.)

VII. Modò alicui Ecclesiæ in habitu & tonsura ex deputatione Episcopi deserviant. ibidem.

§. II.

De Ordinibus Majoribus.

I. Ad singulos Majores assumendi per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri committat, ut nominibus ac desiderio eorum in templo publicè propositis de ipsorum Natalibus, ætate, moribus, vita inquirat.

II. Et litreras testimoniales inquisitionem continentes ad Episcopum quàm primùm trasmittat. Sess. 23. c. 5.

III. Nullus imposterum ne Regularis quidem ad subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratus ante 25. ætatisannum promoveatur. ibid. Privilegiis penitus exclusis, ibid. c. 12.

IV. Nullus Clericus sæcularis ad Ordines Majores promoveatur, nisi pacificè Beneficium sufficiens possideat. Quod resignare validè non possit, nisi expresso titulo hoc Ordinationis, & nisi aliunde vivere commodè possit. Sess. 21. c. 2.

V. Titulo patrimonii vel pensionis ordinari non possint, nisi quos Episcopus judicaverit Ecclesiis suis necessarios, vel utiles, & à quibus patrimonium aut pensio sufficiens verè obtineatur, quam resignare sine licentia Episcopi non possint, donec aliud beneficium sufficiens habeant. ibidem.

VI. Nullus ordinetur imposterum, qui Ecclesiæ aut pio loco, pro quo assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Sess. 23. c. 16.

VII. Si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur. ibidem.

VIII. Subdiaconi & Diaconi ordinentur, ut habentes bonum testimonium, & in minoribus jam probati; ac litteris, aliisque necessariis instructi, qui sperent, se posse continere, Ecclesiis suis inserviant. ibidem.

IX. Promoti ad Subdiaconatum, ad altiorem Ordinem non ascendant intra annum, nisi aliud Episcopo videatur. ibid.

X. Duo Sacri Ordines eodem die nemini etiam Regulari conferantur, non obstantibus quibusvis privilegiis. ibid.

XI. Ad Presbyteratum assumantur in aliis Ordinibus ante probati, bonum habentes testimonium per annum in Diaconatu versari, nisi aliud Episcopo videretur; ad Populum docendum præcedente examine reperti idonei & pietate ac moribus conspicui. ibidem.

XII. Curet Episcopus, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis & festis solennibus celebrent; Curati autem toties, quoties tenentur. ibid.

XIII. Nullus etiam Regularis potest Confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, Privilegiis & consuetudine non obstantibus. ibid. c. 15.

XIV. Imposterum ministeria Ordinum non nisi perconstitutos in illis exerceantur, omnesque Prælati, quantum fieri commodè poterit, hujusmodi functiones restituant: easque exercentibus ex simplicibus Beneficiis aut Fabrica Ecclesiæ, si proventus suppetant, stipendia assignent. ibid c. 17.

XV. Ministeria Minorum, si Cœlibes desint, obire possint Clerici conjugati, modo non sint bigami, & tonsuram ac habitum gestent. ibidem.

§. III.

Quo tempore ac loco, & à quo Episcopo Ordines conferri debeant.

I. Ordinationes statutis temporibus in Cathedrali Ecclesia vocatis; præsentibusque Canonicis publicè fiant. Sess. 23. cap. 8.

II. Si autem alibi, præsente Clero loci dignior Ecclesia, quantùm fieri poterit, adeatur ibidem.

III. Episcopus autem viris peritis sibi adscitis, eorum genus,

genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam & fidem examinet: ibid. Regulares quoque sine præcedenti examine non ordinet, privilegiis omnino exclusis. ibid. cap. 12.

IV. Episcopi per se ipsos ordinent. Si ægri sint, subditos non aliter, quàm probatos, examinatos, ad alium Episcopum dimittant. ibidem.

V. Ordinum collatores, eorumque ministri pro Ordinum & Tonsuræ collatione, item pro dimissoriis aut testimonialibus, vel pro sigillo, etiam sponte oblatum nihil accipiant. Sess. 21. c. 1.

VI. Notariis verò (ubi non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi) alio salario destitutis pro litteris dimissoriis & testimonialibus decimam tantùm aurei partem accipere liceat, Contrariis taxis, statutis, consuetudinibus quibusvis cessatis. ibidem.

VII. Vnusquisque à suo proprio Episcopo ordinetur. Sess. 23. cap. 8.

VIII. Petens promoveri ab alio, non ordinetur, nisi Ordinarii sui testimonio commendetur. Si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus ab eorum executione ad arbitrium Ordinarii sit suspensus. ibidem

IX. Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & Episcopus ordinans in sua Diœcesi resideat. Sess. 14. c. 11.

X. Episcopus quoscunque suos Clericos præsertim in sacris Constitutos, sine suo examine, litteris, & authoritate promotos, quos minus idoneos repererit, ad tempus possit suspendere ab Ordinum exercitio. Sess. 14. c. 3.

XI. Nec Abbates, nec alii exempti, aut collegia, vel Capitula litteras dimissorias Clericis sæcularibus concedant, sed Episcopi, non obstantibus privilegiis, & consuetudinibus quibusvis, Sess. 23. c. 10.

XII. Capitula sede vacante, infra annum à die vacationis, dimissorias alicui, qui beneficii recepti vel recipiendi occasione arctatus non fuerit, ne concedant, aliàs subjacent interdicto, & sic ordinati in minoribus nullo privilegio clericali gaudant, in majoribus verò ab exercitio Ordinum sint ipso jure suspensi. Sess. 7. c. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XIII. Hæc pœna extenditur ad eos, qui easdem litteras ab aliis quibusvis in jurisdictione Episcopi loco Capituli sede vacante succedentibus obtinent; Concedentes autem ab officio per annum sint ipso jure suspensi, Sess. 23. c. 10.

XIV. Nullus Episcopus Pontificalia in aliena Diœcesi exerceat, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in Personas, eidem Ordinario subjectas tantùm. Sess. 6. c. 5.

XV. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi. ibidem.

XVI. Episcopi titulares neminem etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatis suæ absque sui proprii Prælati expresso consensu aut dimissoriis ad aliquem Ordinem vel primam tonsuram promovere valeant. Sess. 14. cap. 2. Contra faciens à Pontificalibus per annum, promoti verò ab Ordinibus ad arbitrium sui Prælati sint ipso jure suspensi, ibidem.

XVII. Abbatibus & aliis quibusvis, quantumvis exemptis non liceat intra fines alicujus Diœcesis, etsi nullius Diœcesis esse dicantur, cuiquam, qui Regularibus sibi subditus non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre. Sess. 23. cap. 10.

CAPUT VII.

De Sacramento Matrimonii.

I. Antequam matrimonium contrahatur, contrahentes à proprio Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solennia denuncientur. Sess. 24. de reformatione Matrimonii ca. 1.

II. Nullo legitimo impedimento opposito Parochus eos in facie Ecclesiæ conjugat verbis receptis. ibidem.

III. Si suspicio sit matrimonium malitiosè impediendum, vel una tantùm denuntiatio fiat, vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. ibidem.

IV. Qui aliter, quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia & duobus vel tri-

tribus testibus præsentibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos facit: insuper Sacerdotes, testes, contrahentes, contrafacientes graviter ab Ordinario puniri præcipit. ibid.

V. Conjuges non cohabitent ante benedictionem in templo suscipiendam à proprio Parocho, sine cujus licentia, qui Sponsos conjunxerit, aut benedixerit, jure suspensus maneat, donec ab Ordinario Parochi absolvatur. ibidem.

VI. Parochus Conjugum & testium nomina, diemque & locum in libro describat. ibid.

VII. Moneantur Conjuges, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante consumationem confiteantur & communicent. ibidem:

VIII. Aliæ quoque laudabiles provinciarum Consuetudines retineantur. ibid.

IX. Hoc decretum quàm primum, & deinde toties, quoties expediet, in singulis Parochiis publicetur, & robur suum habeat post 30. dies à die primâ publicationis. ibid.

X. Vnus tantùm sive vir, sive mulier vel ad summum unus & una baptizatam de Baptismo suscipiant, nec plures Parochus admittat. ibidem: c. 2. Inter quos ac baptizatum ipsum, & illius Patrem & Matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique Patrem ac Matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur, de qua, ejusve obligatione suscipientes Parochus moneat, eorumque nomina in libro describat. ibidem.

XI. Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, Confirmantem & confirmatum, illiusque Patrem ac Matrem non egrediatur. ibidem.

XII. Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, si Sponsalia valida non sint, nullum sit valeant, primum gradum non excedat.

XIII. Affinitatis quoque ex fornicatione ortæ impedimentum, Matrimonium postea contractum in primo & secundo gradu dirimat. c. 4.

XIV. Infra gradus prohibitos scienter contrahens separetur, & spe dispensationis careat, præcipuè si matrimonium consummaverit.

XV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XV. Idem ferat, qui ignoranter id fecerit, solennitatibus matrimonii neglectis, si eas adhibuit, faciliùs & gratis dispensetur.

XVI. In matrimoniis nunquam aut rarò, idque non nisi ex causa & gratis dispensetur, in secundo gradu non nisi inter magnos Principes & ob publicam causam. c. 5.

XVII. Inter raptorem & raptam in potestate raptoris constitutam matrimonium est invalidum; quòd si loco tuto constituta sit rapta, & raptòrem in virum habere velit, eam raptor habeat. c. 6. Et nihilominus ipse, ac consilium, auxilium, favorem, præbentes, sint ipso jure excommunicati, & perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. ibidem.

XVIII. Vagi ad matrimonium non facilè recipiantur, nec illorum matrimoniis Parochi intersint sine requisitione prævia, & licentia Ordinarii. c. 7.

XIX. Concubinarii tam soluti, quàm uxorati, si ab Ordinario etiam ex officio ter moniti à concubinarum consuetudine se non sejunxerint, excommunicentur. Si in concubinatu neglectis censuris per annum permanserint, ab Ordinario severè puniantur. c. 8.

XX. Concubinæ publicæ, si ter admonitæ non parverint, ex officio graviter puniantur, & extra oppidum vel Diœcesin, si videbitur, ejiciantur, etiam invocato brachio sæculari. Aliis quoque adulterorum & concubinariorum pœnis in suo robore permanentibus. ibidem.

XXI. Nemo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogat, quò minùs liberè matrimonium contrahant c. 9. Transgressores excommunicationis pœnam ipso facto incurrant. ibidem.

XXII. Ab Adventu usque ad Epiphaniam, & à Feria IV. Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè, observentur antiquæ prohibitiones solennium nuptiarum, quæ aliis temporibus permittuntur. c. 10.

XXIII. Episcopi verò, ut ea, qua decet modestia & honestate fiant, curabunt. ibidem.

PARS II.

DE OFFICIO ET IVRISDICTIONE EPISCOPORVM.

CAPVT I.

DE QVALITATE, PROMOTIONE, ET CONSECRATIONE EPISCOPORVM.

I. Episcopi eligantur ex legitimo matrimonio nati, ætate matura, gravitate morum & scientia præditi juxta Constitut. Alex. III. quæ incipit eum in cunctis. C. de electione & electi potestate. c. 7. Sess. 7.

II. Sint Doctores aut Licentiati in Theologia, vel Iure Canonico, aut publico testimonio alicujus Academiæ (vel Superiorum, si Regulares fuerint) ad alios docendos idonei ostendantur, in Sacro Ordine antea saltem sex mensium spatio constituti sint. Sess. 22. c. 2.

III. Cum Ecclesia vacaverit, supplicationes & preces à Capitulo pro felici electione indicentur. Sess. 24. c. 1.

IV. Qui jus ad promotionem Episcoporum habent, meminerint, se mortaliter peccare, si, quos digniores judicaverint præfici non curent. ibidem.

V. In Synodo Provinciali forma examinis seu inquisitionis & instructionis de promovendis faciendæ, conficiatur à Pontifice approbanda. S. Inquisitio de persona promovenda, perfecta, & in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio ac professione fidei ab eo facta, quam primum mittatur ad Pontificem. ibidem.

VI. Omnes verò inquisitiones, reformationes, testimonia, per Cardinalem, relationem in Consistorio facturum, & alios tres Cardinales examinentur, ac Relationi omnes quatuor subscribant, affirmentque sub periculo salutis æternæ, promovendos sibi idoneos videri. Relatione autem in uno Consistorio facta judicium in aliud differatur, nisi aliud videatur Pontifici. ibidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VII. Supradicta omnia etiam observentur in Creatione Cardinalium, quos Pontifex selectissimos ex omnibus Christianitatis nationibus, quantùm fieri poterit, assumet ibidem.

VIII. Ecclesiis Cathedralibus præfecti, etiam Cardinales, nisi intra tres Menses Consecrationem recipiant, ad fructuum restitutionem teneantur; Si intra totidem menses postea id non fecerint, Ecclesiis sint ipso jure privati. Sess. 23. c. 2. Nec prorogationes ultra sex Menses concessæ, ulli suffragentur. Sess. 7. c. 9. Consecratio verò, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in Provincia, si commodè fieri possit, celebretur. Sess. 23. c. 2.

CAPVT II.

De moribus, residentia, & auctoritate Episcoporum.

I. Episcopi ita mores componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac humilitatis exempla petere possint. Quare modestia, suppellectili & mensa ac frugali victu contenti sint. Sess. 25. c. 1.

II. Ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, Familiaresque suos augere ne studeant; sed, si pauperes sint, ut pauperes juvent. ibidem. Idem à Cardinalibus observetur. ibidem.

III. Nemo plures Cathedrales Ecclesias recipere quovis nomine, & simul retinere præsumat; plures nunc detinens, una retenta, reliquas intra sex Menses, si ad liberam Pontificis dispositionem pertineant, aliàs intra annum dimittat. Sess. 7. c. 2. Alioqui excepta ultimò obtenta, reliquæ eò ipso vacare censeantur. ibidem. Vnam Cathedralem & aliam Parochialem obtinens; una tantùm Parochiali vel Cathedrali retenta, aliàs Parochiales intra sex Menses dimittat; Alioqui omnia beneficia, quæ obtinent, ipso jure vacent.

IV. Omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, in Ecclesiis suis resideant. Sess. 6. c. 1.

V. S. Synodus Sacra antiquos Canones adversus non residentes innovat. ibidem.

VI. Si

VI. Si quis ex prædictis ab Ecclesia sine justis causis, sex Mensibus continuis extra Diœcesin morando abfuerit, ipso jure amittat quartam partem fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ aut pauperibus applicandam. Si alios sex Menses abfuerit, aliam quartam partem similiter applicandam amittat. Crescente contumacia Metropolitanus Suffraganeos absentes, Metropolitanum verò absentem Suffraganeus antiquior sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda Pontifici denuntiet. ibid.

VII. Caritas, necessitas, obedientia, evidens Ecclesiæ aut Reipublicæ utilitas, sunt legitimæ Episcopalis absentiæ causæ, quas Pontifex aut Metropolitanus, vel eo absente Suffraganeus antiquior in scriptis probare debet. Sess. 23. cap. 1. Nisi absentia inciderit propter munus Reipublicę Episcopati adjunctum. Extra prædictas causas absentiæ spatium singulis annis, sive continuum sive interruptum duas aut summum tres Menses non excedat; & habeat justam causam, ac sit sine gregis detrimento, qui præsertim sacris temporibus deseri non debet. Transgressores hujus pœnæ præter pœnas positas n. 5. & 6., ac mortalis reatum peccati pro rata temporis fructus suos non faciant, sed teneantur eos, sine alia declaratione fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus erogare, prohibita quacunque compositione, nec obstantibus quibuscunque privilegiis. ibidem.

VIII. Episcopis ubique primus honor & locus tribuatur, ac præcipua auctoritas. Sess. 25. c. 6.

IX. Iidem se Patres & Pastores esse meminerit, nec indecedenter se demittant erga Regum Ministros, Regulos, Barones &c. ibid. Principes verò & alii eos debito honore prosequantur. ibid.

X. Episcopus, nisi deponendus, sive privandus esset, ut personaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur. Sess. 13. cap. 6.

XI. Testes in causa criminali, aut aliàs principali contra Episcopum, nisi contestes & bonæ famæ, non recipiantur. Si aliquid ex pravo affectu deposuerint, graviter mulctentur. ibid. c. 7.

XII. Causæ Episcoporum criminales graviores, etiam hæresis, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, aut cùm

pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro criminis qualitate Episcopus comparare debet, ab ipso tantùm Pontifice cognoscantur, & terminentur. ibid. c. 8. & Sess. 24. num. 5. Si necesse sit, causam extra curiam committi, non committatur, nisi Metropolitano, aut Episcopo. Si verò commissio specialis Pontificis manu signata, nec ultra facti instructionem, processusque formationem se extendat, reservata Pontifici sententia definitiva. ibidem. Vltra supradicta servetur constitutio Innocentii III. quæ incipit qualiter. ibid. Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tantùm provinciali cognoscantur & terminentur vel à deputandis per Concilium provinciale. ibid.

CAPVT III.

De prædicatione verbi Dei.

I. EPiscopi, Archiepiscopi, Primates, & omnes alii Ecclesiarum Prælati, tenentur per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum IESV Christi Evangelium. Legitimè impediti viros idoneos assumant. Sess. 5. c. 2. Sess. 24. c. 4.

II. Episcopi in Ecclesia sua per se, aut legitimè impediti per alios, in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive iis impeditis per alios impensis eorum, ad quos spectat, alendos prædicent, saltem omnibus Dominicis & solennibus Festis, in Quadragesima autem & Adventu quotidie vel ter in hebdomada, si ita oportere duxerint. Moneantque populum, teneri unumquemque in sua Parochia audire Verbum DEI, si commodè id fieri potest. Sess. 25. c. 4.

III. Iidem saltem Dominicis & Festis diebus curabunt pueros in singulis Parochiis edoceri fidei rudimenta, & si opus fuerit, censuris compellent eos, ad quos pertinet, ibid.

IV. Sacramentorum vim & usum, non solùm, cùm hæc per se ipsos erunt administranda, populo explicent, sed etiam a Parochis lingua vernacula explicari curent, juxta formam à Cathechesi in S. Synodo præscribendam, quam Episcopi in linguam vulgarem verti, & à Parochis exponi curabunt. ibidem. c. 7.

V. Regulares, nisi à suis Superioribus examinati & approbati,

bati, ac de eorum licentia etiam in Ecclesiis suorum Ordinum ne prædicent, cum qua licentia se Episcopis præsentent, & ab eis benedictionem petent, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò non suorum Ordinum etiam Episcopi licentiam habeant, quam Episcopus gratis concedat. Sess. 5. c. 2.

VI. Nullus sæcularis sive Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat.

VII. Prædicatori errores aut scandala disseminanti, Episcopus prædicationem interdicat, contra prædicantem hæreses, ut delegatus Apostolicus procedat. ibid.

VIII. Regulares extra Claustra & obedientiam viventes vel sæculares, nisi sibi notos & probatos prædicare ne permittant, quorumvis privilegiorum prætextu, donec Pontifex consulatur. ibid.

CAPVT IV.

De conciliis provincialibus & diœcesanis.

I. PRovincialia Concilia, sicubi omissa sunt, renoventur. Sess 24. c. 2.

II. Metropolitanus per se ipsum, seu illo legitimè impedito, Suffraganeus antiquior intra annum à fine hujus Concilii, & deinde quolibet saltem triennio post Octavam Paschæ seu alio commodior tempore Synodum in suam Provinciam cogat. ibidem.

III. Quò Episcopi, aut alii, qui de jure se consuetudine interesse debent, conveniant, iis exceptis; quibus cum periculo transfretandum esset.

IV. Aliàs Episcopi comprovinciales ad Metropolitanam Ecclesiam accedere inviti ne compellantur ibid.

V. Episcopi nulli Archiepiscopi subjecti aliquem vicinum Metropolitanum eligant, cujus Synodo provinciali intersint, & ibi ordinata observent, salva in aliis sua exemptione. ibidem.

VI. Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur. ibidem.

VII. Ad quas etiam exempti, qui cessante exemptione

inte-

Universidad de Deusto
Biblioteca

interesse deberent, & Capitulis generalibus non subijciuntur, accedant. ibid. Parochialium tamen aut aliarum Ecclesiarum Sæcularium etiam annexarum, curam gerentes interesse debeant, quicunque illi sint. ibidem.

VIII. Metropolitani & Episcopi aliique in his negligentes Canonum pœnas incurrant. ibidem.

CAPVT V.

De potestate in capitula.

I. CApitula Cathedralia, illorumque personæ nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligent Auctores, se tueri possint, quò minùs ab Episcopis & aliis majoribus Prælatis per se ipsos solos, vel illis, quibus videbitur, sibi adjunctis, toties, quoties opus fuerit, visitari & corrig, etiam Authoritate Apostolica valeant. Sess. 6. c. 4.

II. Extra visitationem autem non procedat Episcopus, licet coram suo Notario in consueto tribunali, nisi de consilio & assensu duorum ex capitulo, quos initio cujuslibet anni capitulum eligat. Sess. 25. cap. 6. Vnum autem sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere, à quo si ambo discordes fuerint, intra sex dies cum Episcopo tertium eligant, in cujus electione, si etiam discordent, electio sit Episcopi vicinioris & juxta eam partem, cum qua tertius sentiet, res terminetur. ibidem. Aliàs processus & inde secuta nulla sint.

III. In criminibus tamen ex incontinentia provenientibus, ut concubinatu & atrocioribus delictis, ubi de fuga timetur, potest solus Episcopus ad summariam informationem necessariam detentionem procedere ibidem. Servato tamen in reliquis ordine præmisso.

IV. Episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant, si aliquid ad suum suorumque commodum non pertinens, Canonici proponant. ibid.

V. Vicarius absente Episcopo non admittatur, sed ab iis de capitulo hoc perficiatur, ad quos spectat. ibid.

VI. Omnes, qui non obtinent dignitates, nec sunt de Capitulo, in causis Ecclesiasticis Episcopo subsunt. Non obstantibus quo ad supradicta privilegiis, consuetudinibus, concordiis, &c. Salvis tamen privilegiis, quæ Vniversitatibus, earumque personis sunt concessa. ibidem.

VII. Vbi tamen Episcopi aut eorum Vicarii plus juris habent, quàm hic exprimitur, nihil eis derogatur. ibidem.

CAPVT VI.

De visitatione Diœcesis.

I. EPiscopi diœcesin totam saltem biennio, si quot annis propter ejus latitudinem non possunt, per se vel legitimè impediti per alios visitent, sess. 24. c. 3.

II. Metropolitani verò diœceses & Ecclesias suffraganeorum non visitent, nisi causa cognita & probata in Concilio Provinciali. ibidem.

III. Archidiaconi autem, Diaconi, aliique inferiores, ibi, ubi hactenus solebant, deinceps per se ipsos visitent, assumpto Notario de consensu Episcopi, qui Visitatores etiam à Capitulo deputandos, ubi illud visitandi jus habet, approbet, nec prohibeatur, eaidem Ecclesias seorsim visitare. ibidem. Iidem prædicti, visitationis factæ infra mensem rationem reddant, non obstantibus privilegiis & consuetudinibus. ibidem.

IV. Visitationum præcipuus Scopus sit, orthodoxam doctrinam inducere, mores corrigere, populum ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cœtera, pro ut res ferat, ad fidelium fructum constituere. ibidem.

V. Quare Visitatores fraterna caritate, Christianoque zelo, & modesto equitatu, famulatuque visitationem quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia absolvant, ibidem.

VI. Procurationis causa pro visitatione etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis legatis jure debetur, nihil etiam oblatum accipiant, exceptis, tantùm victualibus sibi ac suis frugaliter, moderateque ministrandis, nisi, qui visitantur, malint solvere pecuniam taxatam antea, pro victualibus solvi consuetam ibidem. Salvis

item conventionibus cum Monasteriis, aliisque piis locis aut Ecclesiis non Parochialibus junctis. ibidem.

VII. Vbi consuetudo est, ut à Visitatoribus omnia gratis fiant, id observetur. Qui contra superiùs dicta & decreta aliquid acceperit, duplici restitutionem intra Mensem faciendam pœnis etiam constit. Concilii General. Vienn. quæ incipit, exigit, (in 6. de censibus & exact.) aliisque in Synodo provinciali mulctetur. ibidem.

VIII. Patroni in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent se non immisceant, nec visitationi bonorum stabilium, aut ornamentorum Ecclesiæ, nisi quatenus iis id ex fundationibus ac institutionibus competit. ibidem.

IX. Ordinarii Ecclesias quascunque quomodolibet exemptas authoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, Appellationibus, privilegiis, consuetunidibus penitus exclusis. sess. 7. c. 8.

X. Item beneficia curata cathedralibus, collegiatis, seu aliis Ecclesiis monasteriis & piis locis quibuscunque unita. Deputent autè Vicarios etiam perpetuos, si expedire videbitur, eis tertia parte fructuum, aut majore vel minore, etiam super certa re assignata, qui animarum curam exerceant, non obstantibus, privilegiis, &c. sess. 7. c. 7.

XI. Singulis item annis visitent Monasteria commendata, ubi non viget regularis observantia (exceptis illis, quæ ordinum suorum superioribus non subjectis subsunt, etsi commendata existant. sess. 25. de regul. c. 20. Nec non beneficia quævis etiam regularia qualitercunque commendata congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, curam animarum aliaque rectè exerceri curent, non obstantibus privilegiis, &c. sess. 21. c. 8. In Monasteriis commendatis, ubi viget Regularis observantia, si Regulares superiores ab Episcopo admoniti intra sex Menses non visitaverint, Episcopus etiam ut delegatus Apostolicus ea visitare & corrigere possit juxta eorum instituta, non obstantibus quibuscunque. ibidem.

XII. Ecclesiæ item sæculares, quæ in nullius diœcesis sunt, ab Episcopo, cujus Ecclesia cathedralis est proximior, si id constet; alioquin ab eo, quem semel in Concilio Provinciali Prælatus loci elegerit, tanquam delegato Apostolico, visitentur, non obstantibus privilegiis. sess. 24. c. 9.

XIII. Episcopi habent jus visitandi Hospitalia, collegia, ac Confraternitates Laicorum, etiam quas Scholas, seu aliter vocant, non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia, eleemosynas Montis pietatis, sive caritatis, & pia loca omnia quomodocunque nuncupata & exempta. sess. 22. c. 8.

XIV. Denique in iis, quæ ad visitationem & morum correctionem spectant, habeant jus etiam, ut delegati Apostolici, ea ordinandi, moderandi, puniendi, quæ illis utilia ac necessaria videbuntur. sess. 24. c. 10. Neque in his exemptio, appellatio, etiam ad Pontificem, executionem impediat, aut suspendat. ibidem.

CAPVT VII.

De Cura Parochorum & Parochiarum.

I. EPiscopi etiam & delegati Apostolici cogant Rectores Ecclesiarum Parochialium, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes adjungere, quot erunt necessarii ad Sacramentorum administrationem & divinum cultum sess. 21.

II. Vbi locorum distantia & difficultas exigit, novas Parochias constituant, juxt. Constit. Alex. III. quæ incipit, ad audientiam. (l. 3 de Ecclesiis ædificandis) Novis autem Parochis assignent portionem competentem ex fructibus Ecclesiæ Matricis, aut Populum compellant ad eam subministrandam, non obstantibus etiam quibuscunque provisionibus vigore resignationis. ibidem.

III. Vbi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, eo distinguant, & unicuique suum peculiarem Parochum affirment. sess. 24. cap. 13. Vbi nullæ sunt Parochialis quàm primùm fieri curent, non obstantibus quibuscunque, &c. ibid.

IV. Illiteratis & imperitis Parochis, si alias honestæ vitæ fuerint, Coadjutores aut Vicarios deputent, assignata fructuum parte, aut aliter eis providentes. Scandalosè viventes & prœmonitos castigent, incorrigibiles beneficiis privent, etiam ut delegatis Apostolici, non obstante exemptione aut appellatione, &c. ibidem.

V. Eosdem ad prædicationem verbi Dei & habendam doctrinam Christianam compellant.

VI. Cùm Parochialis Ecclesiæ cujuscunque, etiam, si reservata vel affectata fuerit, generaliter aut specialiter vigore cujusvis indulti, vacatio per obitum, vel resignationem etiam in curia seu aliter contigerit, Episcopus statim, si opus fuerit, in ea vicarium constituat, assignata congrua fructuum portione. sess. 24. c. 18.

VII. Episcopus & Parochus intra decem dies vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum aliquot idoneos nominet, coram examinatoribus deputandis. ibidem. Possunt tamen etiam ab aliis aliqui apti nominari, imò & per edictum vocari, qui volent examinari ibidem.

VIII. Constituto tempore, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, aut eo impedito ab ejus Vicario, & aliis examinatoribus, non paucioribus, quàm tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere potest Episcopus vel Vicarius, quibus videbitur. ibidem.

IX. Examinatores sint Doctores aut Licentiati in Theologia, vel jure Canonico, aut alii idonei Clerici seu Regulares etiam Mendicantes qui jurent ad SS. Evangelia, se fideliter munus executuros. Nihil accipiant occasione examinis, alioqui Simoniæ vitium incurrunt, tam ipsi quàm dantes, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, & ad alia inhabiles reddantur. ibidem. Si quid contra officium præterea fecerint, graviter puniantur à Synodo provinciali.

X. Quot annis autem sex Examinatores ab Episcopo aut Vicario proponantur in Synodo diœcesana, qui ab ea probentur, ut vacante aliqua Ecclesia Parochiali Episcopi arbitrio ad examen adhiberi possint. ibidem.

XI. Ex his, qui ab Exeminatoribus idonei judicati fuerint, Episcopus eligat digniorem, cui, & non alteri Beneficium conferat, ad quem pertinet.

XII. Si Patronus sit Ecclesiasticus, vel institutio Episcopi. Patronus digniorem præsentet Episcopo, ut ab eo instituatur; Si institutio est alterius, Episcopus solus eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. ibid. Si patronus sit Laicus, is qui ab eo præsentatur, examinetur, uti supra, & non nisi idoneus admittatur. ibid.

XIII.

XIII. Non autem alteri; quàm uni ex examinatis & approbatis collatio fiat, alias provisio sit invalida, & subreptitia censeatur. Nec examinatorum relationem, quo minus executionem habeat, ulla devolutio aut appellatio etiam ad Pontificem impediat. ibidem. Non obstantibus privilegiis quibuscunque & concessis quibusvis universitatibus etiam ad certam summam, &c.

XIV. Quod si Parochiæ tenuitas operam examinis non ferat, aut nemo ei se quærat subijcere, aut dissidia aut tumultus possint excitari, potest ordinarius aliud privatum examen adhibere, cœteris tamen, ut supra servatis. ibidem. Licebit etiam Synodo provinciali examinis præscripti formam moderari. ib.

CAPVT VIII.

De Seminariis Clericorum.

I. SIngulæ Cathedrales & majores Ecclesiæ puerorum ipsius civitatis & diœcesis provinciæ, si ibi non reperiantur, numorum, in collegio, loco convenienti ab Episcopo eligendo alere & religiosè educare teneantur. sess. 23. c. 18.

II. Non recipiantur autem, nisi saltem duodennes & legitimè nati, legere & scribere docti, bona item indolis ac spei, præcipuè pauperum Filii, nec tamen ditiorum excludantur, si suo sumptu alantur.

III. Tonsuram & habitum ferant clericalem, grammaticam, cantum, Computum Ecclesiasticum, aliasque bonas artes; item scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sacras, & ea, quæ ad Sacramentorum administrationem, præcipuè Confessionis, & Cæremonias pertinent, ediscant. Singulis diebus Missæ intersint, & saltem singulis Mensibus confiteantur, & juxta Coufessionis judicium communicent, Cathedrali & aliis loci Ecclesiis diebus festis inserviant. ibid.

IV. Hæc aliaque opportuna Episcopi cum consilio duorum Canonicorum seniorum & graviorum, quas ipsi elegerint, constituent, servarique curabunt. Discolos quoque & incorrigibiles acriter punient, &, si opus fuerit, expellent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

V. Vltra ea, quæ ad instituendos vel alendos pueros in aliquibus locis sunt destinata, & eo ipso huic seminario sub Episcopi cura sunt applicata, iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo alter à Capitulo, eligatur, itemque duorum de Clero civitatis, quorum alter ab Episcopo itidem, alter à Clero eligatur, ex fructibus mensæ Episcopalis & Capituli, omnium item dignitatum, præbendarum, portionum hospitalium, quę dantur in titulum vel administrationem Beneficiorum quorumcunque Regularium, etiam Abbatiarum, Prioratuum, Monasteriorum (non tamen Mendicantium) & aliorum Collegiorum (exceptis iis, quibus sunt seminaria discentium & docentium, nisi habeant reditus superfluos) ex Fabricis Ecclesiarum & aliorum locorum, ex decimis, unde subsidia Ecclesiastica solvuntur, pertinentibus ad Laicos & Milites cujuscunque Ordinis, Fratribus S. Ioannis Ierosolymitani duntaxat exceptis, portionem antiquam detrahent, eamque cum aliquot simplicibus Beneficiis, qualibuscunque, etiam ante vacationem sine cultus divini & illa obtinentium præjudicio, huic collegio applicabunt. ibidem.

VI. Ad hanc autem portionem solvendam supradictorum possessores non modò pro se, sed pro pensionibus quoque, quas aliis forsan solverent, retinendo pro rata, quidquid pro dictis pensionibus illis erit solvendum, ab Episcopo per censuras & alia juris remedia compellantur, invocato etiam brachio sæculari. ibidem, non obstantibus quoad supra dicta privilegiis, consuetudinibus appellatione, &c. ibidem.

VII. Episcopos in seminarii erectione & conservatione negligentes, Archiepiscopus, Archiepiscopum & superiores, Synodus Provincialis acriter corripiat, & ad supradicta omnia, cogat. ibidem.

VIII. Dotato hac aut alia ratione Collegio portio detracta ab Episcopo, pro ut res exegerit, in totum vel pro parte remittatur. ibidem.

IX. Rationes redituum Episcopus singulis annis accipiat, præsentibus duobus à Capitulo, & totidem à Clero civitatis deputatis. ibidem.

X. Ordinarii Scholasterias obtinentes, & alios quibus docendi munus incumbit, per se ipsos, si idonei fuerint, aut idoneos substitutos ab ipsis eligendos, & ab ordinariis approbandos in scholis docere compellant, etiam per subtractionem fructuum; si judicio Episcopi digni non fuerint, alium nominent, alioqui Episcopus deputet. ibidem Doceant autem prædicti, quæ Episcopo videbuntur, expedire. De cætero Scholasteriæ non nisi Doctoribus aut Licentiatis in Theologia aut jure Canonico, aut aliis ad docendum idoneis personis conferantur, alias provisio sit nulla, non obstantibus privilegiis & consuetudinibus, &c. ibidem.

XI. Si ob Ecclesiæ paupertatem collegium erigi non possit Synodus provincialis vel Metrapolitanus cum duobus antiquioribus suffraganeis in Ecclesia Metropolitana vel alia provincia, unum aut plura collegia ex fructibus duarum aut plurium Ecclesiarum tenuium erigat. ibidem.

XII. In amplis diœcesibus possunt plura esse seminaria, quæ tamen ab uno principali dependeant. ibidem.

XIII. Si in seminarii institutione vel conservatione difficultas oriatur, Episcopus cum supra deputatis vel Synodus provincialis, etiam supra scripta si opus fuerit, moderando aut augendo providere valeat. ibidem.

CAPVT IX.

De potestate in Beneficiis Conferendis, uniendis, commutandis.

I. BEneficia, præsertim curata, personis dignis, quæ residere & curam per se exercere valeant, conferantur, juxta Constit. Alexand. III. quæ incipit, quia nonnulli (l. 3. de præbend. & dignitat.) & aliam quia nonnulli (l. 3. de Cler non resid.) & aliam Greg. X. quæ incipit: licet Cano. (in 6. de election & electi potestate) alias provisio erit nulla, & collator pœnas, cap. grave nimis (l. 3. de præbend. & dignit.) se noverit incursurum. sess. 7. ca. 3.

II. Qualitatibus, ordinibus, gradibus, oneribus, quæ ex beneficiorum erectione fundatione, aut aliis constitutionibus requiruntur in beneficiorum collatione, aut alia quavis dispositione, non derogetur; aliter facta provisio subreptitia censeatur sess. 25. ca. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

III. Facultates de non promovendo, præterquam in casibus jure expressis, ad annum tantum suffragentur. sess. 7. c. 12.

IV. Præsentati à quibusvis Ecclesiasticis personis non confirmentur, nec admittantur, nisi fuerint ab Ordinariis examinati, & idonei reperti, non obstante privilegio, consuetudine appellatione. ibid. c. 13.

V. Præsentatis tamen ab Vniversitatibus seu Collegiis studiorum generalium exceptis. ibidem. (Nisi cum præsentantur ad Parochias, quo ad hoc enim derogatur huic privilegio. sess. 24. c. 18. vide supra cap. n. 11.)

VI. Liceat Episcopo præsentatos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere. sess. 25. c. 9.

VII. Si institutio sit inferiorum, ab Episcopo tamen examinentur, alioqui institutio ab inferioribus facta sit irrita. ibidem, salvo privilegio universitatum proximè supra posito.

VIII. Regularia beneficia cum vacaverint, Religiosis tantùm illius ordinis, vel iis, qui habitum suscipere, & professionem teneantur emittere, conferantur sess. 14. c. 10. sess. 25. c. 21.

IX. Vniones perpetuæ à quadraginta annis citra factæ, examinentur ab ordinariis, ut delegatis Apostolicis, & per sub vel obreptionem obtentæ, irritæ declarentur. sess. 7. c. 6. Effectum verò a dicto tempore in totum nondum sortitæ, & deinceps faciendæ, nisi ex legitimis causis coram Ordinario, vocatis, quorum interest, verificandis, factæ sint, subreptitiæ censeantur, & nisi Pontifex alium declaret, viribus careant. ibidem.

X. Vniones factæ de beneficiis liberis cum Ecclesiis & Beneficiis quibuscunque juri Patronatuum & Laicorum subjectis, ut ejusdem juris Beneficia libera fiant: nondum plenarium sortitæ effectum, vel deinceps etiam Apostolica autoritate faciendæ, per subreptionem obtentæ intelligantur, nec executioni demandentur. sess. 25. c. 9.

XI. A quadraginta annis citra factæ, & plenum effectum nondum consecutæ ab Ordinariis vel Delegatis Apostolicis examinentur, & quæ per sub vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. ibidem.

XII. Concilium provinciale vocatis, quorum interest, ex-

expendat, quas Ecclesias Cathedrales propter angustias, tenuitatemque unire, aut proventibus augere expediat, confectaque desuper instrumenta ad Pontificem mittat, à quo interim Episcopis de Beneficiis aliquibus (dum tamen curata non sint, nec dignitates & Canonicatus, seu præbendæ, nec Monasteria, in quibus viget Regularis observantia, vel quæ Capitulis generalibus & certis visitatoribus subduntur,) poterit provideri. sess. 24. c. 14.

XIII. Episcopi etiam ut Delegati Apostolici sine præjudicio obtinentium possunt facere uniones perpetuas, quarumcumque Ecclesiarum Parochialium, & quorumvis beneficiorum (non tamen Regularium, ut patet ex sess. 24. c. 13.) cum curatis propter paupertatem & in aliis casibus à jure permissis, &c. sess. 21. c. 5. Quæ uniones non possint revocari etiam vigore resignationis. ibidem.

XIV. Si per unionem Beneficiorum Ecclesiæ Parochiales tenues juvari non possint, curabit Episcopus, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut Parochianorum collectis, Parocho satisfiat. sess. 24. c. 13.

XV. Ecclesiæ Parochiales ex nulla causa uniantur Monasteriis, Abbatiis, Dignitatibus, sive Præbendis Ecclesiæ Cathedralis, aut collegiatæ, sive Beneficiis simplicibus aut hospitalibus, militiisve. ibidem. Quæ unitæ sunt, revideantur ab Ordinariis juxta. n. 9.

XVI. Cathedralis Ecclesiæ, quarum redditus ducatos 1000. & Parochiales, quæ ducatos 100. non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur. ibidem.

XVII. Vbi frequentes, nimisque tenues sunt præbendæ, simul cum distributionibus, liceat Episcopis cum consensu Capituli aliquot simplicia beneficia (non tamen regularia) iis unire, vel aliquibus suppressis cum Patronorum, si Laici sint, consensu, eorum fructus applicare, sine cultus divini tamen suspendio, non obstantibus privilegiis, &c. Nec tales uniones impediri possint etiam vigore resignationis. sess 24. c. 12.

XVIII. Vbi nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel nimis tenues, tertia pars proventuum tam dignitatum, quàm Canonicatuum, personatuum, officiorum, portionum, in illas convertatur, & inter divinis intereſſentes distribuatur, juxta divisionem ab Episcopo etiam, ut delegato Apostolico

Universidad de Deusto
Biblioteca

lico in prima fructuum reductione faciendam. Salva consuetudine Ecclesiarum, in quibus non residentes nihil: vel minùs tertia parte percipiunt, non obstantibus exemptionibus, consuetudinibus, &c. sess. 21. c. 3.

XIX. Beneficia quæcunque unius diœcesis, quacunque de causa alterius diœcesis beneficio, Monasterio vel pio loco perpetuò non uniantur. Decretum hujus S. Synodi super hujusmodi unionibus in hoc declarando sess. 14. c. 9.

XX. Beneficia sæcularia curata quæcunque deinceps in simplex beneficium etiam assignata vicario perpetuo congrua portione non convertantur, non obstantibus quibuscunque gratiis, effectum plenarium non consecutis. In quibus autem cura animarum in vicarium perpetuum translata est, eique congrua portio non assignata, ad minùs intra annum à fine Concilii assignetur. Si commodè ita fieri non possit, aut intra dictum terminum non fiat, cùm primùm beneficium à vicario vacaverit, beneficium curam animarum recipiat, ac vicariæ nomen cesset. sess. 25. c. 16.

CAPVT X.

De potestate in Ecclesias, aliaque loca pia, & quasvis dispositiones pias.

I. COmpetit Episcopis jus & potestas visitandi quasvis Ecclesias etiam exemptas, etiam in nullius Diœcesi sitas; item Beneficia quævis curata aliis Ecclesiis aut locis piis unita; item Monasteria & Beneficia commendata; item Hospitalia & quæcunque loca pia.

II. Episcopi etiam, ut delegati Apostolici transferre possint Beneficia simplicia ex Ecclesiis collapsis, & ob inopiam irreparabilibus vocatis, quorum interest, in matrices, Ecclesias aut alias, ubi erigant altaria vel Capellas sub eisdem invocationibus, vel in jam erecta altaria vel capellas transferant cum emolumentis & oneribus Ecclesiarum collapsarum. sess. 21. c. 7.

III. Parochiales verò Ecclesias ita prolapsas refici procurent, ex fructibus illorum, qui, si non sufficiant, Patronos & alios aliquid ex dictis Ecclesiis percipientes, aut in illorum defe-

fectum Parochianos ad prædicta cogant, appellatione & exemptione remota ibidem. Si nimia sit egestas, in matrices seu viciniores Ecclesias transferantur cum facultate tam dictas Parochiales, quàm alias Ecclesias dirutas in profanos usus, erecta tamen ibi cruce, convertendi. ibid.

IV. Curent ordinarii, ut Hospitalia quæcunque, fideliter gubernentur, juxta constit. Concilii Vienn. quæ incipit, quia contingit (l. 3. Clement. de religiosis domibus) sess. 7. c. 15.

V. Qui verò Hospitalia aut alia loca pia ad peregrinorum, infirmorum, pauperumve usum præcipue instituta, quocunque titulo commendæ, administrationis, unionis obtineant, impositum illis onus & hospitalitatem exerceant. sess. 25. cap. 8.

VI. Si Hospitalia pro certo personarum genere, quarum nullæ aut perpaucæ ibi reperiantur, sint instituta, fructus illorum in alium pium usum institutioni proximiorem Ordinarius cum duobus de Capitulo per ipsum deligendis convertat, nisi in hunc eventum aliter in fundatione aut institutione sit expressum, tunc enim id servetur, aut, si non possit, ipse, pro ut supra provideat. ibidem.

VII. Si Hospitalium administratores cujuscunque Ordinis aut dignitatis, etiam Laici (non tamen subjecti Regularibus, ubi viget regularis observantia) ab Ordinario moniti hospitalitatem non exerceant, per censuram non solùm compelli possunt, sed ipsâ etiam administrarione perpetuò privari; nihilominus in foro conscientiæ obligati ad fructuum restitutionem, quæ nullatenus eis remittatur. ibidem. Nec administratio ejusmodi locorum deinceps, cui, quàm ultra triennium committitur, nisi aliter in fundatione cautum sit. ibidem.

VIII. In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa & necessaria causa fieri debent, Episcopi tanquam delegati Apostolici summariè & extra judicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam executioni demandentur. sess. 22. c. 6. non obstantibus quibuscunque, &c.

IX. Episcopi etiam ut delegati Apostolici in casibus in jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima vo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma voluntate, quàm inter vivos sint executores, ibidem c.3. Ac omnia, quæ ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos sunt instituta, ipsi ex officio cognoscant, & exequantur, non obstantibus quibuscunque, &c. ibid.

X. Administratores tam Ecclesiastici quàm Laici Fabricæ cujuvis Ecclesiæ, etiam Cathedrali, Hospitalis, Confraternitatis, & quorumcunqne piorum locorum singulis annis rationem reddere teneantur, ordinario, nisi aliter sit cautum in institutione ibidem. c. 9. Si aliis ratio reddenda esset, cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ administratoribus liberationes non suffragentur. ibidem.

CAPVT VI.

De amplissima jurisdictione Episcoporum in foro Ecclesiastico.

§. I.

De potestate absolvendi, dispensandi, puniendi.

I. POssunt Episcopi dispensare in irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario & aliis deductis ad forum contentiosum oritur.

II. Et in quibuscunque casibus occultis etiam Pontifici reservatis, subditos in Diœcesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro Conscientiæ gratis absolvere imposita pœnitentia excepto casu hæresis, pro quo viget reservatio Bullæ Cœnæ, ex declaratione Sac. Congregationis Super Concilio Tridentino sess. 24. c. 6.

III. Qui homicidium voluntarium commiserit, omni ordine ac Beneficio & officio Ecclesiastico perpetuo careat sess. 14. c. 7.

IV. Si homicidium casu vel vim vi repellendo commissum narretur, dispensatio jure quodammodo debita committatur Ordinario, aut ex causa Metropolitano seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita & probatis precibus ac narratis dispensare possit. ibidem.

V. Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episco-

Episcopus ex legitima causa possit dispensare. sess. 23. c. 14.

VI. Dispensationes extra Romanam curiam committendæ, Ordinariis impetrantium committantur, quæ gratiosè concedantur, nec sortiantur effectum, nisi ab eisdem ut delegatis Apostolicis summarie & extrajudicialiter cognoscantur, preces sub vel obreptionis vitio carere sess. 22. c. 5.

VII. Pro publicis delictis publicam pœnitentiam exponi opertet, quam ex causa Episcopus etiam in secretam potest commutare sess. 24 c. 8.

VIII. In Ecclesiis cathedralibus, ubi commodè fieri potest, Episcopus instituat pœnitentiarium, cum unione præbendæ proximè vocaturæ, qui sit Doctor aut Licentiatus in Theologia, aut jure Canonico, & annorum 40. ibidem.

IX. Excommunicationes ad finem revelationis, ut ajunt, pro deperditis seu subtractis rebus à solo Episcopo decernantur, nec nisi ex causa gravi, & diligenter examinata, sess. 25. c. 3. In causis verò judicialibus Iudices Ecclesiastici, quandocunque ab ipsis executio realis vel personalis fieri potest, abstineant à Censuris ex interdicto ibid. Sed liceat eis in causis civilibus contra quoscunque etiam Laicos, per mulcta pecuniarias (quæ locis piis ibi existentibus eo ipso, quod exactæ fuerint, assignentur) seu per captionem pignorum, personarumque districtionem, seu etiam per Beneficiorum ptivationem procedere, & causas definire. ibidem.

X. Si executio realis vel personalis hac ratione fieri non poterit sitque erga Iudicem contumacia, censuris quoque locus erit præter alias pœnas. Sicut & in Criminalibus, si executio realis vel personalis fieri non poterit & delicti qualitas præcedente saltem bina monitione, etiam per edictum id postulet ibidem.

XI. Excommunicatus post legitimas monitiones non resipiscens non solùm ad communionem non recipiatur, sed si non censuris per annum paruerit, contra eum tanquam de Hæresi suspectum procedi possit. ib.

XII. Episcopus per se seu Vicarium generalem ad Clerici condemnationem, nec non verbalem depositionem, & per se ipsum etiam ad actualem degradationem potest procedere sine præsentia Episcoporum, à Canonibus requisita, adhibitis totidem Abbatibus infulatis, si commode interesse

pos-

possint, aliàs aliis in Ecclesiastica dignitate constitutis, jurisque peritis. sess. 13. c. 4.

§. II.

De causis ad Episcopos pertinentibus, & Appellatione ab illis.

I. Causæ omnes Ecclesiasticæ, etiam Beneficiales in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscantur. sess. 24. c. 20.

II. Atque omnino saltem infra biennium à die motæ litis terminentur. ibidem.

III. Post id spatium liberum sit, Iudices superiores adire. ibidem. Nec antea causæ aliis committantur, nisi à definitiva, vel definitivè vim habeant, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat. ibid.

IV. Exceptis causis juxta Canones tractandis apud Pontificem, vel quas ipse speciali rescripto signaturæ manu propria subscribendo commiserit, & avocaverit. ibid.

V. In singulis Conciliis Provincialibus aut diœcesanis aliquot personæ qualificatæ juxta constitutionem Bonif. VIII. quæ incipit statutum, (in 6. de rescriptis) designentur, ut præter Ordinarios, iis etiam, causæ Ecclesiasticæ in partibus delegari valeant. sess. 25. c. 10.

VI. Aliquo ex designatis mortuo substituat Ordinarius alium usque ad futuram synodum, ita ut quatuor saltem sint, post quorum designationem Pontifici transmissam, delegationes aliorum Iudicium subreptitiæ censeantur. ibidem.

VII. Causæ Matrimoniales & Criminales non Decani, Archidiaconi, aliorumque inferiorum, sed Episcopi tantum jurisdictioni relinquantur, etsi inter illum & alios inferiores super causarum istarum cognitione lis pendeat. sess. 24. cap. 20.

VIII. Pauper non cogatur extra Provinciam. nec in secunda, nec in tertia instantia litigare, nisi pars altera alimenta & expensas litis velit subministrare. ibid.

IX. Legati etiam de Latere, aliique non solùm Episcopos

pos in prædictis causis, eorumque jurisdictione non impediant, sed nec contra Clericos, nisi Episcopo prius requisito ac negligente procedant, alias processus sint nulli, & ad damni satisfactionem partibus illati teneantur. ibidem.

X. Nullus etiam Episcopus alienos subditos puniendi privilegium habens, contra Clericos sibi non subditos nisi cum proprii Episcopi, si apud Ecclesiam resederit, aut personæ ab ipso deputandæ interventu procedat, aliàs processus sit irritus. sess. 14. c. 3.

XI. Cui ascensus ad Sacros Ordines à suo Prælato quacunque ex causa interdictus, aut qui ab eo suspensus fuerit, nulla contra Prælati voluntatem ad Ordines gradus, dignitates, concessa licentia, sive institutio suffragetur, ibidem c. 1.

XII. Episcopus residens apud Ecclesiam suam, de sub & obreptione gratiæ, quæ impetratur super absolutione publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ ab ipso impositæ, ut delegatus Apostolicus etiam summariè cognoscat, ipsamque, si falsis precibus impetrata sit, non admittat. sess. 13. c. 5.

XIII. Appellans ab Episcopo teneatur acta coram illo ad dicem appellationis transferre suis expensis, quas pro rata subeat etiam appellatus, si compareat, actisque utantur, nisi consuetudo hoc onus soli appellanti imponat. Sess. 24. c. 20.

XIV. Actorum copiam Notarius congrua mercede appellanti ad minùs intra Mensem exhibeat.

XV. Si in mora fuerit, ab officio Ordinarii arbitrio suspendatur, & dupli pœnam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem & pauperes loci distribuendam solvat, quam & ipse Iudex subeat, si impedimenti conscius particepsve, aut aliter in mora fuerit. ibidem, non obstantibus privilegiis, concordiis, quæ suos tantùm obligent Authores. ibidem.

XVI. Appellans ab Episcopo aut ejus Vicario, in criminali causa coram Iudice appellationis Acta primæ instantiæ producat, ipsi intra 30 dies ab appellatione gratis exhibenda, & Iudex nisi exhibitis illis actis ad absolutionem non procedat. Sess. 13. c. 3.

XVII. Appellationis causa in criminalibus, si in partibus, remotis à Pontifices committatur, Metropolitano sex illius

lius Vicario, aut, si is suspectus foret, vel ultra duas legales diœtas distet, seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus Episcopis, seu illorum Vicariis, non autem inferioribus Iudicibus committatur. ibid. c. 2.

XVIII. In causis visitationis & correctionis, seu habilitatis & inhabilitatis, nec non criminalibus ab Episcopo, ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine non appelletur, nec appellationi aut ulli inhibitioni deferatur, nisi gravamen per difinitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit. ibid. c. 1.

XIX. Legati Apostolici & Nuntii, Patriarchæ, Primates & Metropolitani in admittendis appellationibus vel inhibitionibus servent formam Canonum, præsertim Constit. Innocent. IV. quæ incipit: Romana (in 6. de Appellat.) Non obstantibus privilegiis, consuetudinibus, &c. Sess. 22. c. 7. Aliter inhibitiones & processus sint nulli. ibid.

§. III.

De Potestate in exemptos & privilegiatos.

I. Omnes Ecclesiarum Prælati in Ecclesiis suis residentes, Seculares Clericos qualitercunque exemptos si aliàs suæ jurisdictioni subessent, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, ut Apostolicæ Sedis delegati corrigendi ac castigandi facultatem habeant, non obstantibus quibuscunque &c. Sess. 14. c. 4.

II. Nemo sæcularis Clericus vel cujusvis Ordinis Regularis extra Monasterium degens etiam sui Ordinis privilegii prætextu tutus censeatur, quò minùs, si deliquerit, ab Ordinario ut delegato Apostolico visitari, puniri, & corrigi valeat. Sess. 6. c. 3.

III. Regularis non subditus Episcopo, qui extra Claustra Monasterii degit, & extra notoriè cum scandalo deliquit, Episcopo instante à suo Superiore infra tempus ab Episcopo præfigendum severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, alias à suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. Sess. 25. de regul. c. 14.

IV. Cen-

IV. Censuras & interdicta Ordinariorum illis mandantibus Regulares in suis Ecclesiis publicent, atque servent. ibidem c. 12.

V. Dies etiam festi in Diœcesis ab Episcopo præcepti ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur. ibidem.

VI. Qui itidem omnes ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo degunt. ibidem c. 13.

VII. Controversias omnes de præcedentia inter Ecclesiasticas personas tam sæculares, quàm Regulares in processionibus publicis exequiis, & similibus Episcopus componat, non obstantibus quibuscunque. ibidem.

VIII. Litteræ Conservatoriæ nemini, etiamsi Capitulum fuerit, suffragentur, ut coram Episcopo, sive alio superiore Ordinario conveniri, ac contra eum procedi non possit, Sess. 14. c. 5.

IX. In civilibus causis nemo, si Actor sit, alium ad Iudices suos Conservatores trahere potest. Si in iis Causis, ubi ipse est reus, Conservator suspectus sit, aut inter Conservatorem & Ordinarium lis sit super competentia jurisdictionis, non procedatur, donec per arbitros de suspicione aut jurisdictione fuerit judicatum. ibidem.

X. Litteris Conservatoriis ultra quinquennium nemo gaudeat, nec ejus Familiares, nisi duo, si propriis ejus sumptibus vixerint. ibidem. Nec liceat conservatoribus Iudicibus erectum habere tribunal: in causis verò mercedum & miserabilium personarum servetur, quod ponitur infra.

XI. Vniversitates, Collegia Doctorum, sive Scholarium, regularia loca, Hospitalia, aut Hospitalitatem servantia, horùmque omnium personæ ab hoc decreto exemptæ sint. ibidem.

XII. In exemptorum causis servetur Constit. Innocent IV. quæ incipit, Volentes, in Concil. general. Lugdun. in 6. de privileg. Sess. 7. c. 14.

XIII. In civilibus causis mercedum & miserabilium personarum Clerici seculares aut regulares extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti coram Ordinariis ut delegatis Apostolicis conveniri, & ad solvendum compelli possint. ibidem, non obstantibus privilegiis, Conservatoribus &c.

XIV. Protonotarii Apostolici, Comites Palatini, Capellani Regii, & alii hujusmodi, nec non Monasteriis oblati aut, quomodocunque addicti, aut sub nomine servientium militiis, Hospitalibus, Collegiis, aut quocunque titulo assumptis Ordinariis, ut delegatis Apostolicis, plenè, & Capellani Regii juxta Constit. Innoc. III. quæ incipit, Cum Capella (l. 5. de privil. & privileg. exceff.) subjecti existant. Sess. 24. c. 11.

XV. Exceptis iis, qui prædictis locis aut militiis actu serviunt, & intra eorum sepia ac domos residents subque eorum Obedientia vivunt, sive secundùm regulam, earum militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat. idem.

XVI. In Monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura sæcularium personæ tam regulares, quàm sæculares hujusmodi curam exercentes subsint quoad illam immediatè jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcoporum, nec sine eorum consensu ac præexamine aliqui ad nutum amovibiles ibi deputentur. Sess. 25. de regul. c. 11. Exceptis Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, iisque monasteriis seu locis, ubi Abbates generales aut Capite Ordinum, Ordinarium principalem habent, aut Abbates, aut alii regularium superiores jurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos & parochianos exercent. ibidem. Salvo eorum Episcoporum jure, qui Majorem in prædictis jurisdictionem exercent. ibidem.

XVII. Episcopus etiam, ut delegatus Apostolicus potest quoscunque Notarios, etiam Apostolica, Imperiali, Regia auctoritate creatos examinare, illisque non idoneis repertis, aut in officio delinquentibus, ejus usum in causis Ecclesiasticis perpetuò aut ad tempus prohibere, non obstante appellatione, &c. Sess. 22. c. 10. Complectitur hoc caput generalia solùm jurisdictionis & potestatis capita, quæ se in particulari ad omnia ferè Reformationis Tridentinæ extendit. Nam in plerisque executio, & delinquentium vel contradicentium punitio, coactio, coercitio etiam Episcopis ut Apostolicæ Sedis demandatur delegatis, ut sanctissimi Concilii neglecta authoritas & disciplina Ecclesiastica post tot annos nondum restituta Episcoporum culpæ plerisque locis tribui possit ac debeat &c.

PARS

PARS III.

DE DISCIPLINA RELIQUORUM ECCLESIASTICORUM, ET PARTIM LAICORUM.

CAPUT I.

De iis omnibus Ecclesiasticis sunt communia.

I. QUæ plùs de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque sancita fuerunt, eadem imposterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio Ordinarii serventur, non obstante appellatione &c. Quæ verò in desuetudinem abierunt, ab iisdem Ordinariis in usum revocentur, non obstantibus consuetudinibus quibuscunque. Sess. 22. c. 1.

II. Quæ de modesta suppellectili, frugali culta simplicitate, & vanitatum contemptu, consanguineis non ditandis, Episcopis præcipiuntur, eadem quibuscunque Beneficia obtinentibus observari debent. Sess. 25. cap. 1. Vide p. 2. num. 1. & 2.

III. Iidem omnes, quantùm per proventus licebit, Hospitalitatem exercere assuescant. Sess. 25. c. 8.

IV. Clerici vestes proprio congruentes Ordini semper deferant. Sess. 14. c. 7.

V. Omnes Ecclesiastici, qui aut in Sacris fuerint, aut Beneficia qualiacunque obtinuerint, si ab Episcopo moniti etiam per editum publicum, habitum clericalem congruentem non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, officio, ac Beneficiorum fructibus; si autem denuò deliquerint per privationem coerceri debeant, ac possint. juxta Constit. Clem. V. in Concil. Vienn. quæ incipit, Quoniam l. 3. Clement. de vita & honestat. cler. Sess. 1. c. 6.

VI. Clerici quicunque mulieres aut concubinas suspectas in domo vel extra ne detineant, aut cum iis ullam consuetudinem habeant. Sess. 25. c. 14.

VI. Simoniti à Superioribus non absolvuntur, tertia

Universidad de Deusto
Biblioteca

parte fructuum & pensionum ipso facto sint privati, quæ Fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. ibidem.

VIII. Si ita suspensi, cum iis mulieribus nihilominus versentur, tunc Beneficiis ac officiis quibuscunque perpetuò priventur, ac inhabiles ad quæcunque Beneficia & officia reddantur, donec post manifestam emendationem superioribus ex causa cum iis visum fuerit, dispensandum. ibidem.

X. Si Consortium semel intermissum repetant, aut alias scandalosas mulieres sibi adjungant, ultra prædictas pœnas etiam excommunicentur, non obstante appellatione, aut exemptione &c. ibidem,

XI. Supradictorum Cognitio non ad Archidiaconos, Diaconos aut ad alios inferiores, sed ad Episcopos pertinent, qui sine strepitu & figura judicii & sola facti veritate inspecta procedere possint. ibidem.

XII. Clerici Beneficium aut pensionem non habentes pro delicti qualitate ab Episcopo puniantur, carcere, suspensione ab Ordine, inhabilitate ad Beneficia, aliisque modis. ibidem.

XIII. Episcopi concubinarii si à Synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi, &, si perseverent, ad Pontificem à Synodo deferantur. ibidem.

XIV. Non liceat Filiis Clericorum illegitimis in Ecclesiis, ubi eorum Patres Beneficium habent, aut habuerunt, aliud Beneficium obtinere, nec ministrare, nec pensiones super fructibus Beneficiorum, quæ Patres eorum obtinent, aut obtinuerunt, habere. Sess. 25. c. 15.

XV. Si in præsenti in eadem Ecclesia Beneficia obtinent, Filius suum Patrem resignet, aut cum alio permuttet, extra Ecclesiam intra tres menses. Alias ipso jure eo privatus existat, & quævis dispensatio subreptitia censeatur, ibid.

XVI. Reciprocas resignationes parentum in gratiam filiorum, ut alter alterius Beneficium consequatur, in fraudem Canonum factæ censeantur, nec collationes ipsis illegitimis Clericorum Filiis suffragentur. ibidem.

CA-

CAPVT II.

De Beneficiatis, & præcipue de Curatis.

I. Episcopi inferiores Beneficia residentiam exigentia, in titulum sive commendam obtinentes, ab Ordinariis residere cogantur, nullisve privilegia perpetua de non residendo, aut fructibus in absentia percipiendis suffragentur. Sess. 6. c. 2.

II. Dispensationes temporales ex justis causis concessæ & coram Ordinario probandæ solum valeant, quo casu Episcopi ut delegati Apostolici provideant per idoneos Vicarios assignata eis congrua fructuum portione, ne cura animarum negligatur. ibidem.

III. Eadem omnino (quæ de Episcopis) etiam quoad culpam & pœnam de Curatis inferioribus vel Beneficium curatum obtinentibus S. Synodus decernit. Sess. 23. c. 1. vide p. 2. c. 2. n. 6. & 7.

IV. Non obsint nisi causa probata per Episcopum, & Vicario ab ipso approbando cum debita mercedis assignatione relicto; discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre nisi gravi ex causa non obtineant. Sess. 23. c. 1.

V. Si per edictum citati contumaces fuerint, liberum sit Ordinariis, per censuras, & sequestrationem fructuum, aliterque illos compellere. ibidem, non obstantibus privilegiis, consuetudinibus, inhibitionibus, etiam vigore Eugenianæ constitutionis. ibidem.

VI. Hoc decretum & alterum sub Paulo III. (positum n. 1.) in Concilijs provintialibus & Episcopalibus publicetur. ibidem.

VII. Qui de cætero plura curata aut aliàs incompatibilia Beneficia receperit, ac simul retinuerit, Beneficiis ipsis jure privatus existat juxta Constit. Innocent. III. quæ incipit, De Multa l. 3. de præbend. & dignitat. Sess. 7. c. 4.

VIII. Ordinarii quoscunque plura curata aut alias incompatibilia Beneficia obtinentes, dispensationes suas exhibere compellant. ibid. c. 5. & alias procedant juxta Constit.

Greg. X. in Concil. generali Lugdun. quæ incipit, Ordinarii (in 6. de offic. Ordin.) Providentes insuper per idoneos Vicarios, & congruæ portionis fructuum assignationem, ne cura animarum aliaque negligantur, non obstantibus privilegiis, appellationibus. ibidem.

IX. Imposterum unum tantùm Beneficium singulis, etiam Cardinalibus conferatur, cui si honestæ sustentationi non sufficiat, liceat aliud simplex, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri sess. 24. c. 1.

X. Qui plures Parochiales Ecclesias obtinent, cogantur, una tantum retenta alias intra sex menses dimittere alias Beneficia omnia, quæ obtinent, jure ipso vacent. ibidem.

XI. Archipresbyteri & quicunque Parochiales vel alias curatas Ecclesias obtinentes, per se, vel impediti, per alios prædicent diebus Dominicis & Festis solennibus, & sæpius in Adventu & Quadragesima, ac præterea Doctrinam Christianam singulis Dominicis & Festis tradant. Sess. 5. c. 2.

XII. Qui ab Episcopo moniti intra tres menses non paruerint, censuris seu aliter ab eodem cogantur. Interim alteri, qui id præstet, honesta merces ex Beneficiorum fructibus persolvatur. ibidem.

XIII. Si Prælati & Abbates Regulares Monasteriorum in nulla Diœcesi existentium in Ecclesiis Parochialibus sibi subjectis ista negligant, à Metropolitano ut delegato Apostolico compellantur. ibidem. Non obstantibus exemptionibus, consuetudinibus, appellationibus unionibus &c. ibidem.

XIV. Detestatur S. Synodus in electione, nominatione, præsentatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione, sive admissione ad possessionum Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatuum, Præbendam, vel partem proventuum, seu ad distributiones certas conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitas, aut lucra Turnorum. Sess. 24. c. 14.

XV. Episcopi, quæcunque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus Simoniæ aut avaritiæ speciem habentes fieri non permittant, & de constitutionibus sive consuetudinibus super prædictis cognoscant, & pravas ac scandalosas aboleant etiam à Pontifice confirmatas de quarum sub &

sub & obreptione & intentionis defectu, ut Delegati Apostolici cognoscere possint. ibidem.

XVI. Mandata de providendo & gratias expectativas nemini etiam Vniversitatibus concedi, nec non concessis uti liceat. Sess. 24. c. 19. Nec reservationes mentales, aliæque gratiæ advocaturæ, vel aliena Beneficia, Monasteria, Ecclesiæ etiam Cardinalibus concedantur, & concessæ abrogatæ censeantur. ibidem.

XVII. Nemini accessus aut regressus etiam de consensu, etiam Cardinalibus ad Beneficium qualecunque concedatur, & hactenus concessi suspendantur, & extendantur, aut transferantur. Sess. 25. c. 7. In coadiutoriis quoque cum futura successione idem observetur. ibidem.

XVIII. Si Ecclesiæ Cathedralis aut Monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas Coadiutorem postulet, is non detur cum futura successione, nisi causa cognita à Pontifice, & concurrentibus qualitatibus in Episcopo & Prælato requisitis. Alias concessiones subreptitiæ censeantut. ibidem.

XIX. Locationes bonorum Ecclesiasticorum, si anticipatis solutionibus fient, in præjudicium successorum non valeant, nec confirmentur; Locationes verò rerum Ecclesiasticarum à Pontifice confirmatæ sunt irritæ; quas ad longum tempus factas, Synodus Provincialis vel deputandi ab ea in damnum Ecclesiæ, & contra Canones contractus fuisse, judicabunt ibidem.

XX. Non liceat etiam jurisdictiones Ecclesiasticas seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in Spiritualibus, locare, nec Conductoribus per se aut alios exercere, aliter concessiones etiam Apostolicæ subreptitiæ censeantur. ibidem.

CAPVT III.

De Canonicis, & Capituli.

I. NEmo ad dignitates curatas promoveatur, nisi annum 25. ætatis attigerit, & in clericali ordine versatus doctrina necessaria & morum integritate commendetur, juxta Constit. Alexand. III. in Concil. Lateran. quæ incipit. Cum cunctis (l. 1. de electione & electi potest Sess. 24. c. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. Archidiaconi sint, ubi fieri poterit, Doctores aut Licentiati in Theologia aut jure Canonico.

III. Ad cæteras dignitates vel personatus Clerici idonei & 22. annis non minores adsciscantur. ibidem.

IV. Professionem fidei, quomodo & quando prædicti facere debeant, vide p. 1. c. 1. n. 2. & 3.

V. Nemo nisi subdiaconus fuerit, in ullo Capitulo etiam Regulari Ecclesiæ vocem habeat, etsi hoc ei liberè ab aliis fuit concessum. Sess. 22. c, 4.

VI. Quorum Beneficiis varia onera sunt annexa, dicendi vel cantandi Missas, Evagelium, Epistolam &c. quacunque exemptione non obstante teneantur infra annum Ordines suscipere requisitos, alioqui pœnas incurrant, Constit. Concil. Vienn. quæ incipit Vt ii, qui, (l. 1. Clement. de ætat. & qual. ord.) ibidem. Neminem etiam ad dignitatem, Canonicatum, portionem recipiant, nisi ordine requisito sit initiatus, aut infra tempus statutum eo initiari valeat. Sess. 24. cap. 12.

VII. Omnes Canonicatus ac portiones Ecclesiarum Cathedralium habeant annexum Ordinem majorem, quis autem, quibusque beneficii annexus esse debeat, Episcopus cum Concilio Capituli distribuat, modò dimidia saltem pars Presbyteri sint, aut plures vel omnes, ubi consuetudo id habet. ibidem.

VIII. Hortatur etiam S. Synodus, ut, ubi commode fieri potest, dignitates omnes, aut saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis & Collegiatis insignibus conferantur tantùm Doctoribus aut Licentiatis in Theologia vel jure Canonico. ibidem.

IX. Prædictis omnibus non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres Menses à suis Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis iis constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. Alioquin primo anno priventur dimidia parte fructuum, quos etiam ratione prebendæ & residentiæ fecerunt suos. Si iterum delinquant, priventur omnibus fructibus. Contra contumaces procedatur juxta Canones. ibidem.

X. Distributiones, qui statutis horis ac diebus interfuerint, soli recipiant. ibidem Reliqui illius diei distributionem

tionem amittant, Fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicandam. Contumaces juxta canones priventur. Sess. 22. c. 3.

XI. Si alicui ex obtinentibus dignitates in Ecclesiis Cathedralibus aut collegiatis officium non competat, sed extra illas in Diœcesi cura animarum immineat, cui is incumbere voluerit: quandiu eam curam exercuerit, præsens in Ecclesiis cathedralibus & collegiatis habeatur. ibidem.

XII. Hæc ibi tantùm constituta sint, ubi consuetudo non est, ut dignitates non servientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem fructuum ascendat, non obstantibus quibuscunque &c. ibidem.

XIII. Pænitentiarius quoque, dum Confessiones in Ecclesia audiet, præsens in choro habeatur. Sess. 25. c. 8.

XIV. Omnes verò Ordines per se exercere, & non per substitutos divina obire officia, & Episcopo servire, atque in Choro Psallere compellantur. ibidem. c. 8. & Sess. 22. c. 4.

XV. Nec aliis, nisi ætatem & alias habilitates habeant, fiat provisio, alioqui sit irrita. ibidem.

XVI. Vestitu utantur decenti, eaque morum integritate polleant, ut meritò Ecclesiæ senatus dici possint. Sess. 24. c. 12.

XVII. Cætera Synodus provincialis præscribet, interim Episcopus cum duobus Canonicis, quorum unus ab ipso, alter à Capitulo eligatur, poterit providere. ibidem.

XVIII. Capitulum sede vacante, ubi fructum percipiendorum munus habet, Oeconomum unum vel plures decernat. ibid. c. 16.

XIX. Item Vicarium infra octo dies à morte Episcopi constituat, vel existentem confirmet, qui saltem in Iure Canonico sit Licentiatus, vel Doctor, vel aliàs idoneus, alioqui Metropolitanus deputet, aut in Ecclesia Metropolitana antiquior Suffraganeus, in exempta Episcopus vicinior. ibidem.

XX. Episcopus postea promotus ab Oeconomo, Vicario, & aliis, etsi fuerint ex Capitulo, rationem possit exigere, eosque punire, licet à Capitulo vel deputatis ab eadem liberationem obtinuerint. ibidem.

XXI. Eidem Episcopo Capitulum de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si ad Capitulum pervenerint, teneatur rationem reddere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT IV.

De Regularibus.

§. I.

Regularibus omnibus communia.

I. OMnes Regulares juxta Regulam vivant, & præcepta ad eorum essentiam, nec non ad communem vitam, victum vestitum, pertinentia fideliter observent. Sess. 25. de regul. c. 1. Id ut fiat, curent Superiores in Capitulis & Visitationibus. ibidem.

II. Nemini Regularium liceat bona immutabilia vel mobilia qualiacunque, tanquam propria aut nomine conventus possidere; nec liceat Superioribus bona stabilia alicui concedere ad usum fructum, vel usum, commendam, vel administrationem, ibidem. c. 2. Administratio autem bonorum ad solos Officiales ad nutum Superiorum amovibiles pertinet. ibidem.

III. Mobilium usum Superiores ita permittant, ut paupertati conveniat, & nihil necessarium denegetur. ibidem. si quis aliquid aliter tenere deprehendatur, biennio activa & passiva voce careat, & juxta Ordinis constitutiones puniatur. ibidem.

IV. Concedit S. Synodus omnibus Monasteriis, & domibus, etiam Mendicantium, exceptis Capuccinorum & Minorum de Observantia, etiam iis, quibus aut ex constitutionibus erat prohibitum, aut à Pontifice non permissum, ut deinceps bona immobilia possideant. ibidem. c. 3.

V. Si aliqua loca ex prædictis, quibus à Pontifice similia bona possidere permissum est, eis spoliata sint, eadem illis restituantur.

VI. Is sit quovis loco Numerus Regularium, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. ibidem.

VII. Nec de cætero similia loca erigantur sine licentia Episcopi. ibidem.

VIII.

VIII. Nullus Regularis sine sui Superioris licentia quovis prætextu subjiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, Vniversitatis, Communitatis, aut cujuscunque Personæ seu loci, neque privilegium, neque facultas ab aliis obtenta suffragetur. ibid. c. 4.

IX. Regulares à suis Conventibus non recedant, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui sine prædicto mandato in scriptis obtento reperitur, ab Ordinario tanquam desertor instituti puniatur. ibidem.

X. Qui studiorum causa ad Vniversitates mittuntur, in conventibus tantùm habitent, alioquin ab ordinario contra eos procedatur. ibidem.

XI. Superiores quicunque eligantur per vota secreta, ita ut eligentium nomina nunquam publicentur. ibidem c. 6.

XII. Nec liceat Provinciales, Abbates, aut alios titulares ad effectum electionis constituere, aut suffragia absentium supplere; alias electio irrita sit. ibidem.

XIII. Permittens se eligi in Superiorem titularem ad officia Religionis inhabilis fiat, facultatesque concessæ abrogatæ censeantur, & imposterum concedendæ subreptitiæ. ibidem.

XIV. Professio non fiat ante 16. annum expletum, nec ante annum post susceptum habitum in professione peractum; ante facta sit nulla. ibid. c. 18.

XV. Nulla quoque renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam jurata, aut cum hujus favoris expressa renuntiatione sit valida, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii intra duos menses proximus ante professionem, nec alias suum effectum sortietur, nisi secuta professione. ibidem c. 16.

XVI. Finito tempore Novitiatus Superiores habiles admittant, aut ejiciant. ibidem.

XVII. Per hæc tamen Sacra Synodus nihil intendit, innovare circa institutum Societatis IESV. ibidem.

XVIII. Ante professionem, excepto victu, & vestitu, tempore probationis ex bonis Novitii vel Novitiæ Monasterio nihil tribuatur Parentibus, vel Propinquis. ibidem.

XIX. Abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quod ut fiat, Episcopus etiam per Censuras compellat.

XX. Re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

XX. Religiosus prætendens vim aut metum in ingressu Religionis aut defectum ætatis in professione non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, nec aliter, nisi causas deduxerit coram Superiore suo & Ordinario. ibidem. c. 19.

XXI. Si habitum antea dimiserit, non admittatur, sed cogatur ad Monasterium redire, & tanquam Apostata puniatur, nec ullo Religionis suæ privilegio juvetur. ibidem.

XXII. Nemo transferatur ad laxiorem Religionem, ibidem. Nec ullus Superior aliquem ad habitum seu professionem admittat, nisi ut in Ordine, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuò maneat. Ac taliter translatus, licet Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia sæcularia omnino incapax existet. Sess. 14. c. 11.

XXIII. Non detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suæ Religionis. Sess. 25. de regular. c. 19.

§. II.

Quibusdam Monasteriis Virorum peculiaria.

I. Monasteria Episcopis, Capitulis generalibus, item Visitatoribus regularibus non subjecta, infra annum à fine hujus Concilii, & deinde quolibet triennio in Congregationes, se redigant, juxta Constit. Innocent III. in Concil. general. Lugdun. quæ incipit. in singulis, l. 1. de electione & electi potest ibique aliquot deputent, qui de modo & ordine Congregationes erigendi, & Statuta in iis exequendi deliberent. sess. 25. de regul. c. 8. Si intra limites unius provinciæ non sit sufficiens numerus, coniungantur duarum vel trium monasteria.

II. Capitula, Præsides, Visitatores talium Congregationum possunt ac tenentur Congregationis sua Monasteria visitare ac reformare, sicut Præsides ac Visitatores in aliis Ordinibus. ibidem.

III. Si etiam Metropolitano instante prædicta non fiant, Episcopis ejusmodi Monasteria subjiciantur. ibidem.

IV. Ordinum capita ac superiores Episcopis non subjecti Monasteria & Prioratus sibi subjectos visitent ex officio, etiam

etiam si commendata existant, quare non comprehendantur iis, quæ aliàs de Visitatione Monasteriorum commendatorum definita sunt. sess. 21. c. 8. vide p. 2 c. 7. n. 11.

V. Ipsa quoque Monasteria, quæ sunt Ordinum capita juxta constitutiones visitentur. ibidem. c. 20.

VI. Durantibus commendis Superiores, correctiones, & spirituale regimen exercentes à Capitulis generalibus vel Ordinum Visitatoribus instituantur, salvis in cæteris præfatorum Ordinum privilegiis. ibidem.

VII. Monasteriis, Prioratibus, Præposituris, nunc commendatis Regulares ejusdem Ordinis expressè professi præficiantur. ibidem. c. 21.

VIII. Quæ verò impositorum vacabunt, non nisi Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur. ibidem.

IX. Qui in præsenti Monasteria, quæ Ordinum capita ac Primates sunt, sive Abbatias, seu Prioratus, filiæ illorum capitum nuncupantur, in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successione provisum, infra sex menses solenniter profiteri aut cedere teneantur. ibidem.

X. Ne fraudi locus sit, in provisionibus dictorum Monasteriorum qualitas singulorum exprimatur. Aliter provisio censeatur subreptitia, neque triennali etiam possessione juvetur. ibidem.

§. III.

Monialibus propria.

I. Episcopi etiam ut Delegati Apostolici Clausuram Monialium restitui & conservari procurent, juxta Constit. Bonif. VIII. quæ incipit: Periculoso. in 6. de statu regul. inobedientes & contradictores censuris aliisque pœnis etiam invocato brachio sæculari compescant. Sess. 25. de reg. c. 5.

II. Quod auxilium ut præbeant, monentur Principes, & sub excommunicatione ipso facto incurrenda Magistratibus sæcularibus injungitur. ibidem.

III. Nemini Sanctimonialium post professionem liceat exire à Monasteriis etiam ad breue tempus, nisi ex causa ab Episcopo approbanda. ibidem.

IV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IV. Ingredi autem intra ſepta monaſteriis nemini cujuſcunque conditionis, ſexus, ætatis ſine Epiſcopi ſive Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda. ibidem.

V. Dare autem tantùm Epiſcopus poſſit, vel Superior debet licentiam in caſibus neceſſariis, nec alius poſſit vigore cujuſvis indulti. ibidem.

VI. Curent Epiſcopi & alii Superiores, ut Monaſteria Sanctimonialium extra mœnia conſtituta ad nova vel antiqua Monaſteria intra urbes & oppida reducantur, etiam invocato auxilio brachii ſæcularis. ibidem.

VII. Abbatiſſa, Prioriſſa & quocunque nomine Præfectæ, eligatur non minor annis 40. & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. ibidem. c. 7.

VIII. Si talis non reperiatur, ex alio ejuſdem Ordinis Monaſterio eligi poſſit; ſi id incommodum Superiori videatur, ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem laudabiliter vixerint eligatur. ibidem.

IX. Duobus Monaſteriis nulla præficiatur; quæ vel plura obtinet, uno excepto, cætera intra ſex menſes reſignet, aliàs poſt id tempus omnia ipſo jure vacent. ibidem.

X. Qui electioni præeſt Epiſcopus, ſive alius Superior, clauſtra non ingrediatur, ſed ante Cancellorum feneſtellam audiat vota, vel accipiat. ibidem.

XI. Monaſteria quæcunque Monialium S. Sedi immediatè ſubjecta, etiam Capitula S. Petri vel S. Ioannis, ab Epiſcopis ut delegatis Apoſtolicis gubernentur. Quæ verò à deputatis in Capitulis generalibus vel aliis Regularibus reguntur, eis relinquantur. ibidem. c. 9.

XII. Admoneantur in Conſtitutionibus Sanctimoniales, ut ſaltem ſingulis menſibus confiteantur, & communitent. ibidem. c. 10.

XIII. Præter Ordinarium Confeſſarium alius extraordinarius bis aut ter in anno eis offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat. ibidem.

XIV. S. Chriſti Corpus intra chorum vel ſepta Monaſterii Monialium extra publicam Eccleſiam non aſſervetur, non obſtante privilegio &c.

XV. Puella habitum Regularem ſuſcipere volans major ſit duodecim annis, antè eam non ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, priùs quàm Epiſcopus exploraverit, vel eo impedito ejus Vicarius, vel aliquis eorum ſumptibus deputandus, ejus voluntatem, libertatem, qualitatem. ibid.

XVI. Cujus profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret, Præfecta Monaſterio eum ante menſem moneat; quod ſi non fecerit, quamdiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit. ibidem.

XVII. Anathemati ſubiicit S. Synodus omnes, quomodocunque cogentes aliquam Virginem vel Mulierem, in vitam, præterquam in caſibus jure expreſſis, ad ingreſſum, habitum vel profeſſionem cujuſcunque Religionis; item conſilium, auxilium, favorem dantes, vel ſcienter quoquo modo tali actui præſentiam, conſenſum, vel authoritatem interponentes ibidem. Item ſanctam Virginum & aliarum mulierum voluntatem voti accipiendi, vel voti emittendi quocunque modo ſine juſta cauſa impedientes ibidem. c. 18.

XVIII. Eaque omnia, quæ ante profeſſionem, vel in ipſa fieri oportet, ſerventur non ſolùm in Monaſteriis ſubjectis Epiſcopo, ſed etiam in aliis quibuſcunque, exceptis mulieribus, quæ Pœnitentes ac Convertitæ appellantur. ibidem.

§. VI.

Ad executionem ſpectantia.

I. Omnia & ſingula in ſuperioribus SS. contenta à Regularibus obſerventur, non obſtantibus privilegiis etiam Mari magno, Conſtitutionibus & Regulis, etiam juratis conſuetudinibus, etiam immemorialibus &c. Seſſ. 25. de regularibus. c. 22.

II. Si verò Regulares, tam viri, quàm fœminæ ſub arctiori regula, vel ſtatutis viuunt, accepta facultate habendi bona

bona ſtabilia in communi, eos ab eorum inſtituto & obſervantia S. Synodus amovere non intendit. ibidem.

III. Epiſcopi, Abbates, Generales, aliique Superiores Ordinum ſtatim prædicta exequantur. ibidem.

IV. Epiſcoporum negligentiam Concilia generalia, Regularium Capitula Provincialia & generalia, vel in eorum defectum Concilia provincialia per deputationem aliquorum ejuſdem Ordinis ſuppleant ac caveant. ibidem.

V. Regibus, Principibus, Rebuspublicis & Magiſtratibus in virtute S. Obedientiæ S. Synodus præcipit, ut in ſuperius contentæ reformationis executione ſuo auxilium & authoritatem interponant, quoties fuerint requiſiti. ibidem.

CAPVT V.

Quædam Eccleſiaſticis & Laicis communia.

§. I.

De Iure Patronatus.

I. NEmo niſi Eccleſiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & conſtruxerit, ſeu jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis & patrimonialibus competenter dotaverit, Ius Patronatus impetrare poſſit, aut debeat. Seſſ. 14. c. 12. Seſſ. 25. c. 9.

II. In caſu autem fundationis aut dotationis hujuſmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri reſervetur Seſſ. 14. c. 22.

III. Titulus hic ex authentico documento aliiſque jure requiſitis, ſive etiam ex præſentationibus tempore immemorabili multiplicatis oſtendatur. Seſſ. 25. c. 9.

IV. Vbi jus uſurpatum præſumitur, præſentationes continuatæ non minori, quam quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur, præter immemorialis temporis probationem. ibidem.

V. Reliqui Patronatus omnes ſeu privilegia conceſſa tam in vim patronatus, quàm alio quocunque jure nominandi, eligendi, præſentandi abrogatę ſint & irritę, ac hujuſmodi Beneficia tanquam libera conferantur. ibidem.

VI. Exceptis Patronatibus ſuper Cathedralibus Eccleſiis competentibus, & aliis, qui ad Imperatorem, Reges ſeu regno preſidentes alioſque Principes jura imperii in ſuis dominiis habentes pertinent, & aliis, qui in favorem ſtudiorum generalium conceſſi ſunt. ibidem.

VII. Non liceat Patrono aliquem, niſi Epiſcopo loci preſentare, ad quem preſentatio & inſtitutio ceſſante privilegio pertinet, aliàs preſentatio & inſtitutio ſecuta irritę ſint. ſeſſ. 14. c. 13.

VIII. Ad hęc liceat Epiſcopo preſentatos à Patronis, ſi idonei non fuerint repellere. ſeſſ. 25. c. 9.

IX. Patroni in perceptione fructuum, etſi verè Beneficia de jure Patronatus ipſorum ex fundatione vel dotatione eſſent, nullatenus ſe ingerant. ibidem.

X. Nec jus Patronatus vendere aut aliter in alios transferrre præſumant, ſub pœna Excommunicationis, & Interdicti, & præterea amiſſionis juris patronatus.

XI. Circa Acceſſiones de Beneficiis liberis ad Beneficia juris patronatus, quid Epiſcopi facere poſſint, ac debeant, vide ſupra. p. 2. c. 9. n. 10.

XII. Patronatus quicunque in Eccleſiis & Beneficiis antea liberis acquiſiti à 40. annis citra & in futurum acquirendi etiam Authoritate Apoſtolica ab iisdem Ordinariis ut delegatis Apoſtolicis cognoſcantur, & quos non repererint legitimè conſtitutos, revocentur. Non obſtantibus, &c. ibidem.

§. III.

De Libertate Eccleſiaſtica.

I. Vſurpans per ſe vel alios bona ac jura quęcunque alicujus Eccleſię, Beneficii, aut pii loci, ad neceſſitates Miniſtrorum vel pauperum pertinentia, ſeu impediens, ne ab iis ad quos pertinent, percipiantur, tandiu anathemati ſubjaceat, donec Eccleſiæ aut Beneficiato integrè reſtituat, & à Pontifice abſolutionem obtinuerit. ſeſſ. 22. c. 11.

II. Si Patronatus fuerit, etiam jure patronatus ultra

prædictas pœnas eò ipso privatus existat. ibidem.

III. Clericus verò præterea quibuscunque Beneficiis privatus sit, & ad alia Beneficia inhabilis ac ab Ordinibus etiam post integram satisfactionem & absolutionem arbitrio Ordinarii suspendatur. ibidem.

IV. Sæculares Principes admonentur, ut jus suum Ecclesiæ restitui non tantùm concedant, sed subditos suos revocent ad debitam reverentiam, nec permittant, ut ab Officialibus Ecclesiæ immunitas violetur. sess 25. c. 20.

V. Sacri Canones, concilia generalia, nec non Apostolicæ Sanctiones in favorem Ecclesiasticarum personarum libertatis Ecclesiasticæ & contra ejus violatores editæ, quæ omnia S. Synodus innovat, exactè ab omnibus observentur. ibidem.

VI. Monentur Imperatores, Reges, Respublicæ, Principes, ne jura Ecclesiastica lædi permittant.

§. III.

Alia quædam tam Ecclesiasticis quam Laicis vitanda, & observanda.

I. Concubinarii Laici quomodo puniendi & coercendi sint, vide sess. 24. de matrim. supra p. 1. c. 7.

II. Duellorum usus penitus extirpetur, & exterminetur. sess. 25. c. 19.

III. Domini temporales locum admonomachiam in terris suis inter Christianos concedentes, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictionem & dominium illius loci amittant. ibidem.

IV. Pugnantes, eorumque Patrini excommunicationis ac præscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta Canones puniantur, & si in conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. ibidem.

V. Consulentes in causa duelli, suadentes, nec non spectatores, itidem excommunicationis & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obstante privilegio sive consuetudine, &c. ibidem.

IV. Om-

VI. Omnes, ad quos decimarum solutio spectat, eas, ad quas de jure tenentur, imposterum cathedrali aut quibuscunque Ecclesiis vel personis, quibus legitimè debentur, integrè persolvant; qui eas subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec nisi secuta plena restitutione absolvantur. ibidem c. 12.

VII. Monentur omnes pro Christiana charitate, ut Episcopis & Parochis, qui tenuibus præsunt Ecclesiis subveniant. ibidem.

VIII. Vbi per annos 40. Quarta funeralium cathedrali aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio aliis Monasteriis, Hospitalibus, aut quibuscunque piis locis concessa, eadem posthac integro jure, & eadem portione, qua antè solebat, Cathedrali seu Parochiali Ecclesiæ persolvantur. Non obstantibus privilegiis quibuscunque, &c. ibidem c. 13.

IX. Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi Episcopi, & qui de jure vel consuetudine in Conciliis provincialibus interesse debent, in prima Synodo provinciali post finem hujus Concilii omnia & singula, quæ ab hac S. Synodo definita & statuta sunt, palam recipiant, &c. Sess. 25 c. 52.

X. Idem imposterum, quicunque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, promovendi, in prima Synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent, Si quis renuerit, Episcopi comprovinciales statim Pontificem admonere teneantur, interimque ab ejusdem communione abstineant. ibidem.

XI. Cæteri omnes, sive in præsenti, sive in futurum Beneficia habituri, & qui in Synodo diœcesana convenire debent, idem ut supra in eadem Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, observent. ibidem.

XII. Adhæc omnes, ad quos Vniversitatum & studiorum generalium cura pertinet, curent, ut ab eisdem Canones & decreta hujus sacræ Synodi integrè recipiantur.

XIII. Si alia in prædictis Vniversitatibus reformatione digna fuerint, ab eisdem, ad quos spectat, emendentur. Vniversitates Pontifici immediatè subjectas sua Beatitudo visitari & reformari curabit. ibidem.

XIV. Sciant universi Sacratissimos Canones exactè

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab omnibus, & quantum fieri poterit, indistinctè observandos. ibidem. c. 13.

XV. Si justa causa, & major utilitas dispensationem postulaverit, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinet, erit præstandum. Aliter facta dispensatio subreptitia censeatur.

INDEX

Præcipuarum Materiarum in hoc libro contentarum.

A

Actus moralis quid sit. Fol. 316
Principia ad ipsum pertinentia. 458
Amicitia cum DEO quid requirat: 137
Sola est vera amicitia. 138
Media ad eandem conservandam. ibid.
Angelorum existentia, & natura. 285
Multitudo & diversitas. 286
Potentia. 287
Via. 289
Peccatum, & pœna. 290
Custodia. 292

B

Baptismi natura: 409
Species. 410
Doctrinæ de eo Catholicæ & hæreses. 184

C

Canonicorum & Capitularium officium & obligatio. 648
Caritatis natura, subjectum. 346
Productio, augmentum, conservatio. 349
Ordo. Vitia opposita. ibid.
Principia Theologica de eadem. 507
Christi meritum, 381
Scientia. 382
Potentia. 383
Dominium. 384
Sacerdotium. 385
Mediatoris officium. 386
Adoratio. ibid.
Defectus assumpti. 387
Ingressus in mundum. 389

Conceptio. 393
Nativitas. 394
Conversatio. 395
Baptismus. 396
Tentatio. ibid.
Prædicatio, Miracula. 398
Transfiguratio, Passio. 399
Mors, Sepultura, Descensus ad Inferos. 400
Resurrectio. 401
Ascensio, Sessio ad dextram Patris. 402
Potestas judiciaria. 403
Doctrinæ de eo Catholicæ & Hæreses. 160
Clericalis Status natura. 368
Divisio. 369
Obligatio & officium. 642
Doctrinæ Catholicæ & Hereses de illo. 170
Concilia Oecumenica quot habita. 222
Doctrinę Catholicæ & hereticę de illis. 165
Concilium Tridentinum quando habitum. 607
Ob quem finem. ibid.
Concilia Provincialia quando instituenda, & cur. 623
Confessio qualis necessaria. 324
Confirmationis essentia. 114
Doctrinę Catholicæ & hereses de illa. 186
Conscientia quid. 330
Principia Theologica de illa. 468
Contemplatio quid. 130
Materia. 131
Instrumenta. ibid.
Fructus. 132
Contractum principia Theologica. 528
Creaturarum productio. 295
Curatorum Clericorum officium & obligatio. 644

D

DEI nomen. 273
Existentia. ibid.
Essentia. 275
Natura, Attributa. 276

Ope-

Operationes.
Dolor ad confessionem qualis necessarius. 279
Dominii principia Theologica. 424
Duella cavenda. 516
613

E

Ecclesię Catholicæ notę. 232
Doctrinæ Catholicę & hereses de illa. 167
Episcoporum qualitas, promotio, consecratio. 619
Mores, residentia, authoritas. 620
Prędicatio. 622
Potestas in Capitula. 524
Visitatio. 625
Cura Parochiarum. 627
Potestas in Beneficiis conferendis, uniendis, commutandis. 631
Potestas in pia loca, & dispositiones. 634
Potestas in exemptos. 641
Iurisdictio. 642
Eucharistiæ institutio. 412
Materia. 413
Forma effectus. 414
Minister. 415
Subjectum. 416
Catholicę doctrinę & hæreses de illa. 187
Principia Theologica de illa. 587
Extremę Vnctionis natura. 426
est verum Sacramentum. 191

F

Festorum observatio quid requirat. 574
Fidei supernaturalis natura. 341
Divisio, subjectum, proprietates. 342
Vitia opposita. 343
Motiva. 231
Professio quando & à quibus facienda. 608
Principia Theologica illius. 501
Finis ultimus hominis. 506. & 308.
Fortitudinis natura. 120 & 361
Species. ibid.

Actus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Actus. 362
Subjectum. 363
Vitia opposita. ibid.
Axiomata. 121

G

Gratia divina quid & quotuplex. 335
Necessitas. 336
Causæ & effectus. 337
Catholicæ doctrinæ & hæreses de illa. 198
Gratia primi hominis qualis fuerit. 193

H

Habitus pravi quomodo extirpandi. 94
Hæreticorum varietas. 220
Hæreticorum frivolæ excusationes quomodo diluendę. 244
Quomodo cum illis disputandum. 253
Quomodo respondendum. 257

I

Idiomatum communicatio, quid sit. 386
Iejunii Ecclesiastici natura. 572
Catholicæ doctrinæ & hæreses de illo. 210
Imagines Sanctorum quomodo colendæ. 610
Incarnationes Christi existentia. 373
Essentia. 374
Convenientia & necessitas. 375
Causa finalis. 377
Efficiens & moralis. 378
Effectus. 381
Iudicii principia. 531
Iuramentorum principia. 569
Ius Patronatus cui conveniat. 656
Quomodo usurpandum. 657
Iustificatio impii quomodo contingat juxta Catholicos. 204
Quid de ea Hæretici doceant. ibid.
Iustitiæ natura. 116 & 358
Divisio. 358

Funda-

Fundamentum, Subjectum. 359
Ejus officium erga DEVM. 116
Ejus officium erga Proximum. 117
Opposita vitia. 360
Obligatio. ibid.
Axiomata. 119
Principia Theologica. 596

L

Laicis quid ex Doctrina Catholica observandum. 174
Lex æterna qualis. 331
Lex Evangelica qualis. 334
Lex externa qualis. 330
Lex interna qualis. ibid.
Lex Mosaica qualis. 333
Lex naturalis quæ sit. 332
Legis principia. 476
Libertas Ecclesiastica non violanda. 658

M

MARIAE conceptio. 389
Sanctificatio. 390
Scientia. 391
Virginitas. 392
Matrimonii natura. 432
Vsus. 433
Principia. 596
Decreta Concilii Tridentini. 617
Monachis juxta Catholicam doctrinam quid observandum. 173. 652
Monialibus quid observandum. 654
Mundus quomodo creatus. 296

O

Operum bonorum doctrina Catholica & hæresis. 207
Opera sex dierum quæ. 295
Opera primæ diei. 297
Secundæ. 299
Tertiæ. 300
Quartæ. 301
Quintæ & Sextæ. 302

Ora-

Orationis necessitas. 561
Effectus. 562
Modus. 563
Tempus. 564
Obligatio. 565
Catholicæ doctrinæ & hæreses de illa.
Ordinis Sacramenti natura. 209
Divisio, materia. 429
Decreta Concilii Tridentini circa illud. 430
611

P

Passiones animi quomodo ordinandæ. 96
Peccati natura. 324
Divisio. 325
Subjectum. 326
Causa, effectus. 327
Principia Theologica. 494
Ortus. 81
Diversitas & gravitas. 84
Cognitio. 87
Detestatio, fuga. 91
Relapsus. 93
Catholicæ doctrinæ & hæreses de eodem.
Perfectio quid. 195
Quotuplex. 68
Axiomata ad eam spectantia. 81
Pœnitentia virtus quid sit. 78
Species. 418
Subjectum. 429
Effectus. 420
Necessitas. 421
Pœnitentiæ Sacramenti institutio. 422
Partes. 423
Forma. ibid.
Minister. 427
De Pontifice Romano Catholicæ doctrinæ & hæreses. ibid.
Prudentiæ natura. 163
Præstantia. 115
Species, actus. ibid.
321

Subje-

Subjectum. 355
Opposita vitia. ibid.
Media. 115. 358
Axiomata. 114
De Purgatorio Catholicæ doctrinæ & Hæreses. 176

Q

Quarta funeralis solvenda. 659

R

Regularibus quid juxta Concilium Tridentinum sit observandum. 650
Religionis natura. 116
Actus. 117
Religiosi Status natura. 370
Obligatio. 371
Reliquiæ Sanctorum quomodo colendæ. 610
Restitutionis principia Theologica. 523

S.

Sacramentorum essentia. 405
Causalitas. 406
Effectus. 407
Minister. 408
Subjectum. 409
Doctrinæ Catholicæ & hæreses. 181
Sacrificii Missæ natura. 416
Effectus. 417
Decreta Concilii Tridentini circa illud. 610
De Sanctorum cultu Catholicæ doctrinæ & hereses. 177
Sancti Patres, qui variis in sæculis vixerint. 220
eorum authoritas. 229
Quomodo eorum dicta contra Hæreticos usurpanda. 323
Satisfactionis Sacramentalis natura. 324
Effectus. 325
Scripturæ Sacræ nomenclatio. 3
Definitio. 4
Divisio. 6
Author. 7
Infallibilitas. 11

Autho-

Authoritas. 12
Necessitas. 13
Vtilitas. 15
Iucunditas. 18
Simplicitas. 20
Eloquentia. 22
Profunditas. 24
Obscuritas. 25
Expositio duplex. 28
Versio hebraica. 29
Chaldaica. 31
Syriaca. ibid.
Græca. 32
Latina. 33
Vernacula. 35
Sensus multiplex. 36
Doctrinæ generales pro indagando sensu. 39
Doctrinæ speciales. 41
Regulæ generales ad sensum verum cognoscendum. 42
Regulæ circa Personas, 43
Regulæ circa numerum. 44
Regulæ circa tempus. 45
Regulæ circa voces. 46
Regulæ circa sensum. 49
Contradictiones apparentes. 50
Interpretes celebriores. 62
Concilii Tridentini decreta de illa. 608
Seminaria Clericorum erigenda. 634
Simonia quid sit. 578
Spei natura. 344
Actus, subjectum, oppositæ. 345
Principia Theologica de illa. 305
Status in genere quo sit. 367
Divisio. ibid.
Studium quid sit. 435
Ejus causa finalis. ibid.
Efficiens. 437
Materialis. 439
Formalis. 440

Peri-

Pericula. 445
Superstitionis natura. 577

T.

Temperantiæ natura. 122
Species, oppositæ. 365
Subjectum, media. 366
Tentationes quomodo vincendæ. 100
Tentationes speciales viæ purgativæ. 103
Illuminativæ. 122
Vnitivæ. 138
Testamentorum principia Theologica. 535
Testium principia Theologica. 553
Theologiæ Asceticæ definitio. 65
Objectum. 67
Media. 141
Præstantia. 146
Vtilitas. 147
Dignitas. 148
Iucunditas. 149
Facilitas. 150
Theologiæ moralis natura. 449
Divisio. 451
Attributa. 452
Modus studendi. 454
Authores. 601
Theologiæ polemicæ natura. 154
Objectum. ibid.
Divisio. 155
Necessitas. 213
Vtilitas. 216
Dignitas. 217
Iucunditas. 219
Media. 257
Quibus argumentis utatur offensiva. 221
Theologiæ positivæ natura, objectum. 1
Media. 58
Modus studendi. 60
Theologiæ Scholasticæ definitio. 269

Divi-

Divisio. 270
Proprietates. 271
Traditiones quomodo cognoscendæ. 224
Quomodo per eas argumentandum contra Hæreticos.
Trinitas Divina. 281

V

De Verbo DEI doctrinæ Catholicæ & hæreses. 156
Viæ illumi nativæ scopus 108
Cur sic dicta. 109
Ejus terminus. 125
Viæ purgativè scopus. 80
Terminus. 104
Axiomata. ibid.
Viæ unitivæ scopus. 127
Cur sic dicta. ibid.
Terminus. 135
Axiomata. 140
Virtutis natura. 109
Conditiones. 110
Subordinatio. 111 114
Virtutum moralium natura. 349
Divisio. 353
Virtutum Theologicarum natura, divisio, prærogativæ. 340
Earum subordinatio. 341
Necessitas. 350
Vnio cum DEO in quo consistat. 127
Vnio per memoriam quomodo fiat. 128
Quomodo per intellectum. 130
Quomodo per voluntatem. 133
Quomodo per reliquas potentias. 134
Voti natura. 572
Obligatio. 573

Omnia ad majorem DEI Gloriam.

Universidad de Deusto
Biblioteca